K-4588

VIVIANO, Ioanne Baptista

Rationale libri secundi iuris pontificii / auctore Io. Baptista Viviano ... — * Romae : Typis Iacobi Mascardi, 1613

RATIONALE
LIBRI SECVNDI
IVRIS PONTIFICII

Auctore

IO. BAPTISTA VIVIANO VRBINATE
Presbytero, & I. C. Romano.

Opus, in quo omnium, quæ à Summis Pontificibus constituta sunt in Libro Secundo Decretalium, Sexti, Clementinarum, & Extrauagantium, ratio redditur.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.
D. SCIPIONEM BVRGHESIVM
S. R. E. Card. Summum Pœnitentiarium, &c.



ROMAE, Typis Iacobi Mascardi. MDCXIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiſs. P. M. S. Palatij Apoſt.

Cæſar Fidelis Viceſg.

Ex commiſſione Reuerendiſſimi P. M. S. Pal. Apoſt. Fr. Ludouici Yſtella, Ego Nicolaus Caſſianus vidi hunc Librum Secundum Rationalis Iuris Pontificij admodum R. & Excell. D. Ioannis Baptiſtæ Viuiani, in quo textus per rationes exponit, & rationes per alios textus, & authoritates confirmat; quæ cum nihil contra ſacram religionem, aut bonos mores contineant: immo ſub breuitate & facilitate, ac ordine ſcientifico, & demonſtratiuo rationabiles gloſſas, & ſanam doctrinam præſeferant, dignum exiſtimo, vt ad ſtudioſorum vtilitatem, præſertim Iura profitentium, imprimantur. Et in fidem me ſubſcripſi hac die 5. Menſis Maij 1613.

Idem qui ſupra Nicolaus manu propria.

Imprimatur,
Fr. Thomas Pallauicinus Bonon. Mag. & Reuerendiſſimi P. Fr. Ludouici Yſtella S. Pal. Apoſt. Mag. Socius, Ord. Prædicatorum.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. SCIPIONI BVRGHESIO

S. R. E. CARDINALI,

SVMMO POENITENTIARIO, &c.

IOANNES BAPTISTA VIVIANVS F.

TANTA fuit benignitas Sanctiſſimi D. N. Pauli V. Pontificis, Optimi, Maximi, cuius Nepos cum præclara gloria, Cardinalis Ampliſſime, exiſtis, qua me cohortatus eſt ad cæteros huius operis libros perficiendos, quando ei obtuli primum ſub tuo patrocinio emiſſum; vt ipſe, qui potius decreueram per aliquod tempus immorari, & omnes ſimul typis dare: ex tunc nil optatius habuerim, quàm alterum edere; ne interim, ad obtemperandum eius nutibus, negligens apparerem. Dignentur igitur Sanctitas Sua Beatiſſima, ac Dominatio Tua Illuſtriſſima, ſimili humanitate ſuſcipere hunc ſecundum; dum, DEO dante, propero ad reliquos. Romæ Decimo Kalendas Iulij MDCXIII.

INDEX TITVLORVM
HVIVS LIBRI SECVNDI.

A

Appellationibus, recusationibus, & relationibus.tit.28. pag.288

C

Causa possessionis, & proprietatis.tit.12. 84
Clericis peregrinantibus. tit. 29. 361
Confessis.tit.18. 131
Confirmatione vtili, vel inutili. tit.30. 362

D

Dilationibus.tit.8. 67
Dolo,& contumacia.tit.14.106

E

Eo,qui mittitur in possessionem causa rei seruandæ.tit.15. 117
Exceptionibus. tit.25. 238

F

Ferijs. tit.9. 71
Fide instrumentorũ.tit.22. 193
Foro competenti. tit.2. 23

I

Iudicijs. tit.1. 1
Iuramento calumniæ.tit.7. 58
Iureiurando. tit.24. 210

L

Libelli oblatione.tit.3. 42
Litis contestatione.tit.5. 47

M

Mutuis petitionibus.tit.4. 45

O

Ordine cognitionum. titulo. 10. 78

P

Plus petitionibus.tit.11. 83
Præscriptionibus.tit.26. 251
Præsumptionibus.tit.23. 202
Probationibus.tit.19. 135

R

Restitutione spoliatorum. tit. 13. 91

S

Sententia, & re iudicata. tit. 27. 264
Sequestratione possessionum, & fructuum.tit.17. 128

T

Testibus,& attestationibus. tit. 20. 146
Testibus cogendis, vel non. tit. 21. 187

V

Vt lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam diffinitiuam.tit.6. 50
Vt lite pendente, nihil innouetur.tit.16. 121

INDEX RERVM,
QVARVM REDDITVR RATIO IN HOC LIBRO.

A

ABBAS qualiter iuret de veritate dicẽda. 182
Abſens quãdo cẽſeatur malitioſe abeſſe. 54 quando contra eum teſtes recipiantur. 55
Abſolutio ad cautelã quãdo fiat. 244 quãdo fiat, cautione recepta. 303
Accuſatus quando admittatur in teſtem. 181
Accuſatus de adulterio, ante sẽtẽtiã nõ priuatur poſſeſſione cõiugali. 121
Actio quomodo exprimenda in libello. 5
Actor in poſſeſſorio, quando poſſit coram alio iudice conueniri in petitorio. 16. 45
Actor, qui plene probauit, non tenetur iurare. 137. eo nihil probante reus abſoluitur. 235. quando iterum audiendus in inſtantia male propoſita. 11
Actore contumace, poteſt in cauſa, etiam ad ſententiam procedi. 108. condemnatur in expenſis, & amplius non auditur, niſi caueat de comparendo. 114
Actor miſſus in poſſeſſionem ex primo decreto, quando efficiatur verus poſſeſſor. 113
Aduocatus nõ poteſt in cauſa illa eſſe teſtis. 185. eius confeſſio quando prẽiudicet. 329. quando proponat in iudicio. 10
Adulter quando poſſit excõicari. 50
Agens reali, qualiter debeat rem ſpecificare. 43
Agens perſonali qualiter debeat exprimere cauſã petendi. 44. quando mittatur in poſſeſſionẽ bonorũ. 57
Alienatio, etiam iurata, eſt à prælato reuocanda. 232
Annus elapſus quãdo non obſtet paſſo miſſionẽ ex primo decreto. 118
Apoſtoliorũ denegatio infirmat proceſſum. 347. ſi non petantur intra 30. dies, intelligitur appellationi renunciatum. 340
Apoſtolos peti inſtanter vno contextu, ſufficit. 356
Apoſtolos non petens, quando appellationi cenſeatur renunciaſſe. 357 quãdo poſſit proſequi ſine illis. 358
Appellatio in vno articulo, quando impediat in alijs. 295. 321. remotio illius in vno, quando intelligatur in alijs. 313. 337. interpoſita ab vno quando proſit alijs. 337
Appellatio ex falſa cauſa, non impedit. 295. neque male poſita. 298
Appellari poteſt etiam in cauſis leuioribus. 295
Appellatio fit ſecundũ canones etiã ante ſententiã. 295. ſecundũ leges nõ, niſi in quibuſdam caſibus. 296
Appellatio, & recuſatio in quibus æquiparentur. 296
Appellatio ab excõmunicatione, in quibus releuet. 299. 321. quando ab interdicto appelletur. 311. quando tales ſententias ſuſpendat. 313
Appellatio in quibus impediat, & in quibus non, iudicẽ à quo. 299. 314. quando teneat, omiſſo medio iudice. 332

INDEX.

Appellans ab ordinario, potest ob aliud delictum ab eo puniri. 301 *potest tamen eũ recusare vt suspectum.* 302. *& iterũ appellare.* 312

Appellãs, qui nõ detulit aduersario, circa idem non excipit. 301. 314

Appellanti quando prefigatur tẽpus ad prosequendum. 305. 306. 309 323. *quando illud preueniri possit.* 315. 322

Appellãs reputatur, qui protectioni superioris se submittit. 309. *dum modo seruet requisita in appellatione.* 310

Appellatione non iustificata, quãdo causa remittatur. 310. 335. *quando appellans in expensis condemnetur.* 331. 336

Appellationis remotio quid operetur. 311

Appellatio non est remedium contra iudicem suspectum. 314. *nisi grauet.* 315

Appellatione deserta, quando iudex ex officio procedat. 315. *& quando contra partem contumacem.* 323. *etiam lite coram iudice ad quem non contestata.* 336

Appellari potest, si locus non tutus assignatur. 316

Appellandi tempus currit à die sententiæ, non à termino præfixo ad aliquid faciendum. 272

Appellatio ab executione sententiæ, quando admittatur. 273. 307

Appellare quis possit. 274. *& quoties.* 331

Appellatio generalis respectu causæ non valet. 289. *nec respectu cuiuslibet grauaminis.* 299

Appellatio à correctione, quando valeat. 289. *friuola non excusat ab obedientia.* 300. 304. *præsertim religiosum.* 309

Appellans, qui non prosequitur, cõpellitur stare sententiæ. 289. *quomodo à iudice à quo compellatur.* 298

Appellans quod tempus habeat ad prosequendum. 290

Appellare quando possit accusatus de crimine. 291. 297. 328

Appellans ad Papam, quando compareat corã inferiori. 292. *illi non deferens, quando puniendus.* 308 322. *quãdo remittẽdus.* 335. *quando debeat appellare in scriptis.* 339 *quando personaliter sit comparendum.* 338

Appellatio à ciuili iudice, quando fiat ad Papam. 93

Appellans, quando audiatur vltra biennium. 293. 334

Appellans cui non defertur, quando à iudice à quo sit citandus. 115

Appellans ante diffinitiuam quando possit etiam à diffinitiua appellare. 116

Appellans ante sententiam tenetur exprimere causam. 324. *quomodo illam probare debeat.* 330. 334

Appellatio à grauamine nõ impedit iudicẽ à quo, si illud reuocat. 325

Appellatio quãdo licite interponatur ob ordinẽ iudicij non seruatũ. 14

Appellatio non fit de vicario ad episcopũ. 341. *sed ad archiepiscopum.* 342. *etiam in temporalibus, nisi sit aliud de iure speciali.* 345. *nec de subdito illius, nisi sit de consuetudine.* 342. *& quãdo archiepiscopus illã committat.* 342. *quando inhibeat.* 343. *in quibus appellantem eximat.* 345

Appellatio in quibus casibus non admittatur. 344

Appellatio extraiudicialis quando facienda. 351

Appellatio quando facienda in ſcriptis. 352
Appellatio quando fiat à capitulo ad epiſcopum, ſi ipſe interuenit in capitulo. 354
Appellatio coram maiori parte iudicum valet; eſt tamen appellato intimanda. 356
Appellatio extraiudicialis intra quod tempus proſequenda. 358
Appellanti quando non currat tempus ad proſequendum. 359
Appellans ante diffinitiuã, quas cauſas proſequi poſſit. 359. *& in quibus impugnet proceſſum.* 360
Appellationis deſertæ proſecutio nõ impedit iudicatum. 360
Appellans ſecundò, quando vltra audiatur. 360
Archiepiſcopus in quibus caſibus ſe ingerat circa ſubditos ſuffraganei. 35. *quando reuocet per appellationem cenſuram, & quando cauſam remittat.* 346
Arbitrorum laudum, quando non teneat. 364
Attentata poſt appellationem, quando reuocentur. 350

B

BEllum mouens, quando teneatur ad reſtitutionem. 229
Beneficia plura habens, cõtra alium de pluralitate non excipit. 240
Beneficiũ adiudicatur illi, qui probat collatorem eſſe in quaſi poſſeſſione conferendi, poteſt tamen agi contra collatorem. 89. *Beneficium eccleſiaſticum non patitur miſſionem ex primo decreto.* 120
Beneficium litigioſum quando vacet in curia, vel extra. 125
Beneficij reſtitutionem petenti quæſtio inſtitutionis nõ opponitur. 93
Beneficij impetratio, quando dicatur ſubreptitia. 270
Beneficij collatio facta poſt appellationem, quando ſit nulla. 288
Beneficialis cauſa delata ad curiam poteſt ibi intentari tam in poſſeſſorio, quã in petitorio 90. *quando admittat alios ad litem.* 125
Beneficiandus quam idoneitatem probare debeat. 210
Beneficiatus non poteſt augere cenſus ſoluendos ab eccleſia. 217

C

CAlũniæ iuramentũ quando poſſit cõmitti. 58. *in quibus cauſis nõ præſtetur.* 59. *à quibus iuretur.* 60 *vniuerſitas per quos iuret.* 61 62. *Epiſcopus quando illud præſtet & quomodo.* 63. *pœna illud recuſantis.* 63. *quando præſtetur.* 64 *tacite poteſt omitti, non expreſſe* 65. *in cauſis ſpiritualibus qualiter iuretur.* 65. *& qualiter in cauſa appellationis.* 65. *procurator quando iuret.* 66.67
Canonicus monitus ad reſidentiam, ſi appellat, interim debet deſeruire per alium. 307
Carnis copula quomodo probetur. pag. 163.208
Cauſa petendi expreſſa, ſi non probetur, quomodo ſuccumbere faciat. 283
Cauſæ, in quibus proceditur de plano, ſine figura iudicij, quæ ſint. 21
Cauſæ, de quibus eccleſiaſticus cognoſcit inter laicos, quę ſint. 27
Cauſę clericorum, per quæ iura ſint terminandæ. 28
Chriſtianus poteſt teſtificari contra Iudæũ, licet non econtra. 160 *nec valet priuilegium alicuius principis in contrarium.* 186
Chriſtianorũ commercium quomodo ſubtrahatur infidelibus. 186

Citatio vocatoria, qualis debeat esse, & qualis peremptoria. 67
Citatio ad ecclesiã quãdo sufficiat. 113
Citatio contra existentem extra territorium quomodo fiat. 288
Citationes ad valuas in Romana curia cõtra quos fiant. 20. *quãdo arcẽt, ac si essent personaliter factę.* 116
Citatus tenetur coram eodem causam prosequi, etiam si postea mutauerit forum. 34
Citatus ad totam causam, quando comparere debeat. 111
Clericus confessus, vel conuictus coram iudice sæculari, non punitur per hoc ab episcopo. 3. *quando sit tradendus curiæ sæculari.* 4. *&* 8 *coram ecclesiastico iudice est conueniendus.* 6. 13. *quando excommunicandus.* 8. *iudicis non sui iurisdictionẽ prorogare non potest.* 3. *Romæ potest conueniri.* 34. *quando iuret de calumnia.* 59. 62
Clericus quando possit esse testis in causa ecclesiæ. 150. 154. *quando iuret episcopo fidelitatem.* 230
Clericus est coram suo episcopo conueniendus. 23. *non potest renunciare foro.* 29. *quando possit conueniri coram eo, cui seruit.* 30
Collatio legati quando noceat diœcesano. 364
Collegium per quem respondeat positionibus. 185
Confessio œconomi quando noceat ecclesiæ. 133
Confessus crimen non probat contra alios. 132
Confirmatio facta per Papam quid operetur. 362. 364
Confirmatio in forma cõmuni non dat nouum ius. 364
Confirmationis literæ quando in appellatione non valeant. 362.
quando per religiosum inualidè impetrentur. 363
Coniunx quando sit, vel non sit restituenda viro. 95
Consanguinitatis exceptio quando admittatur contra prætẽsos coniuges. 78. *per quos probetur.* 149. *& quomodo.* 150
Consanguineus quando censeatur facere de voluntate alterius. 174
Consuetudo non potest operari, vt clericus à sæculari iudicetur. 7
Contumacia quando purgetur. 106
est maior actoris, quàm rei. 108
Contumax quis dicatur 1. *in quas expensas condemnetur.* 107
Contumax quando excommunicari possit. 150. *quãdo beneficio priuari.* 1. *quando fiat contra eum missio in possessionem.* 51
Conuersatio in adolescentia facit præsumptionem in senectute. 204
Crimen, de quo indirecte constat, qua pœna puniatur. 133
Criminosus quando admittatur in testem. 182

D

Debiti causa si exprimatur in instrumẽto, cõdẽnatur debitor, aliàs est probandũ debitum. 207
Decimæ intra quot tẽpus ab vna ecclesia cõtra aliã præscribãtur. 254
Defectus literæ non vitiat rescriptum. 199
Delegatus quando procedat post iter rei ad curiam. 294. *quando post nuncium missum.* 308
Delegatus necessarius in testẽ, remouetur à iudicãdo, vt testificetur. 172
Dictio, sicut, quid importet in confirmatione ex certa scientia. 363
Diffinitiua fertur ex præsumptione violenta. 203

INDEX.

Diœcesũ fines quomodo probẽtur. 144
Dominica die à quibus abſtinendũ. 71. *quando incipiat.* 72

E

Eccleſiaſtica negotia prælatorũ iudicio diſponuntur. 2
Eccleſiaſticus iudex quando procedat contra laicos. 9
Electio eſt pronuncianda per verba ſingularia. 285
Electio facta ſuper beneficio litigioſo, quando ſit valida per mortem vnius. 124
Electus quando à confirmatione, vt periurus repellendus. 237. *quãdo denunciandus, vel accusãdus.* 316
Epiſcopus quãdo præſcribat locum alterius triennio. 251
Epiſcopus grauius punitur de periurio, quàm alij. 218
Epiſcopus in quibus caſibus poſſit diſpenſare. 3
Epiſcopus recuſatus dat delegatũ. 24
Epiſcopus poteſt priuare clericũ delinquentẽ beneficio alibi ſito, ſed nõ illud conferre. 31. *quando exerceat iuriſdictionẽ in aliena diœceſi.* 39 40. 41. *quomodo iuret.* 62
Exceptio criminis quando repellat, vel faciat punire teſtem. 239
Exceptio natiuitatis obſtat petenti hæreditatem. 81
Exceptio ſpoliationis quando poſſit opponi contra actorẽ ſpoliatũ. 82
Exceptio criminis non obſtat agẽti interdicto, vnde vi. 93
Exceptio inopiæ quãdo impediat ſententiæ executionem. 101
Exceptio contra teſtem, quando admittenda. 151
Exceptio peremptoria quando impediat litis cõteſtationem. 48. *per eam non fit litis conteſtatio.* 49. *eam obijciens, & non probans, qualiter condemnetur.* 110
Exceptiones dilatoriæ intra quem terminum proponendæ. 241
Excipiens non fatetur. 242
Exceptio falſi poteſt etiam poſt ſententiam opponi. 243
Exceptio iuriſdictionis impedit etiã iudicem appellationis. 243
Exceptio excõmunicationis quẽ appellantẽ repellat. & quando obijciẽda. 245. 250. *quomodo exprimẽda.* 247. *quando acta iudicij impediat. Et quoties obijci poſſit.* 248
Exceptio rei iudicatæ, quando competat non poſſidenti. 246. *in quo iudicio admittenda.* 249
Excommunicatio lata quando probet iuriſdictionem. 101
Excõmunicatio nõ fertur ab homine, niſi monitione præmiſſa. 303
Excommunicatus non poteſt ſtare in iudicio, niſi vt reus. 6
Excommunicatio quando feratur in contumacem. 57
Excommunicatus quando excipiat cõtra alium. 239. 243. *quid poſſit in iudicio.* 241. *quando à iudice repellendus.* 245. 249. *quando abſoluatur ad cautelam.* 298
Extrauagans quomodo faciat ius. pag. 197

F

Falſarij monetarij citantur coram Papa. 70
Falſitas quomodo opponatur in priuilegium. 195
Fama reſtituitur per Papam. 279
Feſtiui dies quomodo celebrandi. 71. *quando incipiant.* 72
Feſtum Sanctiſs. Trinitatis quando fiat. 74
Feudalis cauſa cognoſcitur à domino feudi. 25. *etiam ſi vaſſallus ſit clericus.* 26

INDEX.

Fideicommiſſum quando euaneſcat per ingreſſum monaſterij. 140
Fideiuſſor quid ſeruare debeat. 216
Filiatio quomodo probetur. 142
Filiusfamilias agit in cauſa ſpirituali ſine patris conſenſu. 19
Fines prædiorum quando præſcribantur. 255
Fratres Mendicantes, & cleri pro eorum concordia, ad quæ teneantur. 15
Fructus poſſeſſionis quando ſequeſtrentur. 128
Fructus rei pignoratæ quando compenſentur in ſortem. 214

G

Genuumflexio quando facienda, & quando non. 74

H

Hoſtilitatis tempore, non currit præſcriptio. 256

I

Ioneum eſſe, quando ſit probandum. 210
Imperator iurat Papę fidelitatẽ. 238
Inducię deliberatoriæ quando denegentur reo prius citato. 68. 69. *quando per libellũ præſentatum intelligantur conceſſæ.* 69
Infamato quando indicenda purgatio. 132
Infamis quis dicatur. 278
Infamia per quem tollatur. 279
Inquiſitio qualiter fiat contra contumacem. 112
Inſtrumenta in iudicio, quæ ſint à partibus edenda. 136
Inſtrumenti exemplum quando faciat fidem. 193. 196 *quando teſtes in eo inſcripti probent.* 194. *quomodo legendum, vel edẽdum aduerſario.* 196. 199. *authenticatur per conſuetudinem.* 198. *eius falſitas probatur per teſtes.* 199
Inſtrumenta poſſunt produci vſque ad concluſionem in cauſa. 198
Interdicti ſententia per appellationem non ſuſpenditur. 311
Interdictum retinendæ quãdo non adiuuet. 93
Interdictum, vnde vi, contra quem competat. 100
Interlocutoria quãdo reuocetur per appellationem à diffinitiua. 355
Interrogatio qualiter ſit facienda ſuper articulis poſitionis. 183
Interrogatoria quomodo fiant teſtibus. 184
Iudex quãdo ſtatuat terminum ad exceptiones dilatorias. 241. *quando ad appellationem proſequendam.* 305
Iudex quas ſolemnitates debeat ſupplere ex officio. 7. *quãdo ob ſimilẽ cauſam repellatur.* 13. *quãdo poſſit cogere partem ad perſonaliter comparendum.* 16. *excommunicatur, ſi fraudulenter vadit ad examinandam mulierem.* 18
Iudex ſæcularis excommunicatur, ſi diſtringit, aut condẽnat clericũ 24. 38. *ac ſi non ſeruat ius canonicũ ad euitandum peccatũ.* 236
Iudex, à quo appellatur, quando ſit cõpetens in alia cauſa. 292. *quando reaſſumat iuriſdictionẽ ob appellationem nõ proſecutam.* 305. 306. 309. *quando ob illam non iuſtificatam.* 312
Iudex à quo non poteſt compellere appellantem ad probandũ corã eo grauamẽ. 353. *poteſt tamen citare ad vidẽdũ illud reuocari, & poſtea poteſt procedere in cauſa.* 354
Iudex vt ſuſpectus recuſatus, poteſt committere cauſam. 306. *quando recuſetur.* 311. *ſtatuit tempus arbitris.* 340

Iudicij acta per quẽ ſcribenda. 142. *quãdo probẽt corã alio iudice.* 145
Iudici in quibus credatur. 164. *& quãdo puniatur, ſi nõ faciat ſcribere acta iudicij* 143 *quando debeat mittere ad examinandũ teſtes.* 151. *quomodo puniatur, ſi voluntariè male iudicat.* 282. *quomodo conſulat ſuperiorem de iure dubio.* 333. *quando grauet partem procedendo.* 333
Iudiciũ in diebus feſtiuis non exercetur. 76. *niſi ob neceſſitatem, vel pietatem.* 77. *in ferijs introductis in fauorẽ hominum poteſt exerceri de partium conſenſu.* 78
Iuramentũ vt ſeruetur, laicus conueniri poteſt corã eccleſiaſtico. 38
Iuramentum malitiæ quando præſtetur. 66. *& quãdo veritatis.* 65
Iuramentũ calumniæ quando præſtetur. 64 *& vide in ver. calũniæ.*
Iuramentũ quãdo deferatur in ſupplementũ probationis. 185. 235. *litis deciſoriũ, quando recuſetur.* 234. *quando parti referatur.* 235
Iurans ſcienter illicitum, non tenetur obſeruare. 221. *quid ſi ignoranter?* 222
Iuramentum in præiudicium ſuperioris non valet. 222. *nec in præiudicium tertij.* 223. *nec contra vtilitatem eccleſiaſticam.* 228
Iuramẽtum præſtitum ſuper ſponſalijs, quando obliget. 225. *quando impediat contrahere cũ alio.* 233
Iuramentũ de non accuſanda vxore, quomodo intelligatur. 226
Iurare quando liceat. 226. *etiam per religioſos.* 227
Iuramentum ſuper actu à lege infirmato, quando obliget. 228. *extortum à mouente bellum iniuſtum, eſt remittendum.* 229. *ſuper actu præterito, non extenditur ad alium futurum.* 233
Iuramentũ de ſeruando ſtatuta loci, ad quæ ſe extendat. 236
Iuramentũ generaliter præſtitum, quomodo interpretetur. 220. 223. 224. 301.
Iuramenti relaxatio quando concedenda. 210
Iuramentum de non præbendo ſubſidium coniuncto, eſt illicitũ. 218
Iuramentum prælati de non repetendis bonis eccleſiæ nõ tenet. 211. 232. *de non eſſe contra aliquem, quomodo intelligatur.* 231
Iuramentum adimpletur, ſi in melius commutatur. 211
Iuramentum non adſtringit, ſi alia pars non adimplet promiſſũ. 211
Iuramentum, quod Papæ præſtatur ab epiſcopis quid cõtineat. 211. 230
Iuramentũ obedientiæ quando præſtetur a clerico. 212. 230
Iuramentum metu extortum, quando ſeruandum, & quando ab eo concedatur abſolutio, & à quo. 215. 220. 229.
Iuriſpatronatus cauſa ſpectat ad iudicium eccleſiæ. 2

L

Laici eccleſiaſtica negotia tractare non debẽt. 2. *ſpiritualia poſſidere, vel præſcribere non poſſunt.* 254
Laicus quando conueniatur corã eccleſiaſt. 25. 28. 32. 38. *iudicis nõ ſui poteſt iuriſdictionẽ prorogare.* 33
Laicus in quibus nõ teſtificetur contra clericũ. 155. *pro quibus poſſit accuſare contra eum.* 156
Libellus eſt in ſcriptis offerendus, antequam actor admittatur ad litigandum. 42
*Lis quando decidatur per iura poſtea

INDEX:

Sfea emanata . 123
Lite pendente, nihil est innouandũ. 121. *quando dicatur pendere.* 126
Lites debẽt celeriter terminari. 265
Litis contestatio quomodo fiat. 47
Litigiosa res alienari non potest, & pœna alienantis. 122
Literæ Apostolicæ quomodo probent. 146. 197
Literatus non præsumitur incontinens. 209
Ludus quando excuset nocentẽ. 203

M

Maior 14. annis potest agere in iudicijs; minor 14. per se non potest. 19
Malefactores ecclesiarũ in vtroque foro conueniuntur. 26
Marito quando non credatur, se cognouisse vxorem. 138
Mater quando probet in causa matrimonij. ibid.
Matrimonium contrahendum, per quos testes impediatur. 139
Matrimonium inter aliquos esse, quomodo probetur. 207. *ex qua causa quo ad thorum separetur.* 224. *eius sententia iniusta potest semper retractari.* 267
Matronæ quomodo de virginitate probent. 145
Minor ætas qualiter probetur. 140
Miserabilis persona quomodo conueniat laicum corã ecclesia. 31
Missionem pa[illegible]us ex primo decreto quãdo restituatur. 119. *talis missio contra quem fiat.* 120
Missus in possessionẽ ex primo decreto, qñ efficiatur verus possessor. 117
Monachus quando iurare possit pro monasterio. 216. *quando eius iuramentum non valeat.* 218
Monasterium succedit loco filij. 140
Monialibus ex qua causa detur facultas egrediendi monasteriũ. 18
Metus quando excusat non appellantem. 337
Mulieres quando personaliter trahantur in iudicium. 17. *& quando domi examinandæ.* 13. *in quibus possint testificari contra clericum, vel alium.* 148. 168

N

NAtiuitatis exceptio est cognoscenda à iudice ecclesiast. 81
Necessitas quomodo excusat ab opere seruili in die festiuo. 75
Negatio vnius est affirmatio alterius. 205
Nocens occultè est puniendus, sicut manifestè nocens. 202
Notarius potest auctoritate ordinarij authenticare scripturas alterius notarij mortui. 201. 202
Notorium quod dicatur, & quomodo in eo procedendum. 297

O

ORdinarij literæ probant, aliquẽ esse excommunicatũ. 139
Ordo procedendi contra contumacem. 56. 57

P

PApa Imperatorem deponere potest ex causis legitimis. 283
Papa solus cognoscit de dubijs sui priuilegij; & hoc quomodo intelligatur. 9. *eius solius dicto creditur.* 164
Papa in sententijs proferendis, seruat iuris ordinem. 276
Peregrinãs ad Sedem Apostolicam, quo priuilegio gaudeat. 361
Periurus quis dicatur. 216. *& eius pœna.* 217. 220
Pignus nõ sufficit tradere loco possessionis. 266
Plus petitur quatuor modis, & qui illi sint. 83

Plus petens quomodo puniatur. 84
Possessionis probatio non adiudicat dominium. 89
Possessio quando probetur per solutionem pensionis. 96
Possessorium quando suspendat petitorium. 96
Possessionem occupans, quando possit a domino propria auctoritate repelli. 97
Possessorium interdictum non competit statim repulso. 98
Possessio causa custodiæ quando detur. 55. *quomodo recuperetur.* 56 *post illam quando detur possessio vera.* 57
Possessio per duos probata, cui adiudicetur. 141
Possessio collatoris attenditur in beneficijs. 89
Possessor malæ fidei non præscribit. pag. 253
Possidens alieno nomine, non præscribit. 259
Possessionis, & proprietatis causa, est coram eodem iudice terminanda. 85. *quo ordine de ipsis sit cognoscendum.* 86. *quando super vtrisque simul sit pronunciandum.* 87. 88
Positio super quo facto sit admittenda. 134. *quando habeatur pro confessata.* 135
Prælati debent laicis facere iustitiam de clericis. 12
Prælatus quando testificetur in causa ecclesiæ. 150
Præscriptio cõtra procurationes Legatorum, & visitantiũ non currit. 256. 258. *cõtra iura Romanæ Ecclesiæ currit sõlùm cẽtenaria.* 257. *Et in ea deducuntur schismatum tempora.* 258
Præscriptio non currit in rebus inuasis; & contra laicũ intra quot tempus ecclesia præscribat. 252. *per quem probetur eius interruptio.* 255
Præscribitur ius episcopale, etiã per prælatũ inferiorem. 258. 259. *ex vna re non infertur ad aliã.* 260
Præscriptio semper requirit bonam fidem. 261. *& quandoque iustum titulum.* 260. *quando sufficiat bona fides sine titulo.* 262
Præscriptioni quando præiudicetur per priuilegium. 260
Præscriptio de bonis hæreticorum, intra quot tẽpus fiat à filijs. 263
Præsumptio quando sit vehemens, & quando violenta, & in quibus probent. 208
Præsumitur contra eum, qui dilationibus fugit iudicium. 204
Præsumitur ex præteritis circa futura. 205. 206
Principalis persona quando admittatur in testem. 148
Priuatus per sententiam aliqua re, illã rursus prescribere potest. 262
Priuilegiatus super foro, quando alibi conueniatur. 32
Priuilegij innouatio quid operetur. pag. 363
Priuilegium super re litigiosa impetratũ, quando sit subreptitiũ. 121
Probatio efficacior requiritur in facto non verisimili. 206
Probationes contrariæ, quomodo distinguendæ. 157
Procurator in vna instantia, non testificatur in alia. 185
Procurator quando iuret de calumnia. 67
Proprietatẽ intentans, quando possit reuerti ad possessorium. 87
Protestans contraria, non est audiendus. 321

INDEX:

Q

Quadrimestre tempus, quod à lege datur condemnatis in personali, potest ex causa à iudice immutari. 272. *& terminum illum recipiens non potest postea appellare.* 273

Quarta decimarum, & funeralium per 40 *annos præscribitur.* 252

R

Rasura quando vitiet rescriptum, vel instrumentum. 194

Recognitio in quos fiat in iudicio. 45

Recusandi iudicem, quæ sint causæ. 311. *quomodo proponendæ, & probandæ.* 326. *quid tunc per iudicem sit faciendum.* 327

Religiosi quando possint agere in iudicio. 12

Religiosus quando appellet. 304

Renunciatio quando obstet beneficij restitutionem petenti. 92

Res facit sortiri forum, vbi illa exi stit. 24

Res inter alios iudicata, quando alijs noceat. 279. 280

Reo contumace, qualiter procedatur in causa. 109

Reus non tenetur edere actori propria instrumenta. 136. *in iudicio communi probat, & quando prę ualeat.* 137

Reus quãdo non admittatur ad probandum. 144. 163. *quando eius testes recipiantur, lite non contestata.* 172

Reus quando absoluendus ab instantia iudicij. 11. 235

Rescriptum quando extendatur ad successorem in rem. 8. *quando ad reconuentionem.* 46

Rescriptum impetratum ab excommunicato appellante, quando valeat. 244. 246

Restitutionem petenti quando possit opponi de proprietate. 91

Restitutio coniugis quomodo faciẽda. 94. *quando non facienda.* 98. *quãdo non censeatur coniux.* 100

Restitutio rei inuasæ est facienda, licet spoliatus non probet dominium. 102

Restitutio intelligitur fieri, si res ponatur in pristinũ statum. 103

Restitutio decimarum quando ecclesiæ sit danda. 106

S

Sacerdos ob quod crimen sit deponendus. 265

Sanctorum canonizatio quomodo facienda. 179

Scripturæ contrariæ ab eodem productæ non faciunt fidem. 200

Senex minus præsumitur incontinens quàm iuuenis. 209

Sæuitia viri quando impediat coniugis restitutionem. 99

Sententia in beneficiali, respectu cuius transeat in iudicatum. 112

Sententiæ tres conformes quomodo impediant agere de nullitate. 286

Sententia lata ad dictum testium corruptorum, est retractanda. pag. 152. 195

Sententia quando probetur per testes, qui ei interfuerunt. 173. 193. 273.

Sententia contra leges est nulla, & non eget appellatione. 264. 268. *lata prætextu iniquæ consuetudinis contra ecclesiam, retractatur.* 267

Sententia iusta potest peti, à Papa confirmari. 266

Sententiæ executor, quando exceptionem admittat. 266

Sententia contra matrimonium, nunquam transit in rem iudicatam.

tam. 267. lata contra absentem non contumacem, non valet. 268. ex solo dicto coniugum non reuocatur. 269

Sententia iniqua retractatur, licet causa sit commissa, appellatione remota. 268. contra ius tamen litigatoris tenet, nisi appelletur. 270. quando pro parte confirmetur, & pro parte infirmetur. 274 quando vna præualeat alteri. pag. 280. 281

Sententia quando confirmetur, licet probationes sint contra eam. 271. quando possit ferri contra absentem. 274. quando retractetur. 275. Secunda quando teneat contra primam. 277. & quando contra priuilegium. 278

Sententia reuocata, quando iterum de causa cognoscatur. 279

Sententia quomodo feratur per vnũ, si iudices sint plures. 284

Sententia diffinitiua est à iudice ex scripti recitatione proferenda. 285. Episcopus tamen potest eam recitare per alium. 286. Et debet sedendo à iudice proferri. 286

Septimanæ tres circa Ascensionem erant in obseruantia ad nuptias prohibendas, nunc talis prohibitio est sublata. 76

Sequestrum quando reuocandũ. 128

Sequestratio quando facienda contra contumacẽ. 107. quando contra reũ possessorem appellantem. 129. quando contra beneficiatũ. 130. & pœna impedientis. 131

Socius criminis, & muneris non testificatur, etiam in simonia. 152

Spoliationis exceptio quando discutiẽda. 79. intra quot tempus probanda. 104. quando de vna re admittatur ad aliam. 105

Spoliatus est ante omnia restituendus. 82. etiam si sit à iudice, iuris ordine prætermisso. 94

Spoliationis exceptio contra quem admittatur. 103. 105

Spoliatus quis dicatur. 104

Sponsalia debent præcedere, vt mulier traducta ad domum possideatur. 100

Sponsalia sub qua conditione intelligantur. 225

Subditus obedientiam non præscribit. 256

Suspensio non est ferenda ab homine, nisi monitione præmissa. 303

Suspicionis causa coram quo proponenda, & probanda. 313

T

TEmpus assignatum ad causam finiendã, quando currat. 297

Testes de familia non sunt idonei. pag. 162

Testes actoris, & rei contraria deponentes, quomodo probent. 167

Testes de auditu, & fama regulariter non probant. 168. in causa matrimoniali cum quibus requisitis probent consanguinitatem. pag. 175

Testium multitudo refrenanda. 171

Testis non iuratus non probat, etiam si sit religiosus, nisi à partibus iuramentum remittatur. pag. 172. 178

Testes quando possint interrogari post publicationem. 176. quando iterum examinandi. 179

Testes quando reprobari possint. 177

recepti coram arbitro, quando probent in iudicio. 177. quomodo examinandi. 178. quomodo super canonizatione Sanctorum. 179

Testes reprobatorij quomodo in positionibus exprimendi. 183. quid iurare

iurare debeat pars eos producens. 184
Testes quando cogendi in criminali. 189.191. *quomodo super consanguinitate.* 190
Testis synodalis quis dicatur, & ad quid teneatur. 190
Testis quando possit corrigere dictum suum. 191
Testes quando recipiantur contra non contumacem. 152. *& quando lite non contestata.* 53 *& quæ solemnitates tunc exigantur.* 54. 169. *Diligenter sunt examinandi.* 170. *& puniendi, qui eos impediunt.* 171.174
Testes nō sunt ducendi pretio. 146. *qui testificari possint.* 147. *principalis persona quando admittatur pro teste.* 143
Testium receptio facta contra non citatum, est nulla. 147
Testis, qui venire non potest, per quem sit examinandus. 151
Testis inductus in vna re, quando probet super alia. 165
Testis per quod crimen repellatur. 154. 179. *emendatus quando admittatur.* 180
Testiū productiones quot fieri possint. 169. 180. *& in quibus causis.* 156. *quando coram diuersis iudicibus producantur.* 166
Testium depositiones quomodo, & quando examinandæ. 157. *ad cuius petitionem publicādæ.* 166. *quando contra testes possit opponi.* 167
Testes noui super quibus producantur in causa appellationis. 158
Testium publicatio, vel renuncia tio, in quibus præiudicet. 159. 162.169.173.174.187.188
Testificari non potest, simili morbo laborans. 159. *in quibusdam criminibus exceptis, tamen testificatur ad præsumptionem.* 192
Testificari quis compellitur, etiam si iurauerit non dicere testimonium. 158.174.175.192. *sub qua pœna compellatur.* 183. *quando in criminali.* 189
Testimonium vnius non sufficit ad condemnationem. 153.161
Testimonium matris est suspectum vbi agitur de fauore filiæ. 160
Testimonium debet ferri à ieiuno. 147. *quando receptum in vno iudicio probet in alio.* 153. 171.
Triennij lapsus nō obstat in foro ecclesiastico ad litē prosequendā. 15
Tutor vsque ad quod tempus possit conueniri. 333

V

VAsallus coram domino feudi est conueniendus. 4. *& quando coram ordinario loci possit conueniri.* 5
Vasallus, qui iurauit prælato, non tenetur iurare successoribus. 219
Verba literarum Apostolicarum — in quibus probent. 146
Vicinus præsumitur scire facta vicini. 205. *præsertim si est illorum notitia in remoto.* 206
Vidua quando intelligatur sub protectione ecclesiæ. 29
Violentus possessor, quæ resarcire, & restituere debeat. 97
Virginitas quomodo probetur. 145
Vniuersitatis causa potest probari per ipsos de vniuersitate. 138
Vsuræ promissæ, quando soluendæ. 213. *quid si iurauit eas non repetere.* 222. *quando in earum — causa iuretur de veritate.* 231

RATIONALE LIBRI SECVNDI IVRIS PONTIFICII.

Auctore

IO. BAPTISTA VIVIANO VRBINATE
Presbytero, & Iuris Conſ. Romano.

DE IVDICIIS.

In Decretal. Cap. 1. De Quoduultdeo.

CONTVMAX in non comparendo, vel non reſpondendo, excommunicari poteſt.

QVIA contumax eſt, qui, tribus edictis propoſitis, vel vno pro tribus, (quod vulgo peremptorium appellatur) literis euocatus, præſentiam ſui facere contemnit. l. contumacia. ff. de re iudic. Et quoniam, qui eſt inobediens ſuperiori, & eum contemnit, mortaliter peccat. c. 2. de maior. & obed. & c. ſciendum. 8. q. 1. Et contra mortaliter peccantem, poteſt excommunicatio ferri. c. nemo. 11. q. 3. & c. apoſtolicæ. 24. q. 3. Ideo talis contumax poteſt excommunicari. vt in tex. & c. ſi qui ſunt. diſt. 81. Et de diuerſis modis contumaciæ. not. in c. 2. de dol. & cont.

BENEFICIO autem priuari non debet.

QVIA vbi vna pœna ſufficit, duplici pœna quis conteri non debet. infra cap. at ſi clerici. Nec pœna ex pœna procedere debet. c. quia. de conceſs. præb. Et quoniam non omne peccatum mortale beneficij priuationem inducit, ſed tantum grauiora delicta illam merentur. c. inuentum. 16. q. 7. Et pœna priuationis beneficij nunquam imponitur ab Epiſcopo, niſi reperiatur impoſita a iure. Abb. in c. con-

querente. de reſtit. ſpol. Nec excommunicatio inducit ſemper priuationem beneficij, niſi ſit lata pro delicto, quod priuationem mereatur, vel per annum detur in illa cordis induratio. Io. And. hic. Ideo ob talem contumaciam excommunicatus, beneficio priuari non debet. vt in tex. & c. fin. de pœnis. Poteſt tamen interim priuari reditibus beneficij, cum non ſeruiat illi. Abb. hic. Et ſi per annum inſorduerit in illa, poterit contra eum, tanquam de hæreſi ſuſpectum, procedi. Conc. Trid. ſeſſ. 25. de refor. cap. 3.

Cap. 2. Decernimus.

LAICI eccleſiaſtica negotia tractare non debent.

QVIA laicis nulla eſt attributa poteſtas diſponendi ſuper rebus, & perſonis eccleſiaſticis. c. fin. de reb. eccl. non alien. in talibus enim manet eos neceſſitas obſequendi, non auctoritas imperandi. cap. quæ in eccleſiarum. de conſtitut. Et quoniam nemo debet ponere falcem in meſſem alienam. c. ſcriptum. 6. q. 3. Ideo laici non poſſunt tractare negotia eccleſiaſtica ſuo nomine, vt quaſi ius habentes in eis. Innoc. in c. 2. de ætat. & qual. ord. licet nomine eccleſiæ, tanquam ſyndici, vel procuratores, illa tractare poſſint. Felin. in c. apoſtolicæ. col. 4. de except.

SED Prælatorum iudicio diſponuntur.

QVIA Prælati eccleſiarum ſunt iudices ordinarij in eccleſiaſticis negotijs. c. cum ab eccleſiarum. de offic. ordin. intelligendo hic ſtrictè ſolùm de prælatis habentibus iuriſdictionem. Abb. hic. Et quoniam vnumquodque negotium coram competenti iudice eſt tractandum. c. ſi clericus. de for. comp. Ideo tales prælati poſſunt propria auctoritate in eccleſiaſticis negotijs iuſtitiam adminiſtrare. vt in tex. & c. reprehenſibilis. de appellat.

Cap. 3. Quanto.

CAVSA iuriſpatronatus ſpectat ad iudicium eccleſiæ.

QVIA iuſpatronatus eſt ſpirituali annexum. c. de iure. infra. de iurepatr. Et quoniam quæ religioſis adhærent, religioſa ſunt. l. quæ religioſis. ff. de rei vind. Et magis dignum attrahit ad ſe minus dignum. c. quod in dubijs. de conſecr. eccl. vel altar. Et in cauſis ſpiritualibus laici non poſſunt eſſe iudices. ſupra c. proxim. Ideo eadem ratione non poſſunt eſſe in cauſa iuriſpatronatus, quæ ita coniuncta eſt, & connexa ſpiritualibus cauſis, quod non niſi eccleſiaſtico iudicio valeat diffiniri, vt in tex. & cap. relatum. de iurepatr.

Cap.

Cap. 4. At ſi clerici.

CLERICVM conuictum, vel confeſſum de crimine coram iudice ſæculari, ex eo non punit Epiſcopus.

QVIA ſicut ſententia a non ſuo iudice lata, non tenet, cap. ad audientiam. de conſuet. & l. fin. C. ſi a non compet. iud. ita nec tenet facta confeſſio coram ipſo. vt in tex. & c. fin. de confeſs. Et quoniam iudex debet ſententiare ſecundum allegata, & probata. c. paſtoralis. §. quia. de offic. deleg. Ideo ex quo talis clericus per illas probationes non apparet reus, nec etiam erit per ſententiam condemnandus. vt in tex. & cap. in primis. 2. q. 1.

SED coram ſe conuictum, vel confeſſum punit pœna debita.

QVIA pœna eſt commenſuranda delicto. c. ſicut. de homic. Et quoniam per huiuſmodi ordinem iudiciarium conuenienter ſeruatum coram ſuo iudice, talis conuictus, vel confeſſus apparet reus. vt in tex. & d. c. fin. de confeſs. Ideo ſecundum quod delictum probatum meretur, erit per ſententiam pœna imponenda. c. cum dilectus. de ord. cogn. & c. non offeramus. 24. q. 1. Vel ſi ſit impoſita a iure, veniet declaranda. Clemen. 1. de elect.

NISI cum illo diſpenſet.

QVIA diſpenſatio eſt communis iuris relaxatio facta cum cauſæ cognitione ab eo, qui habet poteſtatem diſpenſandi. gloſ. in c. requiritis. §. niſi. 1. q. 7. Et quoniam pœnæ inferuntur ſecundum, quod perſonæ, cauſæ, loca, & tempora requirunt. c. fin. de tranſact. Ideo, ſi cauſa ſubeſt, Epiſcopus in caſibus ſibi permiſſis, debet eſſe miſericors in diſpenſando. infra §. proximo. & gloſ. in c. omnis. diſt. 45. Miſericordia enim iudicis habet locum in his, quæ ipſius arbitrio relinquuntur, in quibus boni viri eſt, vt ſit diminutiuus pœnarum. Ariſt. 5. ethic. c. 10. In his autem, quæ ſunt determinata ſecundum legem diuinam, vel humanam, non eſt ſuum, miſericordiam facere. S. Thom. 2. 2. q. 67. art. 4. Cum inferior non poſſit tollere legem ſuperioris. c. cum inferior. de maior. & obed.

§. De adulterijs.

IN adulterio, & minoribus poteſt cum clericis, peracta pœnitentia, Epiſcopus diſpenſare.

QVIA Epiſcopi in illis criminibus poſſunt diſpenſare, in quibus reperitur, eis a iure eſſe conceſſum. c. dilectus, & ibi gloſ. de temp. ord. & c. inter. de tranſl. epiſc. Et quoniam ius concedit, vt epiſcopi poſſint in adulterijs, & alijs criminibus minoribus adulte-

rio, cum clericis, post peractam pœnitentiam, dispensare. vt in tex. Ideo cum causa exigit, bene in talibus episcopi dispensant. glos. hic, quæ latè examinat materiam dispensationis. & glos. in c. domino. dist. 50. Quæ autem dicantur crimina minora adulterio, erit arbitrandum per superiorem. Butr. hic. considerando, an delictum causet irregularitatem. c. nisi. de renunt. & animum delinquentis, & contemptum, & omnes alias circunstantias ad exæquationem, & comparationem pœnarum. Abb. hic. Et imponitur tali delinquenti aliqua pœnitentia. vt in tex. quia delictum non debet transire omnino impunitum. c. presbyter. dist. 81. Et venia non conceditur, nisi pœnitenti. c. legatur. 24. q. 2. Et nouissime, in quibus episcopi possint dispensare, est attendendum Concil. Trid. sess. 24. de refor. cap. 6.

DEPOSITVM autem pro suis excessibus non tradit indifferenter curiæ sæculari.

QVIA vbi iudex functus est officio suo, in illa causa amplius se intromittere non debet. c. in literis. de offic. deleg. Et vbi vna pœna sufficit, non est quis duplici pœna conterendus. c. presbyter. dist. 81. Et quoniam clericus tunc solum traditur curiæ sæculari, cum eius depositio non sufficit. infra, c. cum non ab homine. Ideo si depositio imposita per sententiam Episcopi sit sufficiens, non erit vlterius talis clericus pro præterito delicto alia pœna aggrauandus. vt in tex. & c. sceleratior. de pœnit. dist. 3. Qualiter autem fiat traditio curiæ sæculari, habetur in c. nouissimus. de verb. sign. Et qualiter fiat degradatio, in c. 2. de pœnis, in 6.

Cap. 5. Ceterùm.

VASALLVS coram domino feudi conueniendus est.

QVIA vnusquisque coram suo iudice est conueniendus. c. cum sit. de for. comp. Et quoniam dominus feudi habet iurisdictionem ordinariam super vasallos respectu causæ concernentis feudum. infra. c. nouit. & in lib. feud. l. imperialem. de prohib. feud. ali. Talis enim iurisdictio sibi datur a lege. Oldr. consil. 17. Et iurisdictio data a lege est ordinaria. Innoc. in c. cum ab ecclesiarum. de offic. ord. Et quia ista iurisdictio tribuitur domino feudi priuatiuè ad iurisdictionem ordinariam, saltem data potestate, & voluntate ipsius domini in administranda iustitia. c. ex transmissa. infra tit. prox. & d. l. imperialem. Ideo antequam appareat de eius impotentia, vel noluntate in reddenda iustitia, vasallus reus non est coram alio iudice, quam coram ipso domino conueniendus. vt in tex. & cap. ex tenore. infra tit. prox.

ETIAM si dominus feudi sit ecclesiastica persona.

QVIA

QVIA licet hæc iurisdictio respectu feudi, sit tributa domino feudi per legem ciuilem, scilicet per d.l.imperialem. Tamen quoniam Papa illam dispositionem approbauit. infra c. nouit. Ideo extenditur ad ecclesiasticos, non ex vi legis ciuilis, sed ex approbatione Papæ. Abb. hic. & not. in c.ecclesia. de constit.

DVM MODO ibi actor possit suam iustitiam consequi.

QVIA talis iurisdictio competit domino feudi in quantum ipse est vigil, & potens in administranda iustitia. Abb. hic. Et quoniam prouidendum est, ne subditis desit, qui ius reddat. c.licet. de for. comp. Ideo statuitur, vt in defectum ipsius domini, ad alium iurisdictio deuoluatur. glos.hic, & c.verum.infr.tit.prox.

ALIAS loci ordinarius poterit ad iri.

QVIA res de facili reuertitur ad naturam suam. l. si vnus. §.pactus. ff.de pact. Et quoniam talis iurisdictio data est accumulatiue domino feudi, & solùm priuatiue ad iurisdictionem ordinariam, in quantum ipse est vigil, & potens in administranda iustitia. l. fin. C. de iurisd. omn. iud. & Roman. consil. 242. Ideo quando per ipsum iurisdictio non explicatur, illa remanet sub suo iudice ordinario. vt in tex. & simile in c.irrefragabili. §.excessus. de offic.ord. Vnde potest ordinarius ad instantiam actoris, si dominus appareat negligens, statuere ei certum terminum, intra quem iustitiam administret, aliàs quod illam ipse faciet. arg.d.§.excessus. & c.ex parte. de concess.præb.

Cap. 6. Dilecti.

NOMEN actionis in libello exprimere pars non cogitur.

QVIA ista expressio fuit introducta de iure ciuili, vt clarius appareret ius actoris contra reum. l.1.ff.de edend. Sed quoniam huiusmodi subtilitates sæpe ad perniciem reuertuntur.l.penult. C.ad Treb. Et propter omissum ordinem petendi, sæpe ius petentis, qui bona fide procedebat, confundebatur. c.sæpe. de restit. spol. & c.literas. de iur.cal. Ideo in causis ecclesiasticis, in quibus bona fide agitur, huiusmodi iuris ciuilis rigor, & subtilitas non attenditur; sed simpliciter proceditur secundum æquitatem, sola facti veritate inspecta. vt in tex.& c.1. de dol. & cont. Sed licet in iudicio ecclesiastico nullus teneatur proponere actionem, si tamen quis illam proponat, admittitur, & si proponat ineptam, succumbit; sed postea potest proponere aptam, & congruentem, & admittitur. infr.c.examinata.

DEBET tamen factum ita clare proponere, vt ex eo ius agendi colligatur.

QVIA nemo ſine actione experitur. l. ſi pupilli. §. fi. ff. de neg. geſt. Actio enim eſt ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur. Inſtit. de action. in princ. Vnde etiam de iure canonico oportet, quod volenti agere in iudicio competat actio, ſeu aliquid aliud, quod teneat locum, ſeu vicem actionis, vt eſt iudicis officij imploratio. c. 2. de offic. iud. & c. 1. de pact. Ideo licet de iure canonico, nomen actionis in iudicio quis non compellatur exprimere, vt dictum eſt ſuperius; cauſa tamen petendi ſemper debet apparere, vt iudex poſſit cognoſcere, in quid debeat reum condemnare. vt in tex. & c. fin. de lib. oblat.

Cap. 7. Intelleximus.

EXCOMMVNICATVS in iudicio ſtare non poteſt.

QVIA maiori excommunicatione ligatus, eſt à fidelium communione ſeparatus. c. ſi quem. de ſent. excom. Et quoniam ſi talis poſſet eſſe in iudicio vt actor, hæc cenſura eccleſiaſtica contemneretur, dum contra illam in conſortio admitteretur. cap. cum inter. de except. Ideo pia conſideratione ſtatuit mater Eccleſia, vt talis excommunicatus non poſſit eſſe actor in iudicio, vt ex hoc magis cenſura eccleſiaſtica timeatur, & communionis periculum euitetur, contumaciæ vitium reprimatur, & ipſe, dum ſic excluditur, rubore ſuffuſus, ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinetur. c. 1. de except. in 6.

NISI tanquam reus.

QVIA ex proprio delicto, nemo debet conditionem ſuam facere meliorem. c. nos. diſt. 12. & l. itaque. ff. de furt. Et quoniam ſi excommunicatus non poſſet conueniri, defraudaretur actor de iure ſuo, & iſte non ſoluendo, commodum de ſua malitia reportaret. vt in tex. & c. ſi vere. de ſent. excom. Ideo in odium ipſius permittitur, vt poſſit conueniri, ſed quod debeat per alium in iudicio reſpondere. vt in tex. & c. excommunicamus. §. credentes. de hæret. Et generaliter poteſt dici, excommunicatum eſſe repellendum a iudicio, niſi in caſibus in iure expreſſis. c. penult. & fin. de except. Et idem extra iudicium, vt regulariter repellatur, niſi in caſibus ſibi permiſſis. c. cum excommunicato. 11. q. 3.

Cap. 8. Clerici.

CLERICVS de omni crimine debet coram eccleſiaſtico iudice conueniri.

QVIA iudex ſæcularis nullam habet iuriſdictionem ſuper clericos. c. eccleſia. de conſtit. Et quoniam vnuſquiſque a ſuo iudice eſt iudicandus. c. ſi diligenti. de for. comp. Et proprius iudex clericorum de iure communi eſt epiſcopus. infr. tit. prox. c. 1. Ideo, ne deli-

&a remaneant impunita. c. vt famæ. de sent. excom. clericus de iure communi apud suum episcopum, vel de iure speciali apud aliam personam ecclesiasticam, est conueniendus. vt in tex. & c. inolita. 11. q. 1. Sententia enim iudicis est quasi quædam particularis lex in aliquo particulari facto. c. cum inter. de re iudic. Ideo sicut lex generalis debet habere vim coactiuam. Arist. 10. ethic. c. fin. ita sententia est ferenda ab illo, qui sit superior, & habeat vim coactiuam, per quam constringatur vtraque pars ad seruandam sententiam, alioquin iudicium non esset efficax. S. Tho. 2. 2. q. 67. art. 1.

NEC valet consuetudo contraria.

QVIA talis consuetudo esset contra ecclesiasticam libertatem, & contra statuta ecclesiæ. c. ad audientiam. de consuet. Et quoniam per illam irrogaretur iniuria ecclesiæ Dei; quod esset iniquum. c. 2. de for. compet. Ideo quantocunq; longo tempore obtenta esset, non debet habere locum, sed vt corruptela venit extirpanda. c. nouerit. de sent. excom. & c. mala. dist. 8. Præterea illud, quod non potest facere lex, nec potest facere consuetudo. Abb. hic. nam consuetudo inducitur tacito consensu. l. de quibus. ff. de legib. lex verò inducitur per expressum. c. 2. de constit. Et regulariter validior est expressus consensus, quam tacitus. c. nullus. de elect. in 6. Nec obstat, si dicatur, quod consuetudo derogat legi. c. fin. de consuet. quia illud est ex legis permissione. & non aliter. Abb. hic. Et idem potuisset facere lex, quod consuetudo. c. 1. de constit. in 6. & d. l. de quibus. Et quoniam leges non dedignantur sacros canones imitari. Authent. vt cler. apud prop. episc. §. neque. Et in ipsis generaliter traditur, vt de omni crimine clericus debeat coram ecclesiastico iudice conueniri. c. 1. de for. comp. & 11. q. 1. per totum. Ideo non debet in hac parte canonibus ex aliqua consuetudine præiudicium generari. vt in tex. & c. cum inter. de consuet.

Cap. 9. Causam, il 1.

IVDEX ex officio prouidere debet, vt debitæ solemnitates seruentur in iudicijs, quibus omissis, iudicium redditur frustratorium.

QVIA ista prouisio non venit solùm ad commodum partium, sed ad publicum bonum, ne lites sint immortales, & ne illæ, quæ iam credebantur sopitæ, rursus suscitentur. Abb. hic. Et quoniam ad publicum commodum, & ad imponendum finem litibus, iudex debet elaborare. c. finem. de dol. & cont. & l. quidam. ff. si cert. pet. Ideò iudex debet ex officio circa ista prouidere. vt in tex. & de procur. c. 1. Hinc est, quod ex officio supplet circa defectum libelli. vt not. Innoc. in c. 1. de libel. oblat. Et Specul. de iuram. cal. §. superest.

Cap. 10. Cum non ab homine.

CLERICVS depoſitus, incorrigibilis, excommunicandus eſt, & ſucceſſiue anathematizandus.

QVIA pœna debet eſſe commenſurabilis delicto. c. diſciplina. diſt. 45. Vnde pœnarum varietas requiritur ſecundum varietatẽ delictorum, ne fiat more imperiti medici, qui vno collyrio omniũ oculos vult curare. c. neceſſe. diſt. 29. Et quoniam incorrigibilitas aggrauat delictum. c. vnum. diſt. 25. Ideo clericus, qui propter aliquod delictum fuit depoſitus, propter eius contumaciam creſcentem, eſt grauiori pœna afficiendus. vt in tex. & c. vt famæ. de ſent. excom. & ſic poſt depoſitionem iam ſecutam, excommunicatur, ſine multa tamen ſolemnitate, ad videndum, an ſe velit emendare, dum per talem pœnam ab alijs euitatur; at ſi nec iſta pœna ita ſufficiat, debet eadem promulgari cum maiori ſolemnitate, ad maiorem terrorem, & vt difficilius obtineat ſolutionem, & iſta anathema nuncupatur. Abb. hic. & gloſ. in c. engeltrudam. 3. q. 4.

ET ſi ſic non reſipuerit, per iudicem ſæcularem comprimendus eſt.

QVIA ad euitandum peccatum, & punienda delicta, vna poteſtas aliam adiuuare debet. c. ſignificauit. de offic. ordin. & c. principes. 23. q. 5. Et quoniam ad punienda delicta aliquando eccleſiaſticæ pœnæ non ſufficiunt. c. clericus. 3. q. 4. Ideo cum talis clericus deuenerit in profundum malorum, & eccleſiæ pœnas contemnat, nec ipſa habeat vltra quid faciat, tradit eum iudici ſæculari, qui ſuis pœnis illum taliter comprimat, vt non poſſit vltra aliorum eſſe perditio. vt in tex. & c. ſi quis ſacerdotum. 11. q. 1.

Cap. 11. Quia G.

PER reſcriptum impetratum contra violentum, conuenitur, qui ſcienter ſucceſſit in vitium.

QVIA eo ipſo, quod aliquis ſcienter recipit rem cum tali vitio, videtur habere ratum factum prædeceſſoris. c. aduerſus. de immunit. eccl. Et quoniam per omnimodum vitium quis meretur eadem pœna puniri. c. ſæpe. de reſtit. ſpol. & l. item Mela. ff. ad leg. Aquil. Ideò licet regulariter reſcripta ad alias res, vel perſonas nõ extendantur, quàm in eis ſint expreſſæ. c. ſignificauit. de reſcript. & c. cum olim. de offic. deleg. Tamen in odium iſtius ſucceſſoris vitioſi, extenditur ad eum, ſicut ad priorem violentum. vt in text. & c. 1. de ali. iud. mut. cauſ. fact. Et generaliter quando reſcriptum ſit tranſmiſſibile in alium, tractat Io. And. in c. is, qui. de reg. iur. in 6.

Cap.

Cap. 12. Cum veniſſent.

SOLVS Papa cognoſcit de dubijs priuilegiorum Apoſtolicæ Sedis, & non inferior.

QVIA eius eſt interpretari, cuius eſt condere. c. inter alias. de ſent. excom. & l. fin. C. de leg. Intelligendo de interpretatione probabili, neceſſaria, generali, & in ſcriptis redigenda. gloſ. in c. ſicut. 11. q. 1. & gloſ. in l. 1. C. de legib. Talis enim interpretatio eſt idem, quod ipſa lex. l. ita fidei. ff. de iure fiſc. Vbi vero eſt aliqua difficultas de intellectu legis, vel priuilegij, poteſt etiam per Doctores fieri probabilis interpretatio de intentione legislatoris, ſed non talis, quæ ſit neceſſario ſequenda; niſi quando fit à Iudice inter partes; & tunc tranſiuerit in rem iudicatam; ſed illa non eſt generalis quo ad alios. l. vnic. C. de profeſſ. qui in vrb. Conſtant. lib. 12. ideò vt ſit interpretatio generalis, & neceſſaria, vbi vertitur cauſa ſuper priuilegijs Apoſtolicæ Sedis, non ad alium, quàm ad Papam, illa ſpectat. vt in tex. & cap. ſicut. §. ex his. 11. q. 1.

Cap. 13. Nouit.

IVDEX eccleſiaſticus poteſt per viam denunciationis euangelicæ, ſeu iudicialis, procedere contra quemlibet peccatorem, etiã laicum.

QVIA Epiſcopus eſt iudex ordinarius omnium ſuæ diœceſis, & ad ipſum ſpectat prouidere, vt illa malis hominibus purgetur, & peccata euitentur. c. 1. de offic. ord. & c. duo ſunt. diſt. 99. Et quoniam præcipuus modus corrigendi, eſt via denunciationis, cum Dominus dicat in Euangelio: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum, ſi te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum; quod ſi non audierit, dic eccleſiæ; ſi autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Matth. c. 18. Ideo ad corrigendum peccatorem, ſiue clericum, ſiue laicum, poteſt Epiſcopo loci denunciatio fieri. vt in tex. & c. ſolitæ. de maior. & obed. ſicut ad Papam, qui eſt ordinarius omnium, poteſt fieri denunciatio ex toto orbe. extrauag. vnam ſanctam. de maior. & obed. Si enim talis denunciatio non fieret iudici eccleſiaſtico, ſed ſæculari; dubium eſſet, ne ſæcularis iudicaret aliqua non eſſe peccata, quæ eccleſia iudicaret eſſe. Hoſt. in ſum. §. ex præmiſſis. de for. comp. Et ipſe ſuperior, quando peccet non corrigendo, not. in c. error. diſt. 83. & Abb. hic. Et quæ ſit differentia inter denunciationem euangelicam, iudiciajem, canonicam, & regularem, not. hic Hoſtien.

MAXIME ratione periurij, vel pacis fractæ.

QVIA

QVIA periurium eſt maximum peccatum. Matth. cap. 5. Et frangere pacem, eſt peccare contra charitatem c. 1. de treug. & pac. Et quoniam ad eccleſiam ſpectat curare, vt euitentur peccata, & vt charitas ſeruetur, quæ eſt maximè neceſſaria ad ſalutem. 24. q. 3. c. ſi quis. & c. paternarum. Ideo circa obſeruantiam iuramenti, & pacis, maxime eccleſia cognoſcit. vt in tex. & 22. q. 1. c. omne.

Cap. 14. Paſtoralis.

PRINCIPALIS perſona per ſe, non per aduocatum debet factum proponere in iudicio.

QVIA quiſque præſumitur de facto ſuo melius ſcire veritatem, quam ſciant aduocati, vel alij extranei. c. ab excommunicato, & ibi gloſ. de reſcript. & c. videtur. qui matr. accuſ. poſſ. Et quoniam veritas in iudicio ab his, qui eam melius ſciunt, inquirenda eſt. c. ſcriptum. de elect. & c. præſentium. de teſtib. in 6. Ideo ad ea, quæ conſiſtunt in facto, non per aduocatos, ſed per ſeipſas debent partes factum proponere, & reſpondere. vt in tex. & gloſ. in l. 2. C. de iuram. cal. Sed licet aduocati excludantur in propoſitione, & reſponſione facti, ne ſubtilibus cauillationibus auerterent clientulos à propalanda veritate; non tamen per hoc excluditur officium aduocatorum in his, quæ ſunt iuris, circa quæ eorum officium verſatur; vnde quicquid ius tangit, poterit pars expedire per aduocatos. Bald. in d. l. 2. Si tamen aduocatus reſpondeat etiam in his, quæ ſunt facti, iudice, & parte non contradicentibus, talis confeſſio præiudicat parti, quæ in ſui præiudicium conſenſit, & valet etiam quo ad litis conteſtationem. Io. Andr. in c. in præſentia. de probat. Hìc autem non intendit Papa excludere procuratores, qui dicuntur principales perſonæ. Abb. hìc. cum ipſi efficiantur domini inſtantiæ. c. 2. de procur. in 6. adeo quod ſententia eſt ferenda in eorum perſonas. l. 1. C. de ſent. Si tamen dominus iuſtior eſſet, quàm procurator, tunc iudex ex officio poſſet prouidere, vt ipſe dominus veniat per ſe ad reſpondendum. l. fin. C. de procur. & gloſ. penul. in c. 1. de iudic. in 6.

NISI ſit indiſcreta.

QVIA factum eſt proponendum ab his, à quibus veritas melius ſciatur. vt dictum eſt ſuperius. Et quoniam indiſcreti ſæpe fallerentur. c. dilectus. de ſponſal. Et ſimplicitati eſt fauendum. c. cum pro paruulis. de conſecr. diſt. 4. Ideo ſi propter partis ſimplicitatem timeatur, ne in proponendo, & reſpondendo capiatur, eius defectus de iudicis licentia etiam per aduocatum poterit ſuppleri. vt in tex. & l. clarum. C. de auctor. præſt.

Cap.

Cap. 15. Examinata.

SI actio, & intentio sunt ineptæ, vel sola intentio, debet reus absolui ab instantia iudicij.

QVIA non debet actor admitti ad probandum id, quod probatum non releuat. c. cum contingat. de offic. deleg. Et quoniam actore non probante, reus absoluitur. l. qui accusare. C. de edend. cum vnusquisque præsumatur bonus, nisi probetur malus. c. vnic. de scrut. in ord. fac. Et iudex debet sententiare secundum allegata, & probata. c. 1. de conces. præb. in 6. & l. illicitas. ff. de offic. præsid. Ideo vbi aptè non probatur contra reum, fauorabiliora sunt iura ad absoluendum, quàm ad condemnandum. l. fauorabiliores. ff. de reg. iur. Et sic quando ex libello apparet actoris intentio inepta, debet iudex illam pronunciare ineptam, & ab ea aduersarium absoluere. vt in tex. & l. 1. in princ. ff. si mens. falsi. mod. dix. Et hæc, vbi à principio ineptitudo libelli non est patens, nam si illa pateret, deberet iudex ex officio à principio reijcere libellum. c. 1. de offic. Vicar. Et de hoc latius per Iason. in l. 1. ff. de offic. assessor. Similiter intellige, vbi dubium consistit in facto, nam non debet iudex supplere de facto; & sic non debet in continenti talem libellum reijcere, nec probationes actoris supplere, sed debet expectare, donec per debitos terminos obseruatos sibi constet de ineptitudine ex probationibus adductis. glos. fin. & Abb. hic. Sed vbi dubium consistit in iure, tunc iudex ex officio debet supplere, ne iudicium reddatur delusorium. glos. 2. in c. 1. de elect. in 6. & not. in c. causam. de offic. deleg.

ITERVM tamen actor audietur, si aptè gerit.

QVIA per istam sententiam, quæ est interlocutoria, absoluendo reum ab obseruatione iudicij propter libellum male conceptum ab actore, non imponitur finis causæ, sed tantum perimitur illa instantia. l. properandum. §. & siquidem, & ibi glos. C. de iudic. Et quoniam ex diuersis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Ideo per pronunciationem absolutoriam factam in hac parte, non impeditur actor, quin possit postea congruentem, & aptam intentare actionem. vt in tex. Et sic res iudicata in vna instantia, non præiudicat in alia ex diuersa causa. Bart. in l. cum Titia. ff. de accusat. Quod intellige, si iudex dixit; Absoluo te propter libellum male conceptum, vel propter absentiam accusatoris; secus, si dixerit: Absoluo te, quia soluisti, vel quia actor non probauit; nam tunc esset diffinitiua, nec audiretur amplius actor, obstante exceptione rei iudicatæ in tota causa. Abb. hic. & not. in c. abbate. de re iudic. in 6.

Cap.16. Cum deputati.

PRAECEPTORES templi pro domibus ſuis agere, & defendere poſſunt.

QVIA eo ipſo, quod quis præficitur alicui adminiſtrationi, adipiſcitur, & obtinet facultatem agendi ſuper iuribus illius adminiſtrationis, etiam ſi ſit adminiſtrator manualis, vt quia poſſit remoueri ad nutum ſuperioris. Clemen. 1. de reſcript. Et quoniam iſti præceptores comparantur inſtitutoribus, qui dominico negotio proponuntur. Innocent. hic. & not. in c. quod. de fideiuſſor. Ideo prohibetur, ne quis in proſecutione cauſarum domorum ſuarum, ex defectu auctoritatis tales præceptores ab agendo, & reſpondendo repellat. vt in tex. & c. monachi à monaſterio, & ibi gloſ. 16. q. 1.

NEC obſtat eis religio.

QVIA vbi tractatur de vtilitate monaſterij, poſſunt etiam religioſi, & monachi, de licentia ſuperioris eſſe in iudicio. d. c. monachi. Et quoniam talis licentia intelligitur data eo ipſo, quod religioſus eſt adminiſtrationi præpoſitus. gloſ. in d. c. Ideo ex eo, quod ſit religioſus, talis non poteſt ab huiuſmodi cauſis repelli. vt in tex. & c. eorũ. 11, q. 3. licet de honeſtate melius eſſet, ſi ad hæc ſyndicum ſæcularem monaſteria haberent, ne ſerui Dei à choro ad ſtrepitum cauſarum auocentur, & inquietentur. c. vnic. de ſyndic.

VEL quod ignota ſit eorum origo.

QVIA in omni gente, qui facit iuſtitiam, acceptus eſt Deo. c. ad decorem. de inſtitut. Et quoniam, qui præpoſitus eſt à ſuperiore ad aliquod negotium, præſumitur ad illud eſſe idoneus. c. eorum. 11. q. 3. & l. verius. ff. de probat. Ideo vndecunq; venerint tales, diuina gratia vocati, dummodo laudabiliter exequantur officium ſui ordinis, ex ſuperabundanti requiritur notio ſuæ nationis. vt in tex. & Authent. de monach. col. 3.

Cap. 17. Qualiter.

PRAELATI debent laicis de clericis iuſtitiam facere.

QVIA nemini eſt iuſtitia deneganda. l. iuſtitia. ff. de iuſt. & iur. Et quoniam vnuſquiſque eſt coram ſuo iudice conueniendus. c. cum ſit. infr. tit. prox. Et proprius iudex clericorum eſt prælatus eccleſiaſticus. c. 1. de offic. ord. Ideò laicis conquerentibus de clericis ipſi prælati debent plenam iuſtitiam exhibere. vt in tex. & c. 1. infr. tit. prox.

APPELLATIONE fruſtratoria non obſtante.

QVIA

QVIA appellationis remedium, non ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ fuit institutum. c. ad nostram. de appellat. Et quoniam appellatio frustratoria esset ad subterfugiendam iustitiam in præiudicium partis aduersæ. c. pastoralis. d. tit. Ideo talis appellatio non est per iudicem attendenda. vt in tex. & c. vt debitus. d. tit.

AD sæcularem tamen forum, clerici à laicis trahi non debent.

QVIA iudex sæcularis nullam habet iurisdictionem in clericos, nec actu, nec habitu, cum sit incapax illius. c. causam. de præscript. & c. sacerdotibus. 11. q. 1. Et quoniam reus conueniendus est coram eo, qui propter iurisdictionem possit ipsum iudicare. d. c. cum sit. Ideo si iudex ecclesiasticus negligat facere iustitiam contra clericum, non est ad iudicem sæcularem, sed ad superiorem ipsius iudicis ecclesiastici habendus recursus. vt in tex. & c. fin. infr. tit. prox.

ETIAM data ipsorum Prælatorum negligentia.

QVIA minor nunquam supplet negligentiam maioris, nisi in casibus in iure expressis. Innoc. in c. quia. de concess. præb. Et quoniam iudex sæcularis est inferior ecclesiastico: Clemen. Romani. de iureiur. & c. denique. dist. 96. Et in iure non solùm non reperitur expressum, quod sæcularis possit supplere negligentiam ecclesiastici, sed reperitur prohibitum. c. significasti. infr. tit. prox. & c. placuit. & c. inolita. 11. q. 1. Et si per aliqua iura videbatur expressum, puta, per c. si quis cum clerico. d. q. 1. & Authent. Vt clerici. apud propr. episc. in princ. coll. 6. in quantum dicunt, quod, Episcopo negligente, ad ciuilem iudicem discceptatio causæ perueniat; talia iura sunt reuocata per hunc tex. & per alia eis contraria. Ioan. Andr. & Abb. hic. Ideo nullo modo debet sæcularis se intromittere contra clericum. vt in tex. & c. significasti. infra tit. prox. Laicus tamen bene trahitur ad iudicem ecclesiasticum, propter negligentiam sæcularis. c. licet. & c. ex transmissa. d. tit. qui a ecclesia habet iurisdictionem etiam in laicos, quam ad euitandum peccatum, & iniustitiam, potest semper exercere. c. solitæ. de maior. & obed. & supra c. nouit.

Cap. 18. Causam.

IVDEX habens vt priuatus penè consimilem causam, quam habet vt iudex, à iudicando remouetur.

QVIA iudex debet omni suspicione iniustitiæ carere. c. suspicionis. de offic. deleg. Et quoniam iudex videretur nimis fauorabilis esse illi parti, quæ petit coram ipso, vt ipse facit coram alio. vt in tex. nam qua ratione putat æquum, quod petit vt pars, putabit æquum, quod iudicat vt iudex, cum conscientia non possit esse diuisa

in co-

in eodem facto. c. penult. de elect. in 6. Ideo talis iudex legitime poteſt recuſari. vt in tex. & l. prætor. ff. de iuriſd. omn. iud. ſicut ſimiliter is, qui fuit aduocatus, ſeu qui dedit conſilium in cauſa, repellitur à iudicando, tanquam ſuſpectus. c. tria. 3. q. 7. & l. 1. ff. de poſtul. & à teſtimonio repellitur ſimili morbo laborans. c. perſonas. de teſtib. Sed an omnis ſimilitudo cauſæ ſufficiat ad iudicem repellendum? Dic, quod non; nam debet eſſe ſimilitudo in ſpecie, vt quia iudex habet vt priuatus cauſam ſuper exceptione, & committitur ſibi ſimilis cauſa ſuper exceptione; non enim ſufficit ſimilitudo in genere, reſpectu eiuſdem qualitatis, vt quia quælibet ſit ſpiritualis. gloſ. hic. Et regulariter tunc eſt ſimilitudo ſufficiens ad eum recuſandum, quando ex ſimilitudine cauſæ, iudicis cauſa poteſt reddi fortior, aliàs ſecus. Butr. hic. Plures autem legitimas cauſas recuſandi iudicem, not. Ioan. Andr. in c. legitima. de appellat. in 6.

Cap. 19. Exhibita.

SI iudices de principali, & exceptionibus præiudicialibus ſimul cognoſcunt, licitè ab eis appellatur.

QVIA iudices taliter procedendo, iuris ordinem peruertunt, & diuerſis proceſſibus negotium intricant, partem aggrauando; cum exceptiones præiudiciales à parte propoſitæ, prius eſſent per iudicem cognoſcendæ, quàm negotium principale, nam illis probatis, principalis quæſtio eſt perempta. vt in tex. & c. tuam, & ibi gloſ. de ord. cogn. Habet enim iſte ſimultaneus proceſſus repugnantiam quandam, quia tales exceptiones dicunt non eſſe procedendum, & iudex procedendo, maxime videtur iſtas exceptiones reijcere, & tamen nihilominus procedit ſuper ipſis, & ſic videtur ſibi ipſi contrarius. Abb. hic. Et quoniam à quolibet grauamine poteſt pars appellare. c. vt debitus, de appellat. Ideo talis appellatio eſt licita. vt in tex. & l. prolatam, & ibi gloſ. C. de ſent. & interloc. Et ſi diceres; vbi in cauſa omittitur ordo ſubſtantialis, & neceſſarius, vel præpoſteratur, non valet ſententia ipſo iure. d. l. prolatam. Et à ſententia nulla non eſt opus appellare. l. certa. C. quand. prou. non eſt neceſſ. Ad quid ergo hic appellatur? Reſpondetur, diſtinguendo, quod quidam ordo eſt de ſubſtantia, quidam de iuſtitia; Peruerſio ordinis iuſtitiæ non vitiat ipſo facto. gloſ. 2. q. 1. in ſum. & 17. q. 4. c. vxor. Nec alicubi expreſſe probatur, quod ordo hic ſeruandus eſſet ſubſtantificus. Abb. hic. Præterea cautum eſt, ſeruare practicam, quam ponit gloſ. in l. 1. d. tit. quan. prou. non eſt nec. vt dicat appellans; Dico ſententiam nullam, vel ſi aliqua eſt, dico eam iniquam, & ab ea appello. Et de hoc plenius not. Bart. in l. ſi expreſſim. ff. de appellat. Ordo autem iudiciorum eſt, vt offeratur libellus, lis conteſtetur, iuretur de calumnia, depoſitiones teſtium conſcribantur, & publicentur, ſententia ſcribatur, & à iudice

profe-

proferatur. glos. in d. l. prolatam. Non tamen omnia ista sunt de substantia talis ordinis. Bart. in d.l.n.4.

SIMILITER appellatur, si super principali, lite non contestata, testes recipiunt.

QVIA vt ante testium receptionem præcedat litis contestatio, est de substantiâ iudicij.cap.quoniam. §.sunt. vt lite non contest. non proced. ad test. recept. Ideo si omittatur talis ordo, pars grauatur, & processus est nullus. vt dictum est superius, & habetur in c. 1.d.tit.vt lit.non cont. Et si diceres; si est nullus, quare appellauit? Dic, vt forte euitaret facti grauamen, nam iudices solent procedere ad vlteriora, nisi appelletur. Abb.hic. & Bart.in d.l.si expressim.

Cap. 20. Venerabilis.

LAPSV triennij non obstante, potest delegatus in causa sibi commissa procedere.

QVIA de iure canonico appellatur in causa à quolibet grauamine. c.super eo, il 2. de appellat. Quod non fit de iure ciuili, in quo appellatur tantum à diffinitiua, l. ante sententiæ. C. quor. appell. non recip. Et quoniam iudex ecclesiasticus propter huiusmodi frequentes appellationes ab interlocutorijs, multoties non posset causam principalem intra trienniũ terminare, sicut potest iudex ciuilis, cuius iurisdictio per talem appellationem non impeditur. Bald. in c. fin. de dol. & cont. Ideo ne principalis causa remaneat indecisa, non fuit receptum in foro ecclesiastico ius ciuile, de quo in l. properandum. C. de iudic. vt instantia iudicij pereat, si causa non fit finita intra triennium à tempore litis contestatæ. Bart. in d. l. properandum. Sed est sciendum, quod etiam de iure ciuili, si, pendente quæstione coram laico, excipitur, quod instrumentum est vsurarium, vel de defectu natalium, & similium; & sic articulus ille incidens remittitur ad iudicem ecclesiasticum, per quem fit inhibitio sæculari, vt interim non procedat in negotio principali, iuxta ea, quæ not.in c.tuam.de ord.cogn.si labatur tempus instantiæ, scilicet triennium à die litis contestatæ, vel ita remansit modicum de dicto termino, quod non potest iudex ciuilis intra illum causam principalem terminare, poterit causam finire etiam post dictum terminum. fac. d.l.properandum. §.sin autem. & not. Bart. in l. si cum ipse.ff. de excusat. tut. nam ex quo talis dilatio non potest imputari partibus, vel iudici, terminus debet recipere interpretationem à iure, scilicet, si causa intra illum terminum expediri potest. arg.l. 1.& l.vt gradatim. §. 1.ff.de muner.& honor. & not. Cynus in l. 1. C. qui accus.non poss.

Cap.

Cap. 21. Significauerunt.

ACTOR obtinens in possessorio coram iudice rei, non tenetur coram eodem iudice super proprietate respondere, si est prorsus alterius fori.

QVIA licet regulariter sit verum, quod ille, qui cognoscit de possessione, debet cognoscere etiam de proprietate. c. 1. de caus. possess. & propr. Et hoc, ne continentia causæ diuidatur. l. nulli. C. de iudic. & quia facilius cognoscit de proprietate, qui cognouit de possessione, cum iam sit aliqualiter instructus in causa. arg. l. 1. ff. de quib. reb. ad eund. iud. Tamen quoniam causa naturalis vincit accidentalem. l. qui habet. ff. de tutor. Et vbi duo concurrunt, quæ simul stare non possunt, illud, quod est dignius, & potentius est magis attendendum, & præferendum. l. 1. §. idem est. ff. de vsufr. accresc. Et regula, quod Actor sequatur forum rei. c. cum sit. infr. tit. prox. est magis digna, generalis, & naturalis, quàm illa, de continentia causæ non diuidenda, cum alius iudex, scilicet proprius, & naturalis ipsius rei de facili poterit instrui. Abb. hic. & maximè eo attento, quod nihil commune habet proprietas cum possessione. l. naturaliter. ff. de acquir. possess. Ideo potiùs hic est violanda regula illa de continentia causæ, quàm illa de sequendo forum rei; & sic vbi actor, & reus sunt penitus diuersi fori; non tenetur actor in possessorio respondere coram eodem iudice, qui non est suus, in petitorio. vt in tex. & Aretin. consil. 22.

In Sexto. Cap. 1. Iuris.

IVDEX delegatus non habens ad hoc speciale mandatum à Papa, non potest compellere partem, vt personaliter coram eo compareat.

QVIA in causis ciuilibus liberum est cuilibet, per se, vel per procuratorem respondere. c. querelam. ext. de procur. & l. 1. ff. eod. Et quoniam indultum à iure beneficium nemini est auferendum. c. indultum. infr. de reg. iur. Ideo regulariter in causa ciuili non potest iudex compellere partes coram se personaliter in iudicio comparere. vt in tex. & l. in pecuniarijs. C. de procur. Et quod hic dicitur de delegato, similiter intellige de ordinario. l. fin. C. de procur. dicitur autem hic solùm de delegato, quia de ipso magis dubitabatur, qui videbatur posse idem, quod Papa, quo ad illam causam. glos. 3. hic. Si autem haberet ad hoc à Papa speciale mandatum, tunc compellere posset. vt in tex.

quia

quia vbi apparet aliqua facultas ſpecifice data à delegante, illa poteſt exequi per delegatum, ſicut poſſet per ipſum delegantem. c. ſanè. ex. de offic. deleg. Papa autem poteſt compellere quemlibet ad coram ſe comparendum. c. ſolitæ. ext. de maior. & obed. & ſup. de procur. c. penult.

NISI ex rationabili cauſa.

QVIA delegato intelliguntur omnia commiſſa, ſine quibus cauſa expediri non poteſt. c. præterea. ext. de offic. deleg. Et quoniam ſunt aliqui caſus, in quibus cauſa non poteſt expediri per procuratores, ſed debent ipſi principales comparere, puta, ſi cauſa fuerit criminalis, vel ſi citetur pars pro veritate dicenda, vel pro iuramento calumniæ præſtando. vt in tex. & Authent. principales. C. de iureiur. propter cal. dand. Ideo in his caſibus, & in alijs, in quibus iuris neceſſitas exegerit, poteſt iudex compellere partes coram eo perſonaliter præſentari. vt in tex. & c. exceptionem. extra. de except. Et in his caſibus non ſufficit mittere procuratorem, ſi ſit citatus quis ad perſonaliter comparendum, ſed ſi ipſe ire non poteſt, debet mittere nuntium ad allegandam cauſam abſentiæ. gloſ. in c. fin. extra. de maior. & obed. Et in talibus debet iudex exprimere cauſam, quare citat ad perſonaliter comparendum, aliàs citatio non valet, niſi ſtatus cauſæ hoc requirat, vel forma reſcripti id habeat. Ioan. Monach. & Gemin. hìc. Sicut ſimile eſt in citato, tempore feriato in fauorem hominum. c. Romana. §. caueant. infr. de ſent. excom. & l. 1. ff. de ferijs.

Cap. 2. Mulieres.

MVLIERES perſonaliter ad iudicium, quacunque cauſa in iure non expreſſa, inuitæ trahendæ non ſunt.

QVIA non conuenit mulieres euagari, nec virorum cœtibus immiſceri. vt in tex. & l. maritus. C. de procur. periculoſa eſt enim ſexuum commixtio. c. diffinimus. 18. q. 1. Et quoniam lex debet eſſe honeſta. c. erit autem. diſt. 4. Ideo prohibetur, ne cauſa ferendi teſtimonium, aut alia cauſa, quæ in iure non reperiatur expreſſa, mulieres ad iudicium perſonaliter euocentur, vel inuitæ trahantur. vt in tex. & l. ſancimus. C. de arbitr.

SED ſi neceſſarium ſit ipſarum teſtimonium in cauſa, iudex expenſis producentis interdum ibit, interdum mittet.

QVIA vbi ſunt faciendæ expenſæ circa modum probandi, ille debet facere eas, qui probare intendit. cap. ſtatutum. §. penult. ſup. de reſcript. & c. præſentium. infr. de teſtib. Et quoniam poſſet eſſe ea conditio perſonæ iudicantis, vt non deceret talem perſonaliter ad quaſcunque mulierculas accedere, vel quod alia legitima cauſa impe-

diretur.c. 1.sup.de offic.ordin. Ideo in huiusmodi casibus conceditur, vt iudex possit suum officium alicui personæ idoneæ committere, quæ ad tales mulieres pro causæ informatione, expensis producentis accedat. vt in tex.& c.si qui. ext.de testib.

ET iudex fraudulenter vadens, excommunicatus est.

QVIA possent sæpe iudices facere fraudulenter nominare aliquam mulierem in testem, vt haberent occasionem accedendi ad illam. glos.ver.non fingatur. Et quoniam fraudibus est obuiandū. c.sedes.ext.de rescript. Ideo ad prouidendum contra tales, sententia excommunicationis imponitur ipso facto incurrenda. vt in tex. Sed ex quo Papa non reseruat sibi absolutionem, illa intelligitur Episcopis esse concessa.c.nuper.ext.de sent.excom.

MVLIERES religiosæ, etiam volentes, extra monasterium suum ex aliqua causa, personaliter ad iudicium trahi non possunt.

QVIA moniales tenentur seruare clausuram, ita quod nulli earum religionem tacitè, vel expressè professæ, esse valeat quacunque ratione, vel causa (nisi fortè tanto, & tali morbo, euidenter earum aliquam laborare constaret, quòd non posset cum alijs absque graui periculo, seu scandalo commorari) monasteria ipsa egrediendi facultas; vt sic à publicis, & mundanis conspectibus separatæ, omnino seruire Deo valeant liberiùs, & lasciuiendi opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora, in omni sanctimonia diligentius custodire.c.vnic.infr.de stat.regul. Et quoniam contra ea, quæ principaliter statuta sunt in fauorem religionis, & in publicum bonum, quis fauori suo renunciare non potest.c.si diligenti.ext.de for.comp. & cap. contingit. de sent. excom. Ideo, licet mulieres sæculares non possint trahi in iudicium inuitæ, sed volentes, sic. vt sup. in tex. religiosæ non possunt trahi etiam volentes. vt in tex. & c.indemnitatibus. §. porrò. sup. de elect.

QVOD contra prædicta fit, est irritum.

QVIA hic apponitur clausula, irritans ipso iure quicquid contra præmissa contigerit attentari. vt in tex. Et quoniam vbi apponitur talis clausula, contrafactum est nullum ipso facto. Clem. 1. de elect. Ideo non est opus, vt talia annullentur per exceptionem, sicut est in illis, quæ fiunt contra ius, quod non apponit istam clausulam. vt not.in c.quia propter.extr.de elect.

Cap. 3. Si annum.

MAIOR xiiij. annis, per se, & per procuratorem potest agere, & defendere causam spiritualem.

QVIA

QVIA in tali ætate homo ita ratione conualeſcit, vt & ab alijs capere poſſit, & per ſe ipſum conſiderare ea, quæ ad ipſius perſonam pertinent. S.Thom.par.3.q.43.art.2.in addit. Et quoniam ob iſtam rationem ius approbat perſonas talium, vt ſint habiles,& capaces ad tractandum ſpiritualia extraiudicialiter. c.indecorum. extr. de ætat. & qual.præfic. Ideo ſimiliter approbat, vt ſint habiles ad eadem iudicialiter, & per ſe, & per procuratores. vt in tex. & Gemin. hic. ratione tamen læſionis poterunt in talibus petere reſtitutionem, prout alij minores. Franc. hic.

MINOR xiiij. perſe non agit.

QVIA in tali ætate homo per ſe non ſufficit ad intelligendum ea, quæ ad ipſius perſonam pertineant peragenda. S.Tho.d.q.43. ar. 2. & Ariſt. 2. animal. cap. 4. Et quoniam ob id non cenſetur habilis ad tractandum iſta ſpiritualia extra iudicium.d.c. indecorum. & Conc.Trid.ſeſſ.23.cap.6.Ideo nec ſimiliter eſt habilis in iudicio, in quo vertitur maius periculum,& præiudicium,propter tranſitum,qui poteſt fieri in rem iudicatam.c.qui generaliter. §.licet.infr. de procur.

SED per procuratorem, vel per curatorem datum auctoritate ordinarij eccleſiaſtici iudicis.

QVIA ad iudicem ſuperiorem ſpectat prouidere,ne perſonę in iudicio remaneant indefenſæ. l. 1. ff. de poſtul. Et quoniam cauſa ſpiritualis eſt coram eccleſiaſtico iudice tractanda.c.eccleſia.ext. de conſtitut. Ideo talis deputatio non eſt per iudicem ſæcularem facienda, ſed per eccleſiaſticum illum, coram quo cauſa ipſa venit agitanda. vt in tex.& c.bene quidem.diſt.96.

ET etiam delegati dati ad cauſas illas.

QVIA ad cauſam tractandā, requiritur pro eius iuridica expeditione, quod perſona legitima compareat in iudicio. l.in vniuerſis. C. qui dari tut. vel cur. Et quoniam delegato intelliguntur omnia conceſſa, ſine quibus cauſa commiſſa rectè expediri non poteſt. c.præterea.ext.de offic.deleg. Ideo iudex delegatus,pro legitima cauſæ expeditione, poteſt talem procuratorem,vel curatorem deputare. vt in tex.& l.ad legatum.ff.de procur.

FILIVSFAMILIAS ſine patris aſſenſu agit cauſam ſpiritualem.

QVIA bona acquiſita per clericum,cenſentur peculium caſtrenſe, vel quaſi.Bart.conſ.65.Et quoniam filijfamilias in caſtrenſi peculio vice patrumfamilias funguntur.l.2. ff. ad Macedon. Ideo in his ſpiritualibus pertinentibus ad filium, pater ſe intromittere non debet. vt in tex.& c.quæritur. 2.q.7.

INCLEMENT. Cap. 1. Dudum.

CONSTITVTIO Bonifacij, quæ habet, quòd citationes, etiam extra dies ſolemnes, publicè factæ de mandato Papæ, in audientia literarum Apoſtolicarum, vel Papali palatio, affixæ ianuis maioris eccleſiæ loci, in quo Papa cum ſua curia degit, arctent citatum, ac ſi ad eum perſonaliter deueniſſent, reſtringitur ad eos, qui impediunt, ne ad eos poſſit citatio peruenire, vel quorum domicilium tutè non poteſt adiri.



VIA conſtitutio illa, quæ emanauit poſt compilationem Sexti; & incipit; Rẽ non nouam; inſerta in Extrau. comm. de dol. & cont. fuit edita à principio rationabiliter ſub tali generali modo citandi, propter malitiam temporis tunc inſtantis. vt in tex. Nã ipſe Bonifacius habebat tũc multos perſecutores, cõtra quos erat opus per talia edicta procedere. Guliel. de Laud. & Zabar. hìc. Sed quoniã ceſſante cauſa, ceſſat effectus. c. cum ceſſante. ex. de appellat. conſtitutio illa nonnullis nimis rigoroſa poſtea videbatur. vt in tex. nam ſi generaliter permitteretur citatio iuxta dictam conſtitutionem, eſſet opus, vt pro habenda notitia de tali citatione, quilibet haberet ſemper procuratorẽ in curia; quod eſſet durum. Zabar. nu. 18. Ideo Clemens V. volens rigorem iſtum manſuetudine temperare, cõſtitutionem illam, & præfatum modum citandi reſtringit ad illos tantum, & in illis locum vult ſibi vendicare, qui faciunt, impediunt, vel procurant per ſe, vel per alios quoquo modo, ne ad eos poſſit citatio peruenire, vel quorum domicilia, ſiue loca non poſſunt tutè, liberevè adiri; Sed ei, quod circa citationes abſentium tam diebus ſolemnibus, quàm alijs, eccleſia Romana diuerſis ex cauſis interdum facere conſueuit, per præſentem conſtitutionem, ſeu moderationem, in nullo vult derogari. vt in tex. In caſibus autem hìc permiſſis bene eſt talis citatio rationabilis, quia ex quo tot oculis tranſeuntium publicè legenda ſubijcitur, præſumitur ad notitiam citati eſſe peruentura; & ſi non peruenit, ſibi imputet, qui dat impedimentum, ne poſſit aliter citari. Zabar. n. 11. Sicut ſimiliter olim proponebantur in albo edicta prætorum. l. ſi quis. C. de iuriſd. omn. iudic. Et bene poteſt Papa citare quoſcunque, & vndecunque. gloſ. ver. vndecunque. quia, ipſe eſt vicarius illius, cuius eſt terra, & plenitudo orbis terrarum. cap. cuncta. 9. q. 3.

Cap. 2. Diſpendioſam.

IN cauſis, etiam pendentibus, beneficialibus, decimarum, matrimonialibus, & vſurarum, & ipſas tangentibus, procedi poteſt ſimpliciter, & de plano, abſque iudiciorum ſtrepitu, & figura.

QVIA

QVIA ex obſeruatione ſubtilis ordinis iudiciarij, lites interdum nimium protrahuntur. vt in tex.& c.dilecti.ex.eod. Et quoniam protelatio cauſarum beneficialium, & matrimonialium eſt periculoſa; ne interim coniuges ſeparati committant adulterium, & ne eccleſiæ vacantes patiantur in ſpiritualibus,& temporalibus detrimentum.c.quoniam.§.porro.ex.vt lit.non conteſt.& c.ne pro defectu.ex.de elect. Et ſimile periculum peccati eſt in cauſis vſurarum, cum vſurarij teneantur ad reſtitutionem, & interim ſtent in peccatis.c.quia. ex.de vſur.Et ſimiliter debitas decimas non ſoluentes.c.peruenit.ext. de decim. Ideo æquitas ſuadet, vt in his caſibus deſiderantibus celerem litium expeditionem, detur iudici facultas, vt poſſit abſque ſtrepitu, & figura iudicij,ſimpliciter, & de plano procedere. vt in tex.Et quoniam idem ius eſt de annexo, quod de principali. c. translato. ex.de const. quod intellige, quando eſt eadem ratio. c. 2.de transl. epiſc. Ideo talis facultas datur etiam in alijs cauſis tangentibus iſtas.vt in tex.Sed quoniam hic dicitur,quod iudex valeat procedere iſto modo,per quod verbum, valeat, non imponitur neceſſitas, ſed relinquitur eius arbitrij libertas.c.conſuluit.ex. de offic.deleg.Ideo poterit procedere de plano, vel ſeruare ordinem iudiciarium, ſecundum quod magis expedire arbitrabitur. l.non quicquid. ff.de iudic. Et quoniam conſtitutio reſpicit futura, non autem præterita, niſi exprimatur. c.2.ex. de conſtit. Ideo hic exprimitur, quod hæc conſtitutio extendatur, etiam ad tales cauſas tunc incæptas, & pendentes. vt in tex. Sed nunquid alius, quàm Papa, poteſt committere cauſam cognoſcendam ſine figura iudicij? Dic, quod non. Specul.de legat.§. ſupereſt. quia inferior à Papa non poteſt immutare canonicam diſpoſitionem. Clemen.2.de elect. Et quid importent in iudicijs hæc verba, ſimpliciter, & de plano, vide Clem. ſæpe. de verb. ſign.

IN Extrauag.Commun. Cap.vnic. Frequentes.

DECRETALEM. Super cathedram, quæ eſt innouata in Clem. dudum. de ſepult. iubet obſeruari.

QVIA per illam decretalem imponitur finis multis differentijs, quæ vertebantur inter fratres mendicantes, & prælatos, ac locorum clericos; dum in ea ſtatuitur,quid per ipſos in talibus fit obſeruandum. d.Clem. dudum. Sed quoniam diuerſi epiſcopi,& cleri querebantur,quod ipſi fratres illam non obſeruabant. vt in tex. Et quia parùm eſt iura condere, niſi,qui ea tueatur, exiſtat.l.2.§. poſt. ff. de orig. iur. Ideo per hanc conſtitutionem ſub diuerſis pœnis præcipitur,tàm

dictis fratribus, quàm ipsis prælatis,& clericis, vt illam decretalem debeant obseruare. vt in tex. Pœna enim est opportunum remedium ad impediendam legis transgressionem.c.qui ea.dist.38.

NEQVE propter illam debent religiosi mendicantes esse molesti, & graues prælatis, neque prælati ipsis religiosis.

QVIA quæ sunt prouisa ad concordiam, non sunt trahenda ad noxam. c.licet. dist.45. Ideo ex quo illa decretalis statuit multa pro concordia dictorum religiosorum, & loci prælatorum, & clericorum, non sunt per illam quærendæ nouæ occasiones inter ipsos desidendi; sed eius fini, & ordinationi ab eis est parendum. vt in tex. & d. Clem.dudum.

ET si sint aliquæ iniuriæ, vel molestationes hinc inde factæ, Papa vult iustitiæ complementum breuiter exhiberi, summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, vel aliter, prout qualitas excessuum exigit.

QVIA ex obseruatione subtilis ordinis iudiciarij, lites quandoq; nimium protrahuntur. Clemen.2.sup.eod. Et quoniam inter religiosos maximè sunt lites amputandæ,& citò expediendæ, ne per strepitum iudiciorum à diuino cultu serui Dei auocentur; & ne laici de illorum discordia scandalum patiantur. c. quorundam. de elect. in 6. Et religiosis, & clericis opprobrium est scire forenses disceptationes. l. consulta.C.de testam. Ideo discordiæ ortæ inter religiosos, & clericos, sunt breuiter, & sine iudicij strepitu amputandæ. vt in tex. & c.fin. ex. de regular.

NON obstantibus quibuscunque obstaculis, quæ possent his obuiare.

QVIA talia obstacula circa subtilem ordinem iudiciarium obseruandum, sunt de iure positiuo. d. Clem.2.& Clemen. sæpe. de verb. sign. Et quoniam Papa est supra ius positiuum. c. inter. ext. de transl. episc. Ideo ex quo ipse præcipit per hoc nouum ius, tales subtilitates non esse in his casibus obseruandas, huic constitutioni est parendum. vt in tex.Et quæ sint istæ subtilitates sublatæ, not.in d.Clem. sæpe. & c.fin.de hæret.in 6.

Liber Secundus. Titulus Secundus.

DE FORO COMPETENTI.

In Decretal. Cap. 1. Si quis.

CLERICVS coram ſuo Epiſcopo conueniri debet.



QVIA vnuſquiſque coram ſuo iudice eſt conueniendus. infra. c. cum ſit. nullus enim poteſt iudicare aliquem, niſi aliquo modo eius ſubditus exiſtat, vel per commiſſionem, vel per poteſtatem ordinariam. S.Th. 2.2. q.67. art. 1. Et quoniam proprius iudex clericorum, & in ſua diœceſi ordinarius, eſt epiſcopus. c. 1. de offic. ord. & c. peruenit. 11. q. 1. Ideo ſi quis clericus aduerſus clericum negotium habeat, non deferat proprium epiſcopum, ſed prius apud ipſum actio ventiletur, vel conſilio eiuſdem apud alios, quos vtraque pars voluerit, iudicium obtinebunt. vt in tex. & & c.de perſona. d. q. 1. Epiſcopus autem proprius dicitur, vel ratione domicilij. infr.c.dilecti,& c.fin.vel ratione beneficij; quod quis obtinet in loco, licet ſit alterius diœceſis; quod intellige, quando agitur de illo beneficio tantum, ſi non requirit reſidentiam. infr.c.ſanè, & de reſcript.c.dilectus,il 2. ſi verò exigit reſidentiam, tunc, cum ibi contrahat domicilium. Innoc.in c.ex ore. de priuil. idem dicendum, quod de iudice domicilij, vt poſſit ibi conueniri etiam de alibi geſtis. infr.c.fin. Item dicitur proprius ratione originis, licet quis alibi habeat domicilium. c.3.de tempor.ord.in 6.& l.aſſumptio.ff.ad municip. quod intellige, vt ibi poſſit conueniri, ſi ibi reperitur, & non aliter. Bart. in d. l. Item poteſt dici proprius ratione ordinis ab eo recepti. gloſ.in l. hæres abſens. ver. debebit, quæ latè enumerat, quibus modis quis ſortiatur forum.ff.de iudic. Quod procedit, quando eum ordinauit nomine proprio tanquam ſuum ſubditum, vt quia habebat domicilium in ſua diœceſi; ſecus ſi ordinauit ex commiſſione alterius epiſcopi, quia ille tunc cenſetur ordinaſſe, qui commiſſionem dedit. c. ſi epiſcopus. de præb. in 6. Item quantum ad caſum huius tex. vt ibi poſſit conueniri, poteſt dici proprius epiſcopus ratione contractus, rei, vel delicti. infr. c.fin.& Federic.conſ.33. Aduerte tamen, quod ratione rei, contractus, vel delicti, non dicitur quis propriè ſubditus, licet ſortiatur forum, vt ibi poſſit conueniri. gloſ.in Clemen. 1. infr. eod. & gloſ.in c. nuper. de ſent. excomm.

Cap. 2. Nullus.

IVDEX ſæcularis, ſi clericum per ſe diſtringit, vel condemnat, excommunicari debet.

QVIA talis iudex, ſic ſe intromittendo in perſonam ſpiritualem, quę non pertinet ad eius forum, ſed ad eccleſiaſticum, iniuriam eccleſiæ irrogat. vt in tex. & c. eccleſia. de conſtitut. Et quoniam graue peccatum grauem pœnam meretur. c. diſciplina. diſt. 45. Et dignum eſt, vt quis puniatur in eo, in quo peccauit. c. literas. de temp. ordin. Ideo ſtatuitur, vt talis iudex tandiù ſit per excommunicationem ab eccleſia ſequeſtratus, quouſque reatum ſuum cognoſcens, emendet. vt in tex. & c. ſicut. 17. q. 4.

Cap. 3. Sanè.

RATIONE rei, de qua agitur, ſortitur quis forum ibi, vbi res eſt.

QVIA æquiparantur quatuor modi, per quos ſupponitur quis iuriſdictioni alterius, ſcilicet, ratione delicti, ratione contractus, ratione domicilij, & ratione rei. infr. c. fin. & gloſ. in l. hæres. ver. debebit. ff. de iudic. Et quoniam quando quis poteſt apud diuerſos iudices conueniri, electio fori eſt actoris. gloſ. fin. in l. fin. C. vbi in rem act. exer. deb. Ideo licet quis habeat domicilium in alio loco, poteſt per actorem conueniri in loco, vbi eſt ſita res, de qua contenditur. vt in tex. & l. forma. §. ſi verò. ff. de cenſib.

Cap. 4. Si quis.

EPISCOPVS vt ſuſpectus recuſatus, de cuius ſuſpicione notoriè conſtat, poteſt dare delegatum partibus non ſuſpectum.

QVIA cauſa, cur Epiſcopus ſuſpectus non debet cognoſcere per ſe ipſum, eſt veriſimile periculum, ne iniuſtè grauet vnam partem, & faueat alteri. c. ſuſpicionis. de offic. deleg. Et quoniam tale periculum ceſſat, quando ipſe committit cauſam perſonæ neutri parti ſuſpectæ, maximè ſi committat de partium conſenſu. c. ad hæc, il 3. de appell. Ideo licet propter huiuſmodi ſuſpicionem epiſcopus non debeat habere exercitium iuriſdictionis in cauſa principali, habet tamen iuriſdictionem, per quam poteſt cauſam delegare. vt in tex. & c. cum ſpeciali, & ibi gloſ. ver. de recuſatoris. de appellat. Et hoc, quando negotium non remittitur ad ſuperiorem, vel iudex cum partibus non curat, vt eligantur arbitri ad cognoſcendum de ſuſpicione. Abb. nu. 8. nam aliàs, eſſet tunc procedendum iuxta diſpoſitionem d. c. cum ſpeciali, & c. peruenit. 11. q. 1.

CVIVS ſententiam poterit per ſe executioni mandare.

Quia

QVIA episcopus in tali casu esset potius executor, quàm iudex. Abb.n.11.Et quoniam executor,qui non excedit modum in exequendo, non grauat.c.nouit, de appellat. Ideo ex quo cessat suspicio grauaminis, quæ erat in iudicando, non remouetur ab episcopo facultas in exequendo. vt in tex, & Abb.n.32.Non tamen prohibetur, quin etiam talis delegatus possit per seipsum propriam sententiam executioni demandare. glos. ver. ipsius. quia ex quo causa sibi committitur, intelliguntur etiam omnia esse commissa,quæ ad ipsam causam spectare noscuntur,& sine quibus illa expediri non potest. c.præterea, & c.ex litteris,de offic.deleg.

Cap. 5. Si clericus.

SVPER re ecclesiæ, vel clerici, potest laicus coram ecclesiastico iudice conueniri.

QVIA laici, vt plurimùm, sunt negligentes in exhibendo iustitiã clericis.infr.c.cum sit. Et quoniam ex detentione rei ecclesiasticæ per laicum,præsumitur mala detentio.c.episcopi.de reb.eccl.non ali.& c.nulli.12.q.1.Ideo in fauorem ecclesiæ est introductum, vt in hoc casu iudex ecclesiasticus habeat iurisdictionem, licet reus sit laicus. vt in tex.& inf.c.ex tenore.

SED si probabiliter negat,rem esse ecclesiæ, vel clerici, ad iurisdictionem ecclesiasticam declinandam,conuenitur coram suo iudice.

QVIA cum non appareat tunc,rem esse ecclesiasticam, cessat illa mala præsumptio iniustæ detentionis contra laicum. Abb.hic.Et quoniam generalis regula est;vt actor forum rei sequatur.infr. c.cum sit.Ideo de rigore iuris tunc laicus debet ad forensem iudicem trahi.vt in tex.& c.experientiæ. 11. q.1.

Cap.6. Ex transmissa.

SI quæstio feudalis est inter clericum, & laicum, cognoscet dominus feudi.

QVIA dominus feudi habet in causa feudali iurisdictionem ordinariam priuatiue quo ad alios iudices, dummodo ipse possit, & velit iustitiam administrare.c.cæterum.sup.tit.prox.& l.imperialem. §. præterea.in lib.feud.tit.de prohib.feud.ali. Et quoniam in tali causa etiam clericus subijcitur domino feudi,quamuis laico.inf. c.prox.Ideo in quæstione feudali inter clericum.& laicum,cognoscit dominus feudi. vt in tex.& c.solitæ.de maior.& obed.

SED, eo negligente,cognoscet delegatus Papæ,etiam ante negligentiam datus.

QVIA

QVIA litteræ conceſſæ ad talem delegatum ſuper hac cauſa, non ſunt ipſo iure nullæ, ſed ſunt in ſuſpenſo, vt effectum ſuum recipiant, data domini negligentia. Abb. hic. & Specul. de compet. iud. adit. n. 6. Ideo per negligẽtiam domini feudi, iuriſdictio, quæ prius erat inefficax apud delegatum, modo eſt efficax, & per eum poteſt actu exerceri. vt in tex. & infr. c. licet. Sicut ſimiliter delegatus per negligẽtiam perdit iuriſdictionem, & trãsfertur ad ordinarium. c. ſignificauit. de offic. ord. & c. prudentiam. de offic. deleg.

Cap. 7. Verùm.

PER dominum feudi ſæcularem, ſiue eccleſiaſticum, quæſtio feudalis terminari debet, etiam ſi vaſſalli ſint clerici.

QVIA dominus feudi ita præcellit illos, qui ab eo recipiunt iſta temporalia, quod in talibus eſt eorum iudex ordinarius. ſup. c. prox. & l. imperialem. de prohib. feud. ali. Et quoniam dominium directum remanet penes dominum infeudantem, licet per infeudationẽ tranſeat dominium vtile in perſonam infeudatam. Bald. in tit. de controuer. feud. apud par. ter. in lib. feud. Ideo appellatur dominus feudi, & cognoſcendo in cauſa feudali, ſiue ſit inter clericos, ſiue inter laicos, potius iudicat ſuper re, quæ recipit naturam ab ipſo, quam à perſona infeudata. c. ſolitæ. de maior. & obed. & c. cũ in officijs. de teſtib. Omnis enim fructus nõ iure feminis, ſed iure ſoli percipitur. l. qui ſcit. ff. de vſur.

ET ſi plures prætendantur domini, non poteſt vnus cognoſcere, maximè alio abſente, an feudum ad eum pertineat.

QVIA quod omnes tangit, ab omnibus eſt approbandum, ne alicui ſine ſuo facto præiudicium generetur. c. ad hæc. de offic. archid. Ideo ex quo iſtud dominium pertinet ad plures, non vt ad vniuerſitatem, quo caſu ſufficit, quod fit à maiori parte eorum. c. 1. de his quę fi. à ma. par. cap.; ſed ad plures, vt ad ſingulos, quo caſu, omnium requiritur conſenſus. c. cauſam, il 1. de offic. deleg. dum non poteſt alterius defectus imputari, omnium cognitio eſt ad cauſam requirenda. vt in tex. & l. fin. C. de auctor. præſt.

Cap. 8. Cum ſit.

MALEFACTORES eccleſiarum, in vtroq; foro conueniri poſſunt.

QVIA licet generale ſit; vt actor forum rei ſequatur. ſup. c. ſi clericus. & l. iuris ordinem. C. de iuriſd. omn. iudic. Tamen quoniam ſæculares iudices in exhibenda iuſtitia perſonis eccleſiaſticis, ſæpe in iudicio ſunt remiſſi. infr. c. licet. & 23. q 5. c. adminiſtratores. Ideò in fauorem eccleſiæ eſt introductum, vt malefactores ſuos, qui ſacrilegi ſunt cenſendi, venerabilium locorum rectores poſſint ſub quo

malue-

maluerint iudice conuenire. vt in tex.& l. ſi quis in hoc genus. C. de epiſc. & cler. Et vbi diuerſi iudices poſſunt in cauſa procedere, inter eos eſt locus præuentioni.infr.c.propoſuiſti.Sunt etiam alia crimina, in quibus eccleſia procedit contra laicos, puta, crimen vſurarum, hæreſis, ſimoniæ, periurij, adulterij, & de quocunq; peccato.gloſ.hic.& c. nouit. de iudic.Item crimen falſi,quod committitur in litteris Apoſtolicis.c.ad falſariorum.de crim.falſ.Item crimen concubinatus, cum hoc crimen ſit prohibitum originaliter ab eccleſia. c. nemo. 32.q.4. Et maximè ſi fuerit commiſſum cum clerico.Federic. conſil.162. Item per eam puniuntur laici ſortilegi,& diuinatores.c.contra idolorum, & ibi gloſ.26.q 5.quos tamen poteſt etiam iudex ſæcularis punire.l.3. C.de malef.& mathem. Inquiſitor autem hæreticæ prauitatis non poteſt ſe de his intromittere,niſi ſapiant hæreſim manifeſtam. c.accuſatus.§.ſanè.de hæret.in 6.ſed ſuis iudicibus hoc relinquitur. Io.And.in d.c.Item ſe ingerit, quando delictum concernit ſtatum totius Chriſtianitatis. c.1.de homicid.in 6.Item cum crimen laici eſt commiſſum in eccleſia. Cyn.in l.præſenti.C.de his,qui ad eccl.conf.& Oldrad. conf.86. Item in defectum ſuperioris.c.per venerabilem. qui fil. ſint leg.& in alijs caſibus comprehenſis per hos verſus;

Hæreticus, ſimon, ſeruus, periurus, adulter,
Pax, priuilegium, violentus, ſacrileguſq;,
Si vacat imperium, ſi negligit, ambigit, an ſit:
Suſpectus iudex, ſi ſubdita terra, vel vſus;
Ruſticus, & ſeruus, peregrinus, feuda, viator;
Si quis pœniteat, miſer aut ſit, cauſaq; mixta.
Si denunciat eccleſiæ quis, iudicat ipſa.

gloſ. infr. in c. licet. Et in quantum dicitur, quod de quolibet peccato poteſt eccleſia ſe ingerere contra laicos, intellige hoc procedere, quando directè agitur ad pœnitentiam, vel per viam denunciationis, iuxta not. in c. nouit. de iudic. ne aliàs in totum euacuetur forus ſæcularis. Abb. nu. 17. & 29. Et vt circa prædicta habeatur generalis doctrina, dic, quod quædam ſunt crimina merè eccleſiaſtica, & dicuntur talia, vel quia tantum ab eccleſia prohibentur, vel quia laici propter maximum periculum ſe intromittere non poſſunt. vt de primo eſt exemplum in crimine vſurarum, quando dubitatur de ſubſtantia vſuræ. c. ſuper eo. & c. cum tu. de vſur. & de ſecundo,in crimine hæreſis.c.vt inquiſitionis.§. prohibemus. de hæretic. in 6.Quædam ſunt crimina eccleſiaſtica,ſed non merè, vt quia etiam iudices laici poſſunt in illis ſe intromittere, ſed eccleſia ratione alicuius qualitatis poteſt etiam laicos punire, vt in ſacrilegio,diuinationibus. & ſimilibus; Quædam ſunt crimina mixta,quia prohibita per vtrunq; ius, ſed non ſubeſt aliqua qualitas tribuens iuriſdictionem eccleſiaſtico,& tunc laici puniuntur per iudicem ſæcularem,& clerici per

eccle-

eccleſiaſticum. gloſ. in c.2. de reg. iur. in 6.& c.cauſam.qui fil.ſint leg. Quædam ſunt crimina merè ſæcularia, vt quia à iure ciuili tantùm inuenta ſunt illa delicta,quæ in ſe non ſunt delicta, & de illis ſe ingerit tantùm ſæcularis directè. Abb.hic. Alia regula eſt,quod eccleſia poteſt ſe intromittere de criminibus laicorum,quando crimina ſunt adinuenta de iure canonico, ſeu habeat originariam prohibitionem à canonibus, & non à legibus, vel vbi reperitur a canonibus impoſita pœna etiam ſæcularibus,vt in d.c.contra idolorum. etiam ſi illa ſit tantum excommunicatio. Abb.hic. Item indirectè ratione peccati, poteſt ſe intromittere contra laicum de omni crimine,de quo dicendum,vt not. in c. nouit.de iudic.

Cap.9. Quod clericis.

CAVSAE clericorum ſecundum iura,non ſecundum conſuetudines laicorum, terminantur.

QVIA ſicut laici non poſſunt condere leges circa clericos, & eccleſias,cum ſuper talibus nullam habeant iuriſdictionem;ſed maneat eos obſequendi neceſsitas, non imperandi auctoritas. c.eccleſia. de conſtit.ita non poſſunt circa eos introducere conſuetudines, quæ habeant vim legis.c conſuetudo.diſt.1.ne quod vna via prohibetur,altera admittatur.c.tuæ,& ibi gloſ.de procur.Et quoniam iuris canonici cõſtitutiones ſunt generales leges clericorum.c.1.de conſtit. Ideó cauſæ clericorum ſecundum iuris canonici diſpoſitionem ſunt terminandæ. vt in text.& l.cum clericis.C.de epiſc.& cler.

Cap.10. Licet.

LAICVS laicum ſuper re ciuili coram iudice eccleſiaſtico conuenire non poteſt.

QVIA proprius iudex laicorum eſt iudex ſæcularis ſup.c. ſi clericus. Et quoniam vnuſquiſque coram ſuo iudice eſt conueniendus.ſup.c. cum ſit. Ideo regulariter laicus à laico eſt coram ſæculari iudice conueniendus. vt in tex. & c.ſolitæ. de maior.& obed.

NISI in defectu iuſtitiæ ſæcularis.

QVIA ad euitandum peccatum,iudex eccleſiaſticus habet actualem iuriſdictionem contra quoſcunque.c.nouit.de iudic.Et quoniam,ſi vbi deficit iudex ſæcularis, non ſe intromitteret eccleſiaſticus, ſæpe reus remaneret in peccato.infr.c.prox. Ideo in defectu iudicis ſæcularis poteſt laicus coram eccleſiaſtico conueniri.vt in tex.& ſup. c.ſi clericus. Non tamen ſæcularis poteſt ſic ſupplere defectum eccleſiaſtici. Hoſt.in ſum.huius tit. §.liquet. quia ipſe eſt incapax eccleſiaſticæ iuriſdictionis. c. eccleſia. de conſtit. nec ipſe in dubio iudicat de peccato, ſicut facit eccleſiaſticus. d.c.nouit.

VEL

VEL nisi consuetudo id exposcat.

QVIA consuetudo dat iurisdictionem; quando est talis persona, quæ sit capax illius. infr.c.cum contingat & c. dilecti. de arbitr. Et quoniam iudex ecclesiasticus est capax exercendi iurisdictionem in laicos.c.1.de offic.ord. Ideo si fit consuetudo, vt laicus conueniatur coram ecclesiastico, illa, tanquam ius, est obseruanda. vt in tex.& supr.c.si clericus.

Cap. 11. Ex tenore.

VIDVA laicum coram iudice ecclesiastico conuenire non potest.

QVIA iniustitia fieret laico, si coram suo iudice sæculari non conueniretur.supr.c.cum sit. Et quoniam cum alterius detrimento, alteri subuenire non licet. c. denique. 14. q.v. Ideo licet viduæ sint sub protectione ecclesiæ. dist.87. per totam. ecclesia tamen ita debet eis pro iustitia fauere, quod alijs iniustitiã non faciat. vt in tex. & c.nuper.de donat.inter vir. & vxor. Si autem esset non solum vidua, sed vidua, & pauper; vel vidua, & oppressa; tunc ecclesia ei magis succurreret, & se contra laicum illam opprimentem intromitteret.c.super.de verb.sign.& c.si quis de potentibus.24.q.2.

NISI super causa ecclesiastica.

QVIA ratione talis causæ laicus fit de foro ecclesiastico, & illius iurisdictioni subijcitur. vt not.supr.in c.cum sit. Et quoniam qui vtitur iure suo, nemini facit iniuriam. c. cum ecclesia. de elect. Ideo sine iniuria potest laicus per viduam in tali causa coram iudice ecclesiastico conueniri.vt in tex.& supr.c.prox.Et quæ sint causæ ecclesiasticę.not.in d.c.cum sit.& inter alias sunt matrimoniales.Conc.Trid. sess.24.de sacr.matr.can.12.

VEL in defectum iudicis sæcularis.

QVIA si iudex ecclesiasticus non suppleret desidiam iudicis sæcularis, sæpe ipse iudex, & reus remanerent in peccato, & actor indebitè iure suo priuaretur. supr.c.licet.& de off.ord.c.significauit. Et quoniam etiam ad iudicem ecclesiasticum spectat iurisdictio contra laicos, vbi agitur de euitando peccato. c. nouit. de iudic. Ideo in tali casu potest vidua laicum coram ecclesiastico conuenire. vt in tex. & sup. cap. prox.

Cap. 12. Si diligenti.

CLERICVS non potest sibi constituere iudicem laicum.

QVIA

QVIA ius disponens, vt clericus (relicto suo Pontifice) sæcularia iudicia non subeat; alioquin conuentus,& causam perdat,& a communione efficiatur extraneus. c. inolita 11. q. 1. non respicit principaliter beneficium personale, cui renunciari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico publicè est indultum, cui priuatorum pactio derogare non potest. vt in tex. & c.placuit. 11.q.1. Et quoniam renunciatio causatur ad abdicandum ius, quod est in ipso renunciante, & non penes alium. c. ab eo. de elect. Ideo non solum inuiti, sed etiam voluntarij,clerici pacisci non possunt, vt ad sæcularia iudicia pertrahantur. vt in tex.& d.c.inolita.

ETIAM si proprium iuramentum, & aduersarij consensus accedat.

QVIA iuramentum, quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur,licitè seruari non potest. vt in tex. & cap. quanto. de iureiur. Iuramentum enim non debet esse vinculum iniquitatis. c.inter cætera. 22.q.4. Et quoniam istud esset contra canonum dispositionem, d. cap. inolita; Et veniens contra legem peccat. cap. 2. de maior. & obed. Ideo iuramentum super hoc præstitum non tenet. vt in tex. & l.non dubium. C.de legib. Et consensus aduersarij non coadiuuat. vt in tex. quia hoc non est constitutum in eius fauorem,sed in publicum.d. cap.placuit. & priuatorum pacto iuri publico derogari non potest. vt in tex.& l.ius publicum. ff.de pact.

Cap. 13. Cum contingat.

CLERICI super excessibus coram suo episcopo conueniri debent.

QVIA vnusquisque corã suo iudice est conueniendus.supr.c.si clericus.cum actor sequatur forum rei.supr.c.cum sit. Et quoniam proprius iudex clericorum est episcopus.cap.1. de offic.ordin. Ideo clericus delinquens, coram ipso episcopo est conueniendus. vt in tex.& c.de persona.11.q.1.

NON coram his, quibus seruiunt.

QVIA dominus ratione seruitij duntaxat, non habet iurisdictionem in seruientes,nec potest contra eos iudicialiter cognoscere, vel procedere.l.vnic.C.de emendat.seru.& glos. in c. sicut.7.q. 1. licet ex causa possit eos leuiter castigare. l. respiciendum. ff. de pœn. & c. duo ista. 23.q.4. Ideo licet clericus seruiat personæ ecclesiasticæ, non coram illa, sed coram episcopo, si super excessibus impetitur, debet querelantibus respondere. vt in tex.& c.1.de raptor.

NISI consuetudo aliud inducat.

QVIA

QVIA consuetudo dat iurisdictionem, quando persona est capax illius. vt not.supr.in c.licet. Et quoniam vna persona ecclesiastica est capax præscribendi iurisdictionem aduersus aliam. c. irrefragabili. §.excessus.de offic.ordin. Ideo si clericus inseruiat alicui domino ecclesiastico, ex consuetudine speciali potest coram illo de delicto conueniri. vt in tex.& c.non est.de consuet.in 6.

VEL aliud inducat priuilegium.

QVIA priuilegium detrahit iuri communi, & in danda iurisdictione æquiparatur consuetudini.c.conquestus. 9.q.3. & c.nouit. de iudic. Et quoniam de similibus idem est iudicium.l.illud.ff.ad leg. aquil. Ideo priuilegium concessum ab illo,qui potest iuri communi detrahere,vt est Papa, inducit,vt quis clericus subijciatur alterius iurisdictioni,quam episcopi.vt in tex.& c.cum olim,il 2.de priuil.

Cap. 14. Postulasti.

EPISCOPVS delicti condemnat clericum de delicto,priuando eum beneficio alibi sito.

QVIA ratione delicti quis subijcitur iudici loci, in quo est delictũ perpetratum.inf.c.fin.Et quoniam titulus beneficij residet penes personam ipsius clerici, & inhæret ossibus eius, sicut dicimus de alijs iuribus incorporalibus. glos. in l.3. ff.pro soc.Ideo ex quo ratione delicti persona est sibi subiecta,potest talis episcopus ius inhærens personæ abdicare ab illa, vbicunq; illud sit,si delictum talem pœnam meretur, dummodo aliter circa rem abdicatam, extra suum territorium, iste episcopus non se ingerat. vt in tex.& Bart.in l.cunctos.C.de sum.Trin.

SED executio realis fit ab episcopo beneficij.

QVIA non debet vnus episcopus ponere falcem, nec exercere iurisdictionem in messem, & diœcesim alterius. c. venerabilem. de elect. Et quoniam beneficium illud remanet pro derelicto quo ad personam,quæ fuit eo priuata,vt dictum est superius. Et sententia lata ab vno episcopo facit fidem apud alterum.c.statuimus. 11.q.1. & l.si duo. ff. de iureiur. Ideo talis executio non spectat ad episcopum delicti, sed ad illum loci,in quo existit beneficium. vt in tex.& c.1.de offic.ord.

Cap. 15. Ex parte.

MISERABILIS persona potest laicum interdicto,vnde vi, coram iudice ecclesiastico conuenire.

QVIA vbi agitur de iniuria, seu violentia miserabilibus illata, talium causa,& defensio spectat ad ecclesiam. c.si quis il 2. 24.q. 3. Et quoniam interdictum, vnde vi,habet locum, cum quis possessionem fundi,vel ædium, per vim, & iniuriam,amisit,l.1. C.vnde vi,

& In-

& Inſtit.de interdict. ſ recuperandæ. Ideo miſerabilium cauſa,quoad recuperandam poſſeſſionem,poteſt indiſtinctè coram iudice eccleſiaſtico tractari. vt in tex. & c. ſuper. de verb. ſign. licet quoad petitorium regulariter non tractetur, ſi tales ſunt laici, niſi in defectum iudicis ſæcularis. cap. regum. 23. q.5. & Hoſtien. in ſum. huius tit. ſ. ex præmiſſis.

ETIAM ſi res ſubtracta dicatur feudalis.

QVIA licet leges feudorum generaliter loquantur, vt feudatarij conueniantur coram domino feudi.de prohib.feud.ali.per Frid. ſ.fin. Tamen quoniam perſonæ miſerabiles ſunt fauorabiles. c. defenſiones.diſt.87. & in dictis iuribus feudalibus non fit ſpecialis mẽtio, vt tales prohibeantur coram iudice eccleſiaſtico conuenire ſuos deiectores.d.ſ.fin.quam prohibitionem nec facere potuiſſet Imperator in præiudicium eccleſiæ, ſub cuius protectione iſti reperiuntur. Innoc. hic. Et ea, quæ ſpeciali nota ſunt digna, niſi ſpecialiter exprimantur, videntur neglecta, & ſub generali diſpoſitione non comprehenſa,quamuis ex proprio ſignificatu verborum alias comprehenderentur. l. item apud Labeonem. ſ. hoc edictum. ff. de iniur. Ideo non prohibentur iſti miſerabiles, quin poſſint,etiam in cauſa feudali,conuenire coram iudice eccleſiaſtico,eorum ſpoliatores. vt in tex.& c.nouit.de iudic.& not. ſupr.in c.ex tranſmiſſa.

Cap. 16. Conqueſtus.

LAICI vſurpantes iura eccleſiaſtica, velut ſacrilegi per iudicem eccleſiaſticum compelluntur.

QVIA malefactores eccleſiarum poſſunt in vtroque foro conueniri. ſupr.c.cum ſit.Sed quoniam iudices ſæculares ſæpe ſunt remiſſi in exhibenda iuſtitia eccleſiaſticis. d. c.cum ſit. Et valde iniquum eſt, ea, quæ collata ſunt pro remedio peccatorum venerabilibus eccleſijs,vel relicta,aut eis iuſtis modis alijs acquiſita, alijs vſibus applicari.vt in tex. Ideo tales delinquentes primò, & præcipuè ab eccleſiaſtico iudice puniuntur.Innoc.ſupr.in c.prox.& cum ſint inuaſores eccleſiaſticarum rerum, tanquam ſacrilegi ſunt anathemati,vſque ad ſatisfactionem congruam,ſupponendi. vt in tex.& c.nulli.12.q.2.

Cap. 17. Dilecti.

PRIVILEGIATVS, vt non teneatur reſpondere, vel ſoluere niſi in certo loco, ſi in alio loco reſpondere, vel ſoluere promittit,ibi poterit conueniri.

QVIA per huiuſmodi promiſſionem talis intelligitur renunciaſſe illi priori priuilegio, quo poterat ſe tueri,vt alibi non conueniretur.

gloſ.2.

glos. 2. hic. Et quoniam illud priuilegium concernebat priuatum commodum, non autem publicam vtilitatem. d. glos. hìc. Et quilibet fauori suo renunciare potest. l. si quis. C. de pact. Ideo talis renunciatio tenet, & iste poterit cogi in loco promisso respondere. vt in tex. & sup. cap. si diligenti.

ET etiam vbi habet domicilium.

QVIA ratione domicilij quis fortitur forum, & ibi potest conueniri. l. hæres absens. §. proinde. ff. de iudic. Et quoniam iste non potest amplius se tueri priuilegio, cui renunciauit, vt dictum est superius. Ideo remanet ius commune, vt possit conueniri in loco domicilij, sicut posset quilibet alius. vt in tex. & infr. c. fin.

Cap. 18. Significasti.

QVAMQVAM laici possunt iurisdictionem non sui iudicis prorogare, clerici tamen non possunt, nisi episcopi diœcesani consensus accedat, & iudex, cuius iurisdictionem prorogare volunt, sit ecclesiasticus.

QVIA laicis conceditur à iure, vt possint sine licentia sui iudicis iurare de calumnia. l. 1. C. de iuram. cal. Clericis verò, qui magis debent se à iuramentis abstinere, hoc inhibetur. cap. 1. d. tit. Et quoniam etiam clericus tenetur, aduersario petente, litigando, tale iuramentum præstare. c. cæterum. d. tit. Ideo vt lis possit per eum coram alio iudice exerceri, debet sui episcopi consensus adesse. vt in tex. & c. si quis cum clerico. 11. q. 1. Et quia laici nullo modo possunt esse iudices clericorum. c. inolita. d. q. 1. Ideo licet laicus possit suum iudicem constituere illum, qui iurisdictioni præest, quamuis aliter suus iudex non esset. l. 1. C. de iurisd. omn. iud. Clerici tamen in iudicem non suum (nisi forte sit persona ecclesiastica, & episcopi diœcesani voluntas accedat) consentire non possunt. vt in tex. & c. non liceat. 3. q. 6. Cum enim ab alieno episcopo non possit clericus ordines accipere. cap. ad aures. de temp. ord. ita nec debet alieni iudicium subire. c. nullus. 9. q. 2. Et sicut in iudicio animæ occulto, non licet alieno sacerdoti suscipere ad pœnitentiam subditum alterius sacerdotis, sine eius consensu, nisi pro ignorantia proprij sacerdotis. c. placuit. de pœnit. dist. 6. ita non debet licere subdito subire iudicium manifestum alterius prælati. glos. in d. c. inolita. Inconueniens enim esset, vt vnus episcopus iudicaret clericos alterius, ne sic facile omnes de vno episcopatu desererent proprium episcopum, & accederent ad alienum. 9. q. 2. per totam.

Cap. 19 Proposuisti.

LEGITIME citatus tenetur coram iudice citante causam prosequi, non obstante, quòd post citationem mutauerit forum.

QVIA vbi semel cæptum est iudicium, ibi finem accipere debet, ne aliàs lites nimium protraherentur; & iudex, & aduersarius illuderentur. l. vbi acceptum. ff. de iudic. Et quoniam per solam citationem præuenitur iurisdictio, & negotium amplius non est integrum. c. capitulum sanctæ crucis. de rescript. Cum citatio sit fundamentum iudicij. §. omnium. Instit. de pœn. tem. litig. Ideo qui conuentus est coram aliquo iudice competenti, necesse habet vsque ad finem persistere, etiam si mutauerit forum. vt in tex. & l. si quis. ff. de iudic.

Cap. 20. Licet.

QVISQVE clericus potest in curia Romana conueniri, licet aliàs specificè forum ibi non sortiatur.

QVIA Papa est iudex ordinarius singulorum. c. cuncta. 9. q. 3. Et Ecclesia Romana est omnium ecclesiarum mater, & magistra. c. aliorum. d. q. 3. Et Roma est communis patria omnium. l. Roma. ff. ad municip. Et quoniam tunc solùm quis potest declinare forum, quando non est suppositus in illo casu iurisdictioni alterius. supra cap. prox. Ideo cuiuslibet ecclesiæ clericus, cum sit Papæ suppositus, potest apud sedem Apostolicam conueniri. vt in tex. & c. per principalē. d. q. 3.

HABET tamen ex causa ius reuocandi domum.

QVIA tunc dicitur quis reuocare domum, cum foro suppositus est, sed ex aliqua legitima causa non tenetur tunc respondere, vt quia non venit ad hoc deliberatus. Abb. hic. Et quoniam quando quis non venit paratus ad litigandum, sunt ei dandæ induciæ ad deliberandum. c. induciæ. 3. q. 3. Et præsertim est in ius vocato indulgendum, ne à maiori, & vtiliori præsenti munere auocetur, vt pro contractibus præteritis liti incumbat. l. 2. §. legatis, & l. non aliàs. ff. de iudic. Ideo licet conuentus in Curia Romana non habeat facultatem declinandi forum, potest tamen ex causa reuocare domum. vt in tex. & Roman. cons. 169.

IN SEXTO. Cap. 1. Romana.

ARCHIEPISCOPVS, omisso appellationis articulo, vel per viam querelæ, de causa subditorum, subditis etiam ipsis consentientibus, non cognoscit.

QVIA

QVIA Archiepiſcopus regulariter non eſt competens iudex inter ſubditos ſuorum ſuffraganeorum in prima inſtantia.c.paſtoralis. ext.de offic.ord. Vnde tunc metropolitanus vocatur iudex peregrinus quo ad tales ſubditos. c.peregrina.3.q.6. Et quoniam peregrina iudicia in omnibus ſunt ſubmouenda. d.c.peregrina. Et curandum eſt, ne in fraudem partes priuent primum iudicem ſua iuriſdictione. gloſ.1.hic. Ideo non poſſunt ſubditi ſine conſenſu proprij epiſcopi, iuriſdictionem metropolitani in prima inſtantia in eos prorogare. vt in tex.& ext. c.ſignificaſti.

§. Neque.

ARCHIEPISCOPVS ſubditos ſuffraganei non poteſt compellere cauſas delegatas ab eo ſuſcipere, ſuas ſententias, & præcepta exequi, vel teſtimonia in cauſis ad eum deuolutis ferre.

QVIA Archiepiſcopus non habet iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, niſi in quibuſdam caſibus exceptis.d.cap.paſtoralis. Et quoniam iſti caſus ſuperius enumerati non ſunt de illis exceptis. gloſ.2. in d.c. Et ſine iuriſdictione non poteſt fieri iſta compulſio. Gemin. hic. Ideo archiepiſcopus non poteſt tales in his caſibus compellere. vt in tex.& c.Romana.ſup.de ſuppl.neg.præl.

NISI conſuetudo aliud diſponat.

QVIA conſuetudo dat iuriſdictionem, quando perſona eſt capax illius. c.3. ſup. de conſuet. Et quoniam iuriſdictio facilius prorogatur, quam inducatur de nouo. gloſ.1.in d.c.paſtoralis. Ideo cum archiepiſcopus habeat de iure communi in quibuſdam caſibus iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, vt dictum eſt ſuperius; multo magis poterit illam in alijs caſibus ex conſuetudine prorogare. vt in tex. & c.irrefragabili. de offic.ord.

§. Nec etiam.

ARCHIEPISCOPVS contra officiales, vel prælatos ſuffraganeorum (conſuetudine aliud non diſponente) & contra ſubditos ipſorum, pro ſalarijs aduocatorum, & procuratorum cauſarum fori archiepiſcopi, iudex competens non eſt.

QVIA talis cauſa ſalarij eſt diuerſa ab illa, de qua agitur, in qua ſola archiepiſcopus habet iuriſdictionem propter appellationem. gloſ. ver.in cauſis,& Archid.n.1.Sed quoniam conſuetudo prorogat iuriſdictionem, vt dictum eſt ſuperius. Ideo ſi adſit conſuetudo, po-

terit archiepiſcopus compellere ſubditos ſuffraganei pro huiuſmodi ſalario coram ſe reſpondere, aliàs non. vt in tex.& Io.And.hìc.

§. Contrahentes.

ARCHIEPISCOPVS non compellit inuitos contrahentes aliarum diœceſum, in ſua propria coram ſe reſpondere, niſi ibi inueniantur.

QVIA extra territorium, ius dicenti non paretur impunè. c.2. ſupra. de conſtit. & l.fin. ff. de iuriſd. omn.iud. Et quoniam archiepiſcopus non habet iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, niſi in caſibus exceptis. vt not.ſup. in §. neque. Et ex contractu non oritur obligatio contra perſonam, niſi vbi quis habet domicilium, & vbi promiſit ſoluere. ext.c.dilecti.& l.hæres abſens. §. 1. ff. de iudic. Ideo ſi contrahentes de diœceſi ſuffraganei non faciant reſidentiam in diœceſi metropolitani, ita vt,ibi quaſi domicilium habere videantur, vel ibi ſoluere promiſerint, per ipſum ratione contractus alibi initi adſtringi non poſſunt. vt in tex. & Abb. extr. in cap. fin. nu.30. & 37.

SED ſi citati nolunt comparere, vel malitiosè ſe occultant, ne citentur, in bonis ipſorum ſuæ diœceſis poteſt miſſionem facere, vel in alia ſitis decernere per ordinarios faciendam.

QVIA per huiuſmodi miſſionem ex primo decreto, per quam quis ponitur in poſſeſſionem cauſa rei ſeruandæ, conſulitur ipſi actori, qui præſumitur habere actionem in illam rem, ex quo aliquid deduxit de ſuis iuribus, & reus non venit ei reſponſurus; Et ipſe reus citatus, & non comparens, aliqualiter punitur pro ſua contumacia, vel pro malitia, qua impedit,ne citetur.gloſ.in cap.quoniam.ver.ſummatim.ext.vt lit.non conteſt. Et quoniam in tali caſu archiepiſcopus non dicit ius extra ſuum territorium. c.vt litigantes.ſup. de offic. ord.Et ſic non poteſt dici, quod perturbet iuriſdictionem ſuffraganei, & mittat falcem in meſſem alienam.c.1.6.q.3.Ideo ei conceditur, vt in tali caſu poſſit facere, vel decernere eſſe faciendam contra reum, hanc miſſionem in poſſeſſionem ex primo decreto in talia bona. vt in tex.& Abb.ext.in d.c.fin.n.26.

§. Nec Clericos.

NON poteſt archiepiſcopus ſuos clericos mittere in diœceſim ſuffraganei, vt coram eis fiant contractus, vel iam facti approbentur.

QVIA

QVIA Archiepiſcopus per huiuſmodi actus perturbaret ſuffraganei iuriſdictionem. c. 1. ſupra. de offic. ord. Et quoniam nemo debet ponere falcem in meſſem alienam. c. nullus primas. 9. q. 2. Ideo licet tabellio conſtitutus à Papa, vel ab Imperatore, aut ab eo, cui hoc ſpeciali priuilegio eſt conceſſum per illos, poſſit vbique facere inſtrumenta. arg. c. cuncta. 9. q. 3. & Angel. conſil. 92. & 93. Dum tamen priuilegium non ſit reſtrictum ad certum territorium, quia tunc tenor priuilegij eſſet ſeruandus. c. porrò. & c. ſanè. ext. de priuil. ſi eſt creatus ab alijs inferioribus habentibus certum territorium deputatum, tunc non poteſt exercere illud officium extra territorium conſtituentis. vt in tex. & Specul. de inſtrum. edit. §. reſtat. Inſtrumenta tamen, quæ etiam talis facit in territorio, in quo eſt ei commiſſum officium, faciunt fidem etiam extra territorium. c. cum dilectus. ext. de fid. inſtr.

NEC ſi facti, vel approbati fuerint coram illis, poſſunt ſuffraganeorum ſubditos coram ſe compellere litigare ſuper illis.

QVIA etiam ſi coram ipſo Archiepiſcopo extra eius diœceſim fierent contractus, contrahentes non ſortirentur eius forum, licet illud ſortirentur, ſi contractus fierent in eius diœceſi. Innoc. hic. Et quoniam nemo poteſt plus iuris alteri dare, quàm ipſe habeat. c. quod autem. ext. de iurepatr. Ideo non poteſt Archiepiſcopus compellere ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, occaſione talium contractuum extra ſuam diœceſim coram ſuis clericis initorum, coram ſe, iuri ſtare. vt in tex. & Io. And. hic in fin.

NEC excommunicare ſuffraganeorum officiales, vel ſubditos, ſi nolunt litigare coram ipſo.

QVIA Archiepiſcopus in huiuſmodi caſibus non eſt eorum iudex. vt dictum eſt ſuperius in §. neque. Et quoniam citatus à non ſuo iudice, non poteſt dici contumax, licet non compareat, Gemin. nu. 3. Et excommunicatio nunquam fertur ab homine, niſi propter contumaciam, aut in non comparendo, aut in non ſatisfaciendo, gloſ. in c. epiſcopi. 11. q. 3. & gloſ. in c. ex parte. ver. iuſſus. ext. de ſent. excom. Ideo propter iſtam cauſam Archiepiſcopus tales excommunicare non poteſt. vt in tex. Nec obſtat, quòd Archiepiſcopus habeat iuriſdictionem in multis caſibus in ſubditos ſuffraganeorum. d. c. paſtoralis. de offic. ordin. vnde videatur, quòd ſi citati non veniant, ſaltem ad allegandam cauſam, quare non debeat Archiepiſcopus contra eos procedere, poſſint excommunicari. arg. c. veniens. extr. de accuſat. Nam reſpond. quòd aut Archiepiſcopus exprimit in citatione caſum, per quem concludatur ſua iuriſdictio, & tenetur talis citatus comparere, vt in d. c. veniens. aut non exprimit talem caſum, & non tenetur comparere. vt in tex. & l. fin. ff. de iuriſd. omn. iud. Nec etiam obſtat, quòd Epi-

ſcopi,& eius vicarij, ſit idem tribunal.c.Romana.infr.de appellat.vnde ſicut Archiepiſcopus poteſt excommunicare epiſcopum.c.1.ſup.de offic. ord. ita videatur, quod poſſit eius officialem: Nam reſpond. quod aut vicarius peccat in concernentibus tribunal epiſcopi, & tunc poteſt per archiepiſcopum excommunicari. gloſ.3. in c.1.ſupra de offic. vic. aut non peccat in concernentibus officium, & tunc non poteſt per eum excommunicari; & ita procedit iſte text. Io. And. hic. Nam licet epiſcopi, & vicarij ſit idem tribunal, non tamen ſunt eædem perſonæ. Innocent.in fin.

Cap. 2. Sæculares.

IVDEX ſæcularis, qui vult clericum compellere ad debita, etiam liquida, ſoluenda, per eccleſiaſticũ iudicem deſiſtere compellatur.

QVIA iudex ſæcularis nullam habet iuriſdictionem ſuper clericos. c.eccleſia.ex.de conſtit.laicis enim eſt in eos obſequendi neceſſitas, non imperandi auctoritas.c.1.diſt.69.Et quoniam huiuſmodi compulſio eſſet contra eccleſiaſticam libertatem.c.fin.infr.de immunit. eccl. pro qua tuenda iudex eccleſiaſticus, etiam ex officio, procedere poteſt, & debet. c.auctoritate. infr. de priuil.& Angel. conſil.144.Ideo iudices ſæculares ab huiuſmodi temeritate per locorum ordinarios ſunt cenſura eccleſiaſtica compeſcendi. vt in tex.& c.licet.infr.de iureiur.Et intellige hunc tex. quando iudex laicus grauat clericum in bonis, vt tunc ſit per eccleſiaſticum iudicem, ſæcularis compeſcendus.gloſ.penul. hìc; nam ſi diſtringeret clericum perſonaliter, non eſſet neceſſarium, vt ordinarius compelleret per aliam cenſuram, ſed ſufficeret denunciatio tantum, quia laicus eſſet excommunicatus ipſo facto, per c. ſi quis ſuadente.17.q.4.

Cap. 3. Cum C. laicus.

RATIONE iuramenti laicus, vt illud ſeruet, coram iudice eccleſiaſtico conuenitur.

QVIA periurium reſpicit directè Dei irreuerentiam, quæ propriè eſt Chriſtianæ religioni contraria.c.nouit. ext. de iudic. Et quoniam ad iudicem eccleſiaſticum maximè ſpectat curare, vt Deo reuerentia exhibeatur. c.ſolitæ.extr. de maior.& obed. Ideo præcipuè ad forum eccleſiaſticum ſpectat cognitio cauſæ ſuper obſeruantia iuramenti. vt in tex.& d.c.nouit. An autem iuramentum laici faciat mutare forum, vel accumulet forum foro; Ioan. Monach. & Archid. hic tenent, quòd faciat mutare forum in tantum, vt iudex laicus de hoc cognoſcere non poſſit; nam quandoque validat contractum.c.quamuis. ſup. de pact.& c.licet. infr.de iureiur.quandoq; nihil operatur. c. non eſt.infr.de reg.iur. ſecundum eos, ad quod facit, quod not. Hoſt. in c. tuam.de ord.cogn. Sed Ioan. Andr. hìc diſtinguit, quod aut agitur de

vinculo

vinculo iuramenti in foro pœnitentiali, & tunc planum eſt, quòd laicus ſe intromittere non poteſt; & ſic loquitur c.prædicandum. 22. q. 1. & quod not. in c.nos. ext.de purg. can. nam laicus non habet poteſtatem clauium, vt poſſit abſoluere, vel ligare in foro pœnitentiali. vt not.gloſ.in c.paſtoralis.ext. de offic. ord. Aut agitur de iuramento in foro contentioſo, quando verſatur alterius intereſſe; Et tunc diſtingue, quod aut agitur ex iuramento, vt ſeruetur, aut excipitur ex illo; Si agitur, vt ſeruetur, tunc vterque poteſt eſſe iudex, quando non reuocatur in dubium, an iuramentum ſit licitum, necne. Et quod iudex ſæcularis tunc poſſit eſſe iudex, patet in c.licet, infr.de iureiur. & tenet Anchar.conſil.383.& Cald. conſil. 15. Quod eccleſiaſticus etiam tunc cognoſcat, patet per hunc tex.& per d.c.nouit. Si autem excipitur coram iudice laico, etiam ipſe de illo cognoſcet. Authent. ſacramenta puberum. C.ſi aduerſ.vend. Et diffiniet ſeruando ius canonicum, & ad hoc per eccleſiaſticum compelli poteſt. vt in d. c. licet. & d.c.quamuis. Si autem vertatur in dubium probabile, an iuramentum ſit licitum, vel non; tunc debet remitti ad iudicem eccleſiaſticum, & ſic loquitur c. venerabilem. ext.de elect.& Hoſt. in d.c.tuam, & late per Felin.in cap. cum ſit.ext.eod.

In Clement. Cap. vnic. Quamuis.

CONCEDIT concilium certo caſu epiſcopis expulſis à ſuis ſedibus, quòd in locis aliarum diœceſium, ſeruata forma, quam limitat, poſſint procedere contra expulſores, conſiliarios, & fautores.

VIA quamuis ſacris canonibus ſit generaliter interdictum, ne quis epiſcopus iuriſdictionem contentioſam in diœceſi exerceat aliena. c.epiſcopum. 9.q. 2.& c.placuit. 7. q. 1. Tamen quoniam epiſcopi, qui à ſuis ſedibus proteruia impiorum ſunt expulſi, veriſimiliter non audent, propter metum perſequentium, in ſuis ciuitatibus, vel diœceſibus, aut parte aliqua, reſidere, nec iuriſdictionem ad ſe ſpectantem, per ſe, vel per alium, inibi exercere. vt in tex. Ideo ne iniuria, in eorum expulſione ipſorum irrogata eccleſijs, hoc prætextu remaneat impunita, per hanc conſtitutionem à Clemente V. in Concilio Viennenſi editam, eis indulgetur, vt in diœceſibus alienis, in ciuitatibus, videlicet, vel locis inſignibus, ſuis eccleſijs vicinioribus, in quibus poterunt ſecurè morari, & iuriſdictionem ſuam liberè exercere, poſſint contra ſuos expulſores, & eorum in hac parte conſiliarios,

rios, & fautores (dummodo ciuitates, vel loca huiusmodi eisdem expulsoribus, consiliarijs, & fautoribus sint secura, & ipsi personaliter, vel ad domum, si hoc tutum fieri valeat; alioquin publicè in ecclesia cathedrali loci, vel domicilij eorundem citati fuerint) liberè procedere, prout iustitia suadebit. Si verò dicti episcopi ausi non fuerint supradictos dicto modo citare, conceditur eis, vt aliquibus diebus festiuis, cum populus conuenerit ad diuina, vt sic facta citatio ad tales peruenire verisimilius præsumatur, citent, vel citari faciant publicè in ecclesijs prædictorum locorum, vbi ipsi episcopi morantur, & procedant deinde contra ipsos, ac si alias legitimè citati extitissent. vt in tex. Sed ex quo hic dicitur, iniuriã fieri ecclesijs per huiusmodi expulsionẽ prælatorum; quæritur, an, & quando possit prælatus punire iniuriam sibi factam? Dic, quod iniuriam irrogatam ecclesiæ prælatus punire potest, & illam remittere nequit. c. Guilisarius. 23. q. 4. & c. si quis erga. 2. q. 7. Sed irrogatam personæ regulariter punire non potest, nisi sit notoria. Innoc. in c. ex parte. ext. de verb. sign. & Specul. de legat. §. 1.

ET inter subditos ius dicere.

QVIA licet regulariter episcopus non possit in aliena diœcesi inter suos subditos exercere iurisdictionem, etiam de licentia episcopi loci, nisi consentientibus ipsis subditis. glos. in c. vt litigantes. de offic. ord. in 6. Tamen quoniam, si isti episcopi expulsi non possent in aliena diœcesi exercere iurisdictionem inter suos subditos inuitos, etiam non obtenta à diœcesano loci licentia, sui populi ob defectum iustitiæ dispendium paterentur. vt in tex. Ideo eisdem episcopis etiam indulgetur, vt cum non possunt per se, vel per alios, in suis proprijs diœcesibus inter suos subditos iudicare, iurisdictionem suam omnimodam valeant inter ipsos in alienis diœcesibus exercere; ita tamen, quòd subditi, qui expulsores, vel eorum fautores, aut consiliarij non fuerint, vltra duas dietas à fine suæ diœcesis non trahantur. vt in tex. Et quoad duas dietas concordat. cap. nonnulli, extr. de rescript. quo ad computationem verò faciendam à fine diœcesis, concordat. c. statutum. §. cum verò. sup. d. tit.

EPISCOPI prædicti in præmissis debent petere licentiam diœcesanorum.

QVIA per huiusmodi petitionem recognoscitur superioritas ordinarij loci, & in hoc ei honor defertur. c. ad supplicationem. extra. de renunt. Et quoniam indecens esset, vt tales expulsi viderentur contemnere locorum diœcesanos, in quorum territorio morantur. c. hic ergo. de consecr. dist. 1. Ideo traditur eis pro forma, vt ante omnia talem licentiam petant. vt in tex. Vnde si non fuerit petita,

processus

proceſſus factus non valet. gloſ.ver.ante. & ſimile habetur in c.prouida.de elect.in 6.

QVIA etiam non obtenta, procedere poſſunt.

QVIA ſi talis licentia eſſet neceſſario habenda, poſſet eſſe, quod epiſcopus loci eam concedere nollet, & ſic epiſcopi expulſi impedirentur in præmiſſis iuriſdictionem exercere.d.c.prouida. Et quoniam per huiuſmodi impedimentum, multi iniqui remanerent impuniti, & plures iuſti, & eccleſiæ propriæ ipſorum expulſorum reportarent offenſam. vt dictum eſt ſuperius;quod eſſet contra iuſtitiam,quæ eſt maximè colenda.c.ſi ſæculi.12.q.2. Ideo ex quo fuerit exhibita reuerentia epiſcopo loci per petitionem licentiæ,indulgetur epiſcopis expulſis,vt etiam illa non obtenta, procedere poſſint. vt in tex. Et ſimile habetur de conſilio petendo,in quo ſufficit congruo tempore expectare reſponſum.c.cum in veteri. extra.de elect.

SI epiſcopi expulſi dicant, ſe non eſſe auſos citare expulſores, conſiliarios, vel fautores,vel ipſos malitiosè præſtitiſſe impedimentum, ne citarentur,ſtabitur eorum aſſertioni.

QVIA ſi non crederetur verbis ipſius epiſcopi in caſibus ſuperius expreſſis, propter malitiam expellentium principale negotium nimium protraheretur. arg. c.vnic.ne ſed. vac.in 6. Et quoniam hic non agitur de magno præiudicio aliorum, ſed ſolum de hoc, quòd poterunt citari,aut non. Zabar. hic. Ideo licet regulariter non credatur dicto vnius.c.licet.extra. de teſtib. etiam ſi ſit iudex in cauſa. cap. quoniam. extra. de probat. in fauorem tamen epiſcoporum expulſorum, & in odium expellentium, & pro congrua iuſtitiæ expeditione, ſpecialiter indulgetur, vt in his ipſorum epiſcoporum expulſorum aſſertioni ſtetur. vt in tex. ſicut in alijs caſibus modici præiudicij creditur literis ordinarij.c.poſt ceſſionem.extra.de probat.

ONERATVR tamen in hoc eorum conſcientia.

QVIA ſicut ſpecialiter indulgetur ipſis epiſcopis id, quod regulariter eis non competit, vt in hoc caſu eorum dicto credatur, vt dictum eſt ſuperius, ita eſt prouidendum meliori modo, quo poteſt,ne hac indulgentia in aliorum detrimentum ipſi abutantur. c. plerunque.extra.de reſcript. Et quoniam quod ſpecialiter iniungitur,plus timetur. c. licet. extra. de offic. ord. Ideo licet generaliter in quolibet actu,qui dicit mendacium alteri prejudiciale,mortaliter peccet.c. primum.22.q.2. Et qui facit contra conſcientiam, ædificet ad gehennam. c.is autem.d.q.2.talibus tamen epiſcopis diſtrictius iniungitur,ſub interminatione diuini iudicij, ne circa præmiſſa contra conſcientiam quicquam mendaciter,aut dolosè aſſerant, vel confingant. vt in tex.

EPI-

EPISCOPI conuicini, si fuerint requisiti, debent denuntiare istas sententias.

QVIA vnaquaque potestas aliam pro iustitiæ administratione, adiuuare debet.cap.1.extra.de treug. & pac. & c.dominus.23.q. 2. Et quoniam episcopi expulsi præcipuè indigent hoc auxilio.vt in tex. Ideo si episcopi vicini requisiti istos non adiuuent,erunt per eorum superiorem,tanquam canonum contemptores puniendi. glos.ver. requisiti. nisi habeant iustam causam non parendi, vt quia tales processus notoriè sunt iniusti.c.si quando.extra.de offic. deleg. & c.studuisti.extra. de offic.leg.

PER iurisdictionem, quam in loco vicino exercet episcopus expulsus,nullum per lapsum temporis ei acquiritur ius.

QVIA præscriptio, quæ per lapsum temporis dat ius, inducitur de sui natura solum contra negligentem. cap.vigilanti. extra. de præscript.& l.fin.C.de annal.except. Et quoniam diœcesanus in hoc casu non potest dici negligens, nam etiam inuitus cogitur obseruare, quæ hic statuta sunt.glos.penult.hic. Ideo per huiusmodi exercitium iurisdictionis factum ab episcopo expulso,diœcesano nullum præiudicium generatur.vt in tex.& c.veniens.extra.de præscript.

Liber Secundus. Titulus Tertius.

DE LIBELLI OBLATIONE.

In Decretal. Cap.1. Ignarus.

IVDEX non debet admittere actorem ad litigandum, nisi prius in scriptis libellum offerat.

QVIA libellus est scriptura,in qua continetur res, quæ petitur,& causa petendi, & nomen actoris, & rei, & coram quo iudice. glos. hic. Et quoniam iuxta petitionem libelli,est per iudicem sententia condemnatoria, vel absolutoria ferenda. c.licet Heli. de simon. Et ex libello debet cognoscere reus, deliberatione habita,an cedere,vel contendere velit.c.inducias.§.offeratur. 3.q.3. Ideo in principio causæ offerendus est iudici libellus, vt sciat super quo debeat sententiam ferre; Et per iudicem ille decernendus est reo,vt possit deliberare, an litigare velit super petitione sibi facta.vt in tex.& l.1.ff.de edend.

edend. Et quia omnia iudicij acta ſunt in ſcriptis redigenda per notarium, vel per duos viros idoneos, ne fraus circa illa poſſit committi. c. quoniam. de probat. Ideo etiam libellus eſt in ſcriptis dandus; & in actis cauſæ inſerendus. vt in tex. & d.c.quoniam. Sunt tamen ſpeciales cauſæ, quales ſunt illæ, quæ de rebus minimis inter viles perſonas aguntur; & illæ, in quibus ſummariè proceditur, in quibus nec libellus requiritur, nec ſcriptura. Authent. niſi breues. C.de ſent. ex breuic.recit. vel ſi aliqua ſcripta petitio in eis exigitur, deſcribitur apud acta, ſicut ſcribuntur alia dicta, ſine ſpeciali diſtinctione libelli. vt not. Specul.de libel.concept.§.nunc videndum. Sed vbi cauſę ſunt cum ordine iudiciario cognoſcendæ, eſt dandus libellus, qui eſt principium, & fundamentum cauſæ, & eſt litis conteſtatio facienda, & ſententia inſcriptis ferenda, cum iſta ſint principalia iudicij. vt not. Bar. in l. prolatam. C. de ſent. & interloc. omn. iud.

Cap. 2. Significantibus.

CVM agitur reali, non ſufficit rem generaliter peti, ſed debet ita ſpecificari, vt euitetur obſcuritas, & æquiuocatio.

QVIA nomen rei eſt generale ad plura. l. 1. ff. ſi cert. pet. & generalitas parit obſcuritatem. l. 2. ff. de iur. fiſc. Et quoniam per obſcuram petitionem, reus non poteſt deliberare, an cedere, vel contendere velit in iudicio. l. ſi in rem. ff. de rei vind. Nec iudex debet ferre ſententiam ſuper incerto. Inſtit. de action. §. curare. Ideo ex quo petitio rei eſt ita faciēda, vt reus poſſit deliberare, quid facere debeat, & vt iudex iuxta illam poſſit formare ſententiā, vt dictum eſt ſupra in c. prox. illa debet eſſe ſpecifica, & clara, non autem generalis, & æquiuoca. vt in tex. & l. vt perfectius. C.de annal.except. Sed licet in tali petitione quis debeat rem ſpecificare, & eam deſignare; cauſam tamen exprimere in libello non tenetur. gloſ. hic. nam cauſa eſt expreſſa, eo ipſo, quod quis proponit rei vindicationem; cauſa enim non eſt alia, niſi ipſum dominium, cum quis dicit rem ad ſe pertinere iure dominij, vel quaſi. l. ſi mater. §. eandem. & l. & an eadem. §. actiones. ff. de except. rei iudic. Si autem agatur perſonali actione, vt ſi petas decem tibi dari, tunc cauſa petendi eſt exprimenda in libello, aliter reus non tenetur reſpondere. infr. c. prox. & l. fin. C.de edict. diui Adr. toll. nam cauſa ſemper præcedere debet, ex qua aliquid debetur. l. huiuſmodi. ff. quand. di. leg. ced. In uniuerſalibus verò iudicijs non eſt neceſſe exprimere, ſiue deſignare ſingulares res, ſed ſufficit dicere, peto talem hæreditatem, quia ſum hæres. l. 4. & l. ſi quo. ff. de petit. hæred.; nam & tunc poteſt ſententia proferri; condemno te, vt reſtituas hæreditatem, quæ fuit talis. l. 1. §. fin. ff. ſi pars hæred. pet. Et idem ſi dicatur, peto eccleſiam cum ſuis pertinentijs. c. cum ad ſedem. de reſtit. ſpol. In generalibus vero iudicijs, ſcilicet, tutelis, negotiorum geſtorum, pro ſocio, & conſimilibus,

ſufficit

ſufficit exprimere cauſam,vel factum,ſic;peto rationem de adminiſtratione, quam geſsiſti, nec exigitur expreſsio aliquarum rerum. l. licet, C.de iudic. Vnde ſicut in vniuerſalibus vniuerſaliter concipitur libellus,ita vniuerſaliter ſententia fertur,nec cogitur quis res exprimere, d.l.ſi quo.In generalibus vero generaliter concipitur libellus; ſed, lite conteſtata, res exprimuntur, d.l.licet. In ſpecialibus autem res exprimuntur in libello,& in ſententia. d.l.ſi in rem.ff. de rei vindic.

Cap. 3. Dilecti.

MON tenetur reus reſpondere libello in actione perſonali, ſi non exprimitur cauſa petendi.

QVIA vt inferatur iuſtum eſſe, quod petitur,ſemper debet præcedere cauſa,ex qua illud debetur.l.huiuſmodi. ff.quand.dies leg. ced.Et quoniam libellus porrigendus eſt reo, vt poſsit deliberare,an in iudicio contendere velit.ſup.c.1.Ideo cauſa petendi eſt exprimenda, vt appareat,an illa ſit iuſta.vt in tex.& c. peruenit. de cenſib. Vnde eſt ſciendum,quod tam in reali,quàm in perſonali actione,duplex eſt cauſa; vna propinqua,alia remota,In reali,cauſa propinqua eſt, quia ſum dominus;cauſa remota,quia res fuit mihi legata, donata, vendita, & tradita,& ſic de ſimilibus; In perſonali,cauſa propinqua eſt,quia tu es mihi obligatus;cauſa remota,quia mutuaui,vel promiſi,vel quia vẽdidi rẽ, & tradidi, & ſic de alijs.Et cõmuniter tenetur,quòd in reali non eſt neceſſe exprimere cauſam remotã,ſed ſufficit exprimere propinquã quia sũ dominus,nec eſt neceſſe dicere ex qua cauſa, nã nõ poſſum eſſe dominus,niſi ex vna cauſa.c.inter.de fid.inſtr.& l.& an eadẽ.§.actiones ff.de excep.rei iud.Et vtile eſt ipſi reo,ne alia exprimatur, quia ſi actor ſuccumbit, obſtat ſibi poſtea exceptio rei iudicatæ,cum totum ius ſuũ in iudicium deduxiſſe videatur. c. abbate. de re iudic.in 6. & d.l.& an eadem. Alio tamen reſpectu eſt ei vtile, vt exprimatur, quia facilius poterit deliberare. Alex.conſil,121.lib.1.Et hoc eſt verum, quod non tenetur actor exprimere cauſam remotam, niſi ius commune ſibi reſiſtat,vt quia vendicat liberum hominem; nam tunc debet exprimere, cauſam, puta, quia eſt mihi filius, vel eſt mihi vxor,& ſic de ſimilibus. l. 1. ff. de rei vind. & Innoc. in c.conquerente.de offic.ord.In perſonali debet quis exprimere cauſam remotam, non autem ſufficit exprimere propinquam;& hoc ideo, quia ex cauſa propinqua non poſſet reus deliberare.vt in tex.; nam ſi dico,peto à te decem, quia es mihi obligatus, cum multæ ſint, & poſsint eſſe obligationis cauſæ,non poſſet quis per talem ſolam expreſsionem cognoſcere, an ſit obligatus.d.§.actiones.Ideo oportet exprimere cauſam remotam, quia mutuaui, vel promiſi,& ſimilia; aliàs non tenetur reus reſpondere. Innocent. hic. Tamen ſi reſpõdet,tenet iudicium.l.fin.C.de annal.except.Actionũ enim aliquæ dicuntur reales,vt quia competunt ad rẽ,& non dicunt perſonã obli-

obligatam; aliquæ dicuntur personales, quia non ad rem, sed in personam diriguntur, vt si ago ex empto, vel actione ex mutuo; dico enim personam obligatam, & tales non competunt ad rem, vel pecuniam. Institut. de action. §. omnium.

Liber Secundus. Titulus Quartus.

DE MVTVIS PETITIONIB.

In Decretal. Cap. 1. Ex litteris.

IVDEX, etiam delegatus, compellit actorem ad respondendum reo in causa renunciationis.

QVIA duplex est ratio reconuentionis; vna pro reo contra actorem: alia pro actore contra reum. Prima pro reo est, quod ex quo actor vult sibi ius reddi coram vno iudice, non debet dedignari eundem habere contra se in causa reconuenti. l. cum Papinianus. C. de sent. & interl. omn. iud. & c. accusatores. 3. q. 8. Alia pro actore, vt reus apud eundem iudicem, & non apud alium, durante eodē iudicio, valeat conuenire actorem, est, ne actor in diuersis instantijs, & coram diuersis iudicibus perturbetur. c. dispendia. de rescript. in 6. & Authen. & consequenter. C. de sent. & interl. omn. iud. Et quoniã indultum à iure beneficium nemini est auferendum. l. si se. §. si quis. ff. de re iudic. & c. de his. dist. 18. Ideo si actor nollet reo respõdere, debet iudex ei iustitiam denegare, nec ipsum audire in causa sua. c. Imperatorum. de iuram. cal. & l. mutus. §. pœna. ff. de procur. Et si iudex hoc negligeret, reus poterit ab eo appellare. l. 1. §. fin. ff. quæ sent. sine appell. rescind. In criminalibus tamen non habet locum reconuentio. c. neganda. 3. q. 11. & qualiter hoc dictum intelligatur, vide per Bart. in d. Authent. & consequenter. Nam non relatione criminum, sed innocentia reus purgatur. l. is, qui. ff. de publ. iudic. An autem clericus possit in ciuilibus reconueniri coram iudice sæculari? glos. penult. hic, & glos. 2. in c. at si clerici. de iudic. tenēt, quod sic, nisi causa sit spiritualis, quam non possit cognoscere laicus; quia per reconuentionem fit iudex, qui aliás iurisdictionem non habet in reconuentum, quantum ad illam causam. c. prudentiam. §. fin. de offic. deleg. Sunt tamen vrgentes rationes in contrariũ, & præsertim, quia in iure canonico hoc nõ reperitur expressum; sed bene reperitur prohibitum, ne clericus coram sæculari iudice conueniatur. c. 1. de for. compet. Et iura ciuilia non adstringunt clericos. c. ecclesia. de constit. & pro hac opinione late est Abb. in d. c. at si clerici, & in c. 1. de iuram. calumn.

ET

ET vtranq; cauſam ordine ſucceſſiuo ſimul audiet.

QVIA æquiſsima eſt regula, vt qui prior appellat, prior agat. l.qui prior ff. de iudic. Ideo facto vno actu pro actore, qui prius propoſuit, fiet alius pro reo poſtea reconueniente. c.3. de ord. cogn. & Bart. in d. Authent. & conſequenter.

ET vna ſententia terminabit.

QVIA litibus, quamcitius fieri poteſt, finis eſt imponendus. c. finem. de dol. & cont. Et litigantium commodo conſuli debet. c. vt debitus. de appellat. Et quoniam æquitas ſuadet, vt vbi de cauſa vtriuſque, ex ſimultaneis actibus coram eodem iudice apparet, eodem etiam tempore finis liti imponatur, ne ille, qui prius condemnaretur, interim indebitè grauaretur. l. neque. C. de compenſat. Ideo ex quo iudici conſtat de meritis cauſæ conuentionis, & reconuentionis, debet vtrunque negotium vna ſententia terminare. vt in tex. & l. 2. C. ter. ammor. Vocatur autem hic vna ſententia ex eo, quia, nullo actu interpoſito, vna poſt aliam fertur. gloſ. ver. in continenti. Et quæ incontinenti fiunt, ineſſe videntur. c. officij. de elect. & l. lecta. ff. ſi cert. pet. Sed re vera ſunt duæ ſententiæ, gloſ. in d. c. 2. ver. eadem. de ord. cogn. nam quot ſunt articuli, tot ſunt ſententiæ. l. etiam. §. ex cauſa. ff. de minor. Et ſi iudex in tali caſu non ferret ſuper vtramq; cauſam eodem tempore ſententiam; ille, cui contra iura ipſe differt facere iuſtitiam, poterit appellare. l. 1. ff. quæ ſent. ſine appell. reſcind. Si tamen liqueret prius de vna cauſa, quam de alia, & interim timeretur ſcandalum in differendo, poteſt iudex prius pronunciare ſuper illa, de qua liquet. & aliam differre. Abb. in c. cum dilectus. de ord. cogn. nec tunc obſtabit appellatio. arg. l. æquiſſimũ. ff. de vſufr. cum iudex non grauet, ſed quod cauſa exigit, conſideret. l. 1. §. quies. ff. de off. præfect. vrb. Quod enim differtur, non aufertur. c. ancillam. 32. q. 2. Et ad euitandum ſcandalum, ſunt multa dimittenda. gloſ. in cap. 2. de cleric. ægrot.

Cap. 2. Prudentiam.

MODVS procedendi datus per reſcriptum in cauſa conuentionis, intelligitur repetitus in cauſa reconuentionis.

QVIA non licet actori, quod reo licitum non exiſtit. cap. non licet. de reg. iur. in 6. In iudicijs enim non debet eſſe acceptio perſonarum. cap. nouit. de iudic. Et quoniam cauſa reconuentionis eſt terminanda eodem tempore cum cauſa conuentionis. ſupr. cap. prox. Ideo actor debet velle contra ſe pro rei defenſione, quod ipſe impetrauit pro ſe ad illius impugnationem. vt in tex. & l. 1. ff. quod quiſq; iur. Vt ſi eſt remota appellatio quo ad agentẽ, eodem modo intelligatur remota quoad reconuenientẽ. gl. penult. hic. Sapientis enim

dicit

dicit auctoritas; Patere legem, quam tu ipse tuleris. c.cum omnes. de constit.& Cato.Nec obstat,quod inducta ad fauorē,non sint retorquenda in læsionem.l.quod fauore. C.de legib.quia illud procedit, quando princeps proprio motu in fauorem aliquod ius concedit, puta, minoribus, vel ecclesijs; secus si illud sit concessum ad instantiam partis impetrantis, vt hic: nam tunc actoris, & rei debet esse eadem conditio. vt in tex. Sed quæritur, an actor reconuentus possit iterum reconuenire reum super causa in rescripto non expressa, cum ipse efficiatur reus in causa reconuentionis? Dic, quod non; quia reconuentio non intelligitur, nisi quoad illum, qui primò conuenitur. Bart. in Authen. & consequenter.C.de sent.& interl. omn.iud.Et hoc, vt euitetur infinitas.Host.hic. Et quia fuit in potestate actoris à principio super pluribus impetrare. c.2. de rescript.Ideo sibi imputet, si de alia causa non expressit. Specul. de reconuent. §.1.

Liber Secundus. Titulus Quintus.

DE LITIS CONTESTAT.

In Decretal. Cap. vnic. Olim.

NON per positiones, & responsiones, sed per petitionem in iure propositam, & responsionem secutam, fit litis contestatio.

QVIA litis contestatio est negotij principalis hinc inde apud iudicem facta narratio, & subsecuta responsio. glos.hic. siue respondeatur negando, siue confitendo. glos. in c. dudum,il 2. ver.responsionem. de elect. quod est ita intelligendum, vt fiat animo procedendi in causa, & ea intentione directè ex proposito. glos. hic.& l.vnic.C.eod.Et quoniam, qui ponit aliquod dictum, vel factum, nihil petit ab aduersario; nec etiam ostendit super hoc velle agere; & ita non posset per hoc ferri sententia condemnationis,vel absolutionis, cum nil petitum sit per positionem; sed ostenditur aliquid esse factum, vel dictum, seu promissum. glos. hic. Et sententia semper ferenda est secundum modum agendi. c.qualiter. de accusat. & c. licet. de simon. & condemnatio non est facienda, nisi ad hoc sit actum. c cum dilectus. de ord. cogn. Ideo non per positiones, & responsiones ad eas, sed per petitionem in iure propositam, & responsionem secutam, fit litis contestatio. vt in tex.& l.2.C.de iuram. calumn. Positiones autem vsu introductæ fuerunt ad faciliorem exitum litium, propter confessiones habendas, & vt releuaretur actor ab onere probandi. Clem. sæpe. de verb.

verb. ſign. non ergo fiunt ad oſtendendam petitionẽ; vnde in eis verba ſunt aſſertiua, & enunciatiua; & ita non debent operari effectum petitionis. arg. c. ſignificauit. de appellat. Et quia ſine petitione ſententia dari non poteſt. l. vt fundus. ff. commun. diuid. Ideo libellus, in quo nihil petitur, non eſt recipiendus. Hoſt. hìc. Et reprehenditur iudex, qui non in ſeruum petitum, ſed in eius æſtimationem condemnauit. l. fin. C. de fideicom. libert. Et hæc vera, niſi agatur coram Papa, nam tunc narratio actoris, & reſponſio rei inducunt litis conteſtationem ſine alia petitione. Innoc. hìc. Præſentia enim eius ſupplet omnem ſolemnitatem iuris poſitiui. c. 1. de tranſact. & l. omnium. C. de teſtam.

QVA omiſſa, nullus eſt proceſſus.

QVIA litis conteſtatio eſt fundamentum, & initium ſubſtantiale iudicij. gloſ. in d. c. dudum, & Bart. in l. prolatam. C. de ſent. & interl. omn. iud. Et quoniam vbi principium deeſt, nihil ſuperædificari poteſt. c. veniens. de presb. non baptiz. & c. cum Paulus. 1. q. 1. Et ea, quæ ſunt de ſubſtantia, ſi omittantur, vitiant actum. l. Iulianus. §. ſed & ſi. ff. ad exhibend. Ideo ſi litis conteſtatio fuerit omiſſa, & in figura iudicij ſit procedendum, proceſſus ſic factus eſt nullus. vt in tex. & c. ſuper. §. 1. & 2. de offic. deleg. Et quia iudex non debet impartiri officium ſuum ad priuatam vtilitatem, parte nihil petente. cap. ad noſtram, il 2. de iureiur. & l. 4. §. hoc autem. ff. de damn. infect. Ideo in iudicijs, quantumcunque ſummarijs, exigitur aliqua petitio. Bald. in l. ab executione. C. quor. appell. non recip. aliter litigantes inanibus laboribus, & expenſis vexantur. l. quamuis. ff. de in ius vocan. & Decius conſil. 302.

IN SEXTO. Cap. 1. Exceptionis.

PEREMPTORIA litis conteſtationem non impedit.



VIA exceptio peremptoria proponitur ad auferendam principalem aduerſarij actionem. c. veniens. extr. de accuſat. & l. 1. & 2. ff. de except. Et quoniam ante litis conteſtationem non poteſt dici propoſita actio. l. amplius. ff. rem rat. hab. Ideo peremptoria actio regulariter non proponitur ante litem conteſtatam. vt in tex. & l. præſcriptionem. C. de except. Vnde ordo iudiciarius eſt, vt dilatoriæ exceptiones proponantur ante litis conteſtationem, & probentur; peremptoriæ verò poſt litem conteſtatam, & poſtquam actor ſuam probauit intentionem. Specul. de except. §. dicto. Et iſte ordo non eſt confundendus. l. prolatam. C. de ſent. & interl. omn. iud. Si enim peremptoria

ptoria ante litis conteſtationem probaretur, nihil probanti accreſceret, nam lite non conteſtata, non abſolueretur. d. l. prolatam, & ex. vt lit. non conteſt. per totum. Peremptoria ergo exceptio ante litis conteſtationem eſt proteſtanda, ſed poſt, proponenda, & probanda. Specul. ibidem.

NISI ſit de re ſemel finita.

QVIA actio ſemel extincta amplius non reuiuiſcit. c. quæris. de conſecr. diſt. 4. & l. qui res. §. aream. ff. de ſolut. Et quoniam princeps per ſuum reſcriptum, non intendit lites ſopitas iterum ſuſcitari. c. nonnulli. ex. de reſcript. & l. fin. C. ſent. reſcind. non poſſ. Cum litium materia ſit amputanda. c. finem. ex. de dol. & cont. Ideò ex quo ſemel fuit controuerſia, & illa eſt per ſententiam, vel alio modo finita, cum iam ſit ſublata omnis obligatio, ſuper qua poſſet reſcriptū impetrari, non eſt mirum, ſi contra litteras proponitur in tali caſu hæc exceptio, cum nulla impetranti competat actio. d. c. nonnulli. §. ſunt. & Archid. hic.

Cap. 2. Si oblato.

PER exceptionem peremptoriam non fit litis conteſtatio.

QVIA litis conteſtatio fit per reſponſionem ſequentem actoris petitionem. ex. c. vnic. Et quoniam peremptoriè excipiens non reſpondet libello. l. eleganter. §. ſi quis. ff. de condit. indeb. cum neque confiteatur, neque neget. c. exceptionem. inf. de reg. iur. Ideo ſi oblato ab actore libello, ex parte rei exceptio peremptoria proponatur, nequaquam per hoc litis conteſtatio intelligitur eſſe facta; immo ea non obſtante (niſi ſit de illis exceptionibus, quæ litis conteſtationem impediunt) fieri oportebit eandem. vt in tex. & ſup. c. prox. Præterea per litis conteſtationem ordinatur iudicium, per exceptionem peremptoriam deſtruitur. gloſ. ver. facta. Et quoniam eadem res non poteſt parere duos effectus contrarios. l. qui hominem. ff. de ſolut. & gloſ. penult. in c. deinde. diſt. 26. Ideo per talem exceptionem lis non conteſtatur. vt in text. Exceptio enim eſt actionis excluſio. l. 2. ff. de except.; Non eſt ergo opus actionem excludi, cui non eſt contradictum. Specul. de lit. conteſt. §. nunc dicamus. Vnde primo debet lis conteſtari; & poſtmodum vſque ad concluſionem in cauſa poſſunt peremptoriæ exceptiones opponi. l. ſiquidem. C. de except.

Liber Secundus. Titulus Sextus.

VT LITE NON CONTEST. non procedat. ad teſtium recept. vel ad ſenten. diffinitiuam.

In Decretal. Cap. 1. Ad hæc.

SI agatur de adulterio ad ſeparationem thori, & ante litis conteſtationem reus eſt contumax, poteſt excommunicari.

QVIA contumacia eſt erga iudicem, vel prælatum, commiſſa inobedientia. gloſ. fin. in Clem. vnic. de dol. & cont. & not. in c. 1. de iudic. Quæ inobedientia eſt peccatum proueniens ex ſuperbia. c. 2. de maior. & obed. Et adulterium eſt maximum peccatum. c. quid. 32. q. 7. & l. eum, qui. C. ad leg. Iul. de adult. Et quoniam propter mortale peccatum quis poteſt excommunicari. c. nemo. 11. q. 3. Ideo talis contumax poteſt ſententia excommunicationis innodari. vt in tex. & Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matr. c. 8.

SED teſtes recipi non poſſunt, nec cauſa diffiniri.

QVIA licet ordo iudiciarius in alijs controuerſijs ſit ſeruandus, & in matrimonialibus cauſis non vſquequaq; ſeruetur. infr. c. quoniam. §. porrò. Tamen quoniam cum agitur de adulterio ad ſeparationẽ thori, nõ agitur de fœdere matrimonij, ſed de crimine adulterij, per quod ad ſeparationem coniugum, non ad coniunctionem intenditur. c. licitè. 32. q. 7. Idcò hoc caſu ceſſat fauor matrimonij, & agitur de re odioſa, qualis eſt ſeparatio coniugũ, & ſic eſt ſeruandus iuris ordo, vt lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam diffinitiuam. vt in tex. & per totum hunc titulum. A quo ordine receditur, quando agitur de vinculo matrimonij. d. §. porrò. quia tunc agitur de re fauorabili, vt ſcilicet, coniuges cohabitent, ſi matrimonium eſt validum; vel ſeparentur, & declarentur nõ coniuges, ſi eſt inualidum, ne permaneant in peccato. d. §. porrò. & Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matr. cap. 7.

Cap. 2. Accedens, il 1.

IN cauſa reſtitutionis contra contumacem, lite non conteſtata, ſententia proferri non poteſt.

QVIA

QVIA in omni poſſeſſorio, antequam deueniatur ad ſententiam, ordo iudiciarius eſt ſeruandus, ſiue tractetur de poſſeſſione adipiſcenda, ſiue de retinenda, ſiue de recuperanda. infr. c. fin. §. in alijs, & Bart. in l. naturaliter. §. nihil. ff. de acquir. poſſeſſ. licet miſſio in poſſeſſionem cauſa cuſtodiæ, propter eius minimum præiudicium, fiat etiam litè non conteſtata. infr. c. prox. Et quoniam ordo iudiciarius eſt de neceſſitate, vt antequam deueniatur ad ſententiam, lis conteſtetur. ſup. c. 1. Ideò ad ſententiam reſtitutionis, lite non conteſtata, procedi non poteſt. vt in tex. & c. conſultationibus. de offic. deleg.

Cap. 3. Tuæ.

SI, lite non conteſtata, reus eſt contumax; ſi fieri poteſt, mittitur actor in poſſeſſionem cauſa cuſtodiæ.

QVIA per huiuſmodi miſſionem punitur contumacia rei, & conſulitur iuri actoris, vt interim fructus non alienentur, & poſt annum efficiatur verus poſſeſſor, ſi non comparuerit reus. infr. c. fin. §. in alijs. Et quoniam ante litem non conteſtatam, regulariter ad ſententiam diffinitiuam procedi non poteſt. ſup. c. prox. Ideo ſi talis ſit cauſa, quod actor poſsit in petitarum rerum poſſeſsionem induci, non debet iudex inquirere extrinſeca remedia, ſed vt actori conſulat, & reum pro modo contumaciæ puniat, eſt actor in illarum poſſeſsionem cauſa cuſtodiæ inducendus. vt in tex. & Authent. qui ſemel. & ibi Bart. C. quomod. & quand. iud. Dicitur autem, ſi fieri miſsio poteſt. vt in tex. quia ſunt aliquæ cauſæ, in quibus talis miſsio adaptari non poteſt, puta, ſi agatur de beneficio eccleſiaſtico, nam tunc ob contumaciam rei, non eſt mittendus actor in illius poſſeſsionem, ne per eam poſſet ad illud vitioſus patere ingreſſus; ſed tunc eſt ſpeciale, vt liceat iudici, etiã lite non conteſtata, diligenter examinato negotio, ipſum debito fine terminare. c. vnic. de eo, qui mitt. in poſſeſ. cauſ. rei ſer. in 6. Similiter nõ poteſt iſta miſsio adaptari in cauſa criminali, ſi reus eſt abſens. glo. fin. hic. licet tunc fiat indirectè quædam miſsio, quia adnotantur bona contumacis. Bart. in l. abſentem. ff. de pœnis.

ALIAS excommunicabitur.

QVIA talis contumax mortaliter peccat. ſup. c. 1. & contra mortaliter peccantem poteſt excommunicatio ferri. c. 1. de iud. c. Et quoniam vbi non ſunt adaptata alia iuris remedia, ne contumax de ſua proteruia glorietur, ſed vt iuri pareat, eſt per cenſuram eccleſiaſticam compellendus. vt in text. & c. quicunque, & ibi glo. 11. q. 3. Ideò in cauſis iudicialibus mandatur omnibus iudicibus eccleſiaſticis, vt quandocunque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte iudicij propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſti-

neant ſe, tam in procedendo, quàm definiendo à cenſuris eccleſiaſticis; ſed ſi executio realis, vel perſonalis aduerſus reos fieri non poterit, ſitq. erga iudicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone, arbitrio ſuo, præter alias pœnas, ferire poterit. c. ſi quis deinceps. in fin. 17. q. 4. & Concil. Trid. ſeſſ. 25. de refor. cap. 3.

Cap. 4. Accedens, il 2.

RECEPTIO teſtium facta contra non contumacem, lite non conteſtata, in cauſa matrimoniali eſt nulla.

QVIA cum non appareat de malitioſa abſentia iſtius coniugis, non debet in eius præiudicium, ſine ſua culpa, ordo iudiciarius peruerti. infr. c. prox. in princ. & ſupr. c. 1. Et quoniam poteſt eſſe, quod cõtra teſtes iſte habeat legitimas exceptiones ad intentionem contrariam elidendam. infr. c. prox. §. porrò. Ideò licet fauore matrimonij recipiantur teſtes contra contumacem (qui non comparendo eſt in culpa) lite non conteſtata. d. §. porrò. non tamen debent recipi contra non contumacẽ, qui non eſt in culpa. vt in tex. & c. 1. qui matr. accuſ. poſſ. Ex vno enim ſpeciali non debet inferri ad aliud ſpeciale diuerſæ rationis. gl. in c. fin. de reſtit. ſpol.

Cap. 5. Quoniam.

LITE non cõteſtata, nõ recipiũtur teſtes regulariter ſuper principali.

QVIA litis conteſtatio eſt exordium litis, & fundamentum cauſæ. c. vnic. & ibi gl. ſupr. tit. prox. Et quoniam, vbi deeſt fundamentum, nihil ſuperædificari poteſt. c. veniens. de presb. non baptiz. Ideo lite non conteſtata, non eſt regulariter ad teſtium receptionem procedendum. vt in tex. & c. ſuper §. 1. de offic. deleg. Et dicuntur non recipiendi ſuper principali, nam ſuper exceptionibus dilatorijs bene recipiuntur; immo de neceſsitate debent recipi ante litis conteſtationem, & non poſt. c. exhibita. de iudic. & Abb. in rubr. huius tit. Similiter bene recipiuntur ſuper incidenti, vel emergenti, vt probetur, quod citatio peruenerit ad aliquem, vel quod contumax fuerit. gloſ. 2. hic. & c. interpoſita. §. fin. de appellat.

FALLIT in caſibus hic annotatis.

QVIA difficile eſt inuenire regulam, quę non patiatur exceptionem. gl. in rub. de reg. iur. in 6. Et quoniam lex debet eſſet rationalis. c. erit. diſt. 4. Ideo ab iſta generalitate excipiuntur aliqui caſus, in quibus propter ſpecialem rationem, lite non conteſtata, teſtes recipi poſſunt; & præter duos, ſcilicet, cum timetur de morte teſtium, vel eorum abſentia diuturna, enumeratos hic in tex. alij decem & octo enumerantur hic per gloſ. & habentur in Authent. ſi omnes. C. ſi vt ſe ab hæred. abſt.

SCI-

SCILICET, cum timetur de morte, vel abſentia diuturna teſtium.

QVIA iudex, & magiſtratus curare debent, vt ſalua ſit rerum probatio. l. curent. ff. de teſtib. Et quoniam ſi in his caſibus teſtes non reciperentur, etiam lite non conteſtata, ſæpe veritas occultaretur, & probationis copia fortuitis caſibus opprimeretur. vt in tex. Ideo in his caſibus, cum ciuiliter eſt agendum, ſenes, & valetudinarij, & alij teſtes (de quibus ex aliqua rationabili cauſa timetur) etiam lite non conteſtata, ſunt proculdubio admittendi, ſiue pars conuenta ſit contumax, ſiue ſit abſens abſque malitia, vt conueniri non poſſit. vt in tex. & Authent. de teſtib. §. penult. coll. 7. Dicitur autem, quod recipiuntur iſti teſtes, ſi ciuiliter eſt agendum; nam in criminalibus nunquam recipiuntur, lite non conteſtata. gloſ. ver. ciuiliter. quia cum in eis agatur ad pœnam, & de maiori præiudicio, probationes ſtrictiſsimę requiruntur. l. fin. C. de probat. & ſic non debet aliquid fieri inordinate, & maxime parte abſente; ſed cautius, & circumſpectius eſt in eis procedendum. c. Epiphanium. 5. q. 6. Sanctius eſt enim, ſcelus nocentis impunitum relinqui, quàm innocentem condemnari. l. abſentem. ff. de pœnis. Qualiter autem in criminalibus procedatur. not. in c. veritatis. de dol. & cont. & in ſum. 3. q. 9.

TVNC enim, ſeruata ſolemnitate hìc poſita, poſſunt, etiam lite non conteſtata, teſtes examinari.

QVIA ita fauendum eſt in his caſibus volenti producere teſtes, lite non conteſtata, vt tamen caueatur, ne ipſe hoc procuret in fraudem, vt proceſſu temporis exceptiones legitimæ ad repellendum teſtes, vel aliæ locum habere non poſsint. vt in tex. Et quoniam plures exceptiones poſſunt competere contra teſtes, & contra dicta eorum. c. ex parte, & c. in cauſis. de teſtib. Ideo ſtatuitur, quod ſi actor non conuenerit aduerſarium intra annum, ex quo conueniri poterit, vel ſaltem receptionem huiuſmodi teſtium non denuntiauerit illi, atteſtationes ſic receptæ non valeant. vt in tex. Vnde ſolemnitates hic requiſitæ, vt talis receptio valeat; ſunt. Primo, quod ſubſit cauſa rationabilis, vt quia timetur de morte, vel abſentia diuturna. Secunda, quod pars aduerſa citetur, ſi citari poteſt. Tertio, quod ſi non poteſt citari, debeat conueniri intra annum à tempore, quo poterit conueniri, vel ſaltem denuncietur ei huiuſmodi receptio; aliàs talis receptio eſt nulla. Quarto, quod agatur ciuiliter. vt in tex. Et licet in his caſibus recipiantur teſtes, lite non conteſtata; veritate tamen inſpecta, & quo ad effectum, non intelliguntur recepti, lite non conteſtata; quia non publicantur, niſi lite conteſtata, & cum alijs, ſi alij, lite conteſtata, inducti fuerunt; nec ad ſententiam procedet iudex per tales teſtes. gloſ. verſ. time-

tur. Sed in sequenti. §. recipiuntur, lite non contestata, & fertur sententia; & sic est differentia in casibus huius. §. & §. sequentis.

§. Porro.

CVM agitur de matrimonio carnali, vel spirituali, possunt contra contumacem, etiam lite non contestata, testes recipi, & sententia diffinitiua ferri.

QVIA cauendum est, ne propter longam moram, in spiritualibus, & temporalibus ecclesia, de cuius prouisione tractatur, patiatur læsionem; & ne viro, vel mulieri, super quorum copula maritali quæstio mouetur, fornicationis occasio præbeatur; maximè cum propinquitatis gradus opponitur lege diuina prohibitus. vt in tex. & c. litteras. de restit. spol. Ideò ad obuiandum huiusmodi grauibus periculis, statuitur, vt in his casibus, si contumax apparuerit is, in quẽ fuit actio dirigenda, siue quia, peremptoria citatione recepta, venire contemnit, siue quia malitiosè seipsum occultat; siue quia impedit, ne possit ad eũ citatio peruenire; testes, lite non contestata, sint meritò admittendi; & nihilominus, si de causa liqueat, ad diffinitiuam sententiam sit etiam procedendum. vt in tex. & simile in c. consultationibus. de offic. deleg.

SI verò reus est absens, sed non contumaciter, tunc in carnali non proceditur, sed expectatur absens.

QVIA cũ sine culpa talis coniunx sit absens, vt si captiuitate, vel ægritudine, aut alio iusto impedimento forsitan teneatur, aut etiam propria, sed non malitiosa voluntate in remotis partibus moram faciat, vt de facili, vel breui citari non possit; ei quidem præiudicari non debet; cum habeat forsan exceptiones legitimas ad intẽtionem contrariam elidendam; eo nequaquam obstante, quod de lapsu carnis posset opponi, quoniam in coniugio multi casus occurrunt, in quibus coniuges sine culpa, sed non sine causa continere coguntur. vt in tex. Ideò in tali casu tamdiù alter coniugum est expectandus, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur. vt in tex. Ex quibus autem coniecturis mors ad hoc sufficienter præsumatur, not. glos. ver. præsumatur, & Felin. hic. & Alex. cons. 40.

IN spirituali verò, si agatur de cõtractu, stabitur iuribus antiquis.

QVIA cum illa iura sint rationabilia, nec sint per alia posteriora immutata, non est ab eis recedendum. c. 1. de constit. in 6. Et quoniam per talia iura statuuntur diuersa tempora super expectatione istorum absentium, quæ recensentur hic per glos. ver. canonibus. Ideò debet superior considerare in tali absentia circunstantias, quæ in illa interueniunt, & secũdum respectus earum, tempus longius, vel breuius ad redeundum assignare. Host. & Io. And. hic.

SI de contrahendo, expectatur abſens per ſex menſes.

QVIA id tempus eſt competens ad prouidendum, ne diutius vacet eccleſia. c. 2. de conc. prab. & ne nimis citò coarctetur eligendus ad comparendum, niſi, penſatis negotij circunſtantijs, per ſuperioris prouidentiam magis, vel minus fuerit expectandus. vt in tex. Sed quoniam non eſt nouum, vt priores leges ad poſteriores trahantur. l. non eſt. ff. de legib. Ideo quoad hunc caſum, hodie eſt ſtandum poſterioribus iuribus, in quibus propter rationes in eis adductas, aliter eſt prouiſum. vt in c. quam ſit, & c. cupientes. de elect. in 6.

§. Sunt.

AD perpetuam rei memoriam, poſſunt teſtes ſine litis conteſtatione recipi, & publicari.

QVIA fauendum eſt, vt ſalua ſit rerum probatio, & ne veritas a fortuitis caſibus occultetur. ſupr. §. 1. & l. in lege Aquilia. ff. ad leg. Aquil. Ideo vbi timetur, ne proceſſu temporis, probationis copia valeat deperire, & pars apud iudicem de hoc facit inſtantiam, etiam ſi lis non fuerit conteſtata, ad perpetuam rei memoriam, citato aduerſario, teſtes poſſunt legitimè recipi, & publicari. vt in tex. & c. ſignificauit. de teſtib. In tali autem receptione quid fieri debeat; & nunquid talium teſtium dicta ſint tunc publicanda, & quando pars debeat citari ad hunc effectum, vide gloſ. in d. cap. ſignificauit. & Felin. in c. Albericus. de teſtib.

ET idem, cum agitur per viam inquiſitionis.

QVIA quando fit inquiſitio contra abſentem per contumaciam, in eius odium, & ne delicta remaneant impunita, procedit ur, etiam iudiciario ordine non ſeruato. c. veritatis. de dol. & cont. & gloſ. hic. ver. inquiſitio. Et de tali proceſſu dic, vt per gloſ. in ſum. 3. q. 9. Ideo etiam circa teſtium productionem non attenditur in tali caſu, vt lis ſit prius conteſtata. vt in tex. & c. qualiter. §. debet. de accuſat.

§. In alijs.

SI reus, lite non conteſtata, eſt contumax, & agitur reali, mittitur actor in poſſeſſionem rei petitæ, cauſa cuſtodiæ.

QVIA in tali caſu non eſt procedendum ad ſententiam, nec ad teſtium receptionem, ſicut nec in alijs caſibus, de quibus loquitur §. hic. vt in tex. Et quoniam prouidendum eſt aliquo competenti modo, ne actori iuſtitia denegetur, & ne reus nimium rigoroſè vexetur. gloſ. ver. affectus. Ideo conuenienter ſtatuitur, vt actor mittatur in poſſeſſionem rei petitæ, cauſa cuſtodiæ, vt ſic tædio affectus, reus veniat reſpon-

ſponſurus,& per detentionem rei,actor de ſuo credito ſit ſecurus.vt in tex.& c.1.& 2.de eo,qui mit.in poſ. cauſ.rei ſer.

QVAM tamen recuperat reus veniens intra annum, ſi offerat cautionem de ſtando iuri,& reſtituat expenſas.

QVIA actor tali caſu non fuit factus verus poſſeſſor, ſed tantum detentor,& cuſtos,vt dictum eſt ſuperius,& gloſ.ver.poſſeſsionē. Et quoniam per huiuſmodi comparitionem, reus purgat ſuam contumaciam,& per hanc cautionem,& expenſarum reſtitutionem,actor indemnis conſeruatur; & in futurum in lite ſit ſecurus. c.1. in fin.de ſequeſtr. poſſeſ. Ideo in iſto caſu non debet vlterius reus grauari, vt in tex.& c.contingit.de dol.& cont.

POST annum vero, his non ſeruatis, non auditur,niſi ſuper proprietate.

QVIA cum reus tunc in maiori negligentia, & culpa exiſtat. vt in tex.maiori remedio,& grauiori pœna,conueniens eſt,vt contra eum procedatur. c. afferamus. 1. q.1. Ideò actor,qui prius erat tantum cuſtos,poſt annum verus conſtituitur poſſeſſor, ſuper proprietate duntaxat aduerſæ parti defenſione legitima reſeruata. vt in tex.& c.paſtoralis.§.præterea.de offic. ordin.

SED ſi conuenitur reali,qui nomine alieno poſſidet,nominabit dominum in iudicio, & ſtatuetur ei terminus,intra quem faciet dominum comparere.

QVIA licet etiã contra ſimplicē detentorem detur rei vindicatio. l.officium.ff.de rei vind. Tamen quoniam detentor poteſt vitare iudicium,dominum nominando. Innoc.in c.examinata. de iudic. Ideo ad prouidendum actori, vt habeat,cum quo ſubeat iudicium; & ad conſulendum reo,ne inſcius damnetur; & ad liberandum ipſum detentorem, ne pro facto alieno moleſtetur, aſsignatur ei terminus ad certiorandum dominum de lite contra ipſum intentata, vt vel ipſe veniens, vel idoneum dirigens reſponſalem, actoris intentionem excipiat.vt in tex.& l.2.C.vbi in rem.act.exerc. deb.

QVI ſi intra terminum non venerit,iudex illum citabit.

QVIA per denunciationem factam extraiudicialiter per colonū, vel alium detentorem,non conſtitueretur dominus in mora, vt contra eum,tanquam contra contumacem, procedi poſſet.gloſ. 3 in c.cauſam.de dol.& cont. Periculoſum enim eſſet domino,quòd interpellatio facta colono,conſtitueret ipſum dominum in mora, contra id,quod habetur in l.item veniunt.§.petitam.ff.de petit.hæred.Ideo ad faciendum iudicium validum,ſtatuitur, vt actor faciat talem reum

à iudice

à iudice tribus legitimis edictis euocari, poſtquam apparet, quod non comparet intra terminum aſſignatum detentori. vt in tex. & d.l.2. C. vbi in rem act. Quæ edicta intelliguntur fieri per citationes ad rei domum miſſas.d.c.cauſam.& c.fin.de dol.& cont.

QVO adhuc non veniente, iudex mittet actorem in poſſeſſionẽ verã.

QVIA ex quo fuerunt adhibitæ tot diligentiæ ad faciendum talem reum comparere, ipſe non comparendo, præſumitur cõtumax.gl. ver.reſeruata. Et quoniam contra contumacem omnia iura clamant.c. prout.de dol.& cont. Ideo in ipſius rei pœnam, & in actoris congruam ſatisfactionem, ſtatuitur, vt negotio ſummatim per iudicẽ examinato, actorem mittat in poſſeſſionem ipſarum rerum; reſeruata tamen omni allegatione abſenti ſuper quæſtione principali. vt in tex. & d.l.2. Quæ reſeruatio fit, ne nimium rigoroſè ſuper proprietate contra talẽ abſentẽ procedatur.d.gl.reſeruata. Et debet negotium ſummatim examinari, antequam actor in poſſeſſionem mittatur. vt in tex. quia poſſet eſſe, quod aliquis calumnioſè peteret; vnde iudex recipiet primo ab actore iuramentum de calumnia, ſcilicet, quod non calumniæ cauſa petat,& ſi viderit poſtea rationabilem præſumptionem eſſe pro eo, tunc cõſtituet ipſum verum poſſeſſorem. gl.ver. ſummatim. Sed ſi reus poſtea probauerit iuſtam abſentiæ cauſam, reſtituetur.c.cum Bertholdus. de re iud. & l.ſi finita.§.item ſi fortè.ff. de damn.infect. Qui tamen debebit prius reficere expenſas, & præſtare cautionem, quòd iuri parebit.gl.fin.hic,& Authent.& qui iurat.C.de bon.auct.iud.poſſeſſ.

SI verò reus contumax conuenitur actione perſonali, mittetur actor in poſſeſſionem bonorum ipſius rei, pro modo debiti declarati.

QVIA actio in perſonam datur, quando non agitur ad certam rem, ſed actor dicit ex contractu, vel maleficio perſonam eſſe ſibi obligatam.l.obligamur.ff.de act.& oblig. Et quoniam iuxta libellum eſt formanda ſententia.c. licet Hely. de ſimon. Ideo cum actor tunc non dicat rem eſſe ſuam, ſed perſonam eſſe obligatam, non datur ſibi abſolutè aliqua res; ſed per decretum iudicis, iuxta debiti quantitatem, alicuius rei poſſeſſio ei aſſignatur, quæ loco perſonæ in ipſius ſatisfactionem ſuccedat. vt in tex.& Bart.in l.ſi finita. §.Iulianus. ff. de damn.infect.

ET primò mobilium, ſecundò immobilium, ſi mobilia, non exiſtant.

QVIA in huiuſmodi diſtractione facienda, eſt habenda ratio, vt illa dentur, quæ minus debitori nocent; dummodo actori ſatisfiat.gl. in l.à diuo Pio.§.in venditione.ff.de re iudic. Et quoniam talia ſunt potius mobilia, quam immobilia.d.§. & ibi Bart. Ideo iſte ordo in hac executione per iudicem eſt ſeruandus. vt in tex. & d.l. à diuo Pio.

Qui

Qui ordo non eſt tamen de ſubſtãtia executionis ſententiæ, licet ſit de iuſtitia. Bart. ibidem. Vnde ſi non appellatur, executio tenet; ſed ſi appellatur, erit reuocandum grauamen. c. vt debitus. de appellat.

VEL excommunicabitur reus.

QVIA excommunicatio eſt pęna ordinaria contra contumacem, qui non poteſt aliter induci ad parendum. gloſ. in c. epiſcopi. 11. q. 3. Ideo ſi non poteſt ſufficienter prouideri contra talem contumacem per miſſionem in poſſeſſionem bonorum, erit excommunicandus; ita videlicet, quod alterutra pœna, quæ magis timeri debeat, ludex à principio ſit contentus; ad alteram nihilominus proceſſurus, ſi hoc meruerit proteruitas contumacis; qui veniens intra annum, vel poſt annum etiam audietur, iuxta diſtinctionem in reali actione ſuperius adnotatam. vt in tex. & gl. fin. hic.

Liber Secundus. Titulus Septimus.

DE IVRAMENTO CALVM.

In Decretal. Cap. 1. Inhærentes.

CLERICVS in cauſa eccleſiæ ſuæ iuramentum calumniæ poteſt alteri committere.

QVIA perſonæ eccleſiaſticæ præſertim admonentur, ne ex leui cauſa iurent. c. ſi quis. 2. q. 5. Cum Dominus in euangelio dicat diſcipulis ſuis; Nolite omnino iurare; ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non; quod autem his abundantius eſt, à malo eſt. Matth. cap. 5. licet ex cauſa iuſta, etiam ipſi eccleſiaſtici poſſint iurare; cum non omnimoda iuramenta; ſed tantum incauta; & ea, quæ pro qualibet cauſa temporali in iudicio offeruntur, eis intelligantur prohibita. d. c. ſi quis. §. verum. Et quoniam ex frequenti iuratione clericorum, videtur quidam error in populo. cap. ſacramentum. d. quæſt. 5. Et clerici non præſumuntur, ita claram habere notitiam de cauſa eccleſiæ, quæ vadit per ſucceſſores extraneos, ſicut quiſque habet de re propria, quæ per hæreditariam ſucceſsionem, vel proprium inſtrumentum, acquiritur. infr. cap. cæterum. & de ſyndic. cap. vnic. Ideo licet regulariter iuramentum calumniæ per ipſas principales perſonas in primo exordio litis ſit præſtandum.

Authent.

Authent. principales. C. eod. Clericis tamen indulgetur, vt huiusmodi iuramentum ipsimet subire non compellantur, sed alijs idoneis defensoribus (si expedire ecclesiæ suæ nouerint) illud valeant delegare. vt in tex. & l. cum clericis. C. de episc. & cler. Et licet in effectu ipsi iurent, quando dant speciale mandatum. infr. cap. fin. tamen cum ipsimet tunc personaliter non iurent, nec tangant Euangelia, non videtur tantus error in plebe. Abb. hic. In causis verò proprijs debent iurare per seipsos; cum in illis præsumantur melius informati. d. c. cæterum. Sed hodie priuilegium huius tex. de nihilo seruit, quia est generaliter constitutum, vt quilibet possit per procuratorem habentem ad hoc speciale mandatum, huiusmodi iuramentum præstare. c. fin. eod. in 6.

ET per se iurare non cogitur.

QVIA optio eligendi, an per se, vel per alium, clericus iuret in causa ecclesiæ, ipsis clericis est concessa. vt in tex. & d. l. cum clericis. Ideo satisfacit, alterum de duobus faciendo. l. plerunq; ff. de iure dot. & l. iusiurandum. §. ait. ff. de iureiur.

NEC debet sine superioris licentia.

QVIA per huiusmodi exactionem licentiæ, iuramentum habetur in maiori reuerentia, & cessat suspicio, quod clericus de facili iuret. Abb. hic. nu. 20. Et quoniam in clericis præsertim, in iuramento præstando hoc est cauendum. d. c. si quis. Ideo exigitur hæc licentia. vt in tex. Et prælatus, qui habet notas clerici conditiones, debet illam concedere, si viderit non esse periculum verisimile, vt clericus deieret, cum interdum quis soleat, incitatus ab aduersario, iurare falsum, vt vincat litem. Butr. & Abb. hic. Sed licet clericus iuret sine tali licentia, iudicium per hoc non vitiatur. glos. fin. hic. sicut similiter clericus non debet testificari sine licentia sui prælati. c. quanquam. 14. q. 2. & c. testimonium. 11. q. 1. Tamen si de facto testificatur sine licentia, testimonium valet, licet ipse malefecerit. Franc. Aret. consil. 160. & Angel. cons. 232. Multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. c. ad apostolicam. de regular. Et clericus, habita licentia iurandi, potest iurare de calumnia etiam in manibus iudicis sæcularis, coram quo litigat. glos. in c. nullus. 22. q. 5. quia quantum ad illam causam ipse est superior. c. nos. 2. q. 7. & l. est receptum. ff. de iurisd. omn. iud. Sed ad confirmandum contractum, potest clericus iurare absque alia licentia superioris, sicut & in alijs actibus licitis, in quibus à iure id ei expresse non prohibetur. Butr. & Abb. hic. cum tunc ei censeatur permissum. Specul. hoc tit. §. restat. n. 16.

Cap. 2. Literas.

IN spiritualibus causis de calumnia non iuratur.

QVIA

QVIA cauſæ ſpirituales, non ex legum diſtrictione, ſed ex canonum æquitate, finem debitum ſortiuntur. c. dilecti. de iudic. & cap. ſunt. 27. q. 2. Et quoniam canones iuramentum calumniæ in huiuſmodi cauſis, nulli prorſus indicunt. vt in tex. Et ex quo canon expreſsè in hoc non diſponit, & diſpoſitio legis ciuilis non fuit moribus recepta, illa de neceſſitate non eſt ſeruanda. Abb. hic. Et ratio, cur canones hoc non diſpoſuerint, nec diſpoſitionem legis ciuilis in hoc receperint, eſt, quia in huiuſmodi cauſis homines præſumebantur magis Deum habere præ oculis, & in memoria; & ſic, quod litigantes in eis non calumniarentur. gloſ. in c. 1. ver. iuramentum. eod. in 6. Vnde ſicut magis præſumitur pro hominibus ſpiritualibus, quàm pro alijs. c. in noſtra. de procur. & c. qui verè. 16. q. 1. ita in iſtis ſpiritualibus erat magis præſumendum. c. 1. de dol. & cont. Ideo in talibus procedebatur in iudicijs abſque huiuſmodi iuramento. vt in tex. Iurabatur tamen in eis de dicenda veritate. d. c. 1. in 6. quia veritas reſpicit ſcientiam veritatis; & quoniam veritatis ſcientia ad pauca reſtringitur; ideo facilius eſt ad illã per iuramentum reſpondere. Innoc. hic. Et in quibus differant hæc iuramenta, not. Specul. hoc tit. §. 1. Sed quoniam poſtea experientia docuit, quod etiam in iſtis homines calumniabantur. d. c. 1. in 6. Et malitijs non eſt indulgendum. c. plerunque. de reſcript. Et præſertim in ſpiritualibus debet ineſſe puritas, & omnis dolus abeſſe. c. ſicut. diſt. 40. Ideo fuit poſtea ſtatutum, vt etiam in cauſis ſpiritualibus tale iuramentum requiratur, ſicut hodie requiritur per d. c. 1. in 6. quod tanquam ius poſterius corrigit hoc cap. in quo contrarium diſponebatur. cap. 1. de conſtit. in 6.

Cap. 3. In pertractandis.

PRINCIPALIS perſona non indiſtinctè releuatur ab onere iurandi de calumnia, licet compareat per œconomum; ſed ſibi, vel œconomo eſt deferendum, inſpecta qualitate cauſæ, & perſonarum.

QVIA huiuſmodi iuramentum præſtatur, vt veritas eliciatur. c. ex literis. de iureiur. Et vt eius timore contentioſa litigantium inſtantia compeſcatur. l. 1. C. eod. vnde verſus:

Illud iuretur, quod ſibi lis iuſta videtur;
Et ſi quæretur, verum non inficietur;
Nil promittetur, nec falſa probatio detur;
Vt lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Gloſ. ſup. in c. 1. Et quoniam nemo præſumitur proprium factum ignorare. c. ab excommunicato. de reſcript. & c. quanto. de præſumpt. Ideo quamuis concedatur, vt œconomus, qui de cauſa ſit inſtructus, poſſit hoc iuramentum in animam ſuam præſtare, licet non habeat ad illud à

domino

domino ſpeciale mandatum; & hoc ideo, quia ipſe habet generalem adminiſtrationem. l.2. C.eod.non tamen excluditur, quin & dominus habeat tale iuramentum præſtare, ſi per illud ſit præſumptio, quod facilius eius fraudes poſſint euitari. d.l.1.& c.2.eod.in 6.Vnde inſpecta cauſæ, & principalium perſonarum qualitate, quandoq; per ipſas principales perſonas,quandoq; per œconomos, qui cauſam omnino non neſciant, in animam iurantis illud eſt præſtandum. vt in tex. & Authent. principales. §. quod obſeruari. C. eodem.

Cap. 4. Imperatorum.

VNIVERSITAS tenetur iurare de calumnia, niſi releuet ſe, conſtituendo œconomum.

QVIA principaliores de vniuerſitate, per quos ipſa gubernatur, cenſentur illius facta non ignorare. l.municipes, la 1. ff. ad municipal. Tamen quoniam communia naturaliter negliguntur. C.quand. & quib.pars deb.l.2.lib.10. Ideo eis conceditur, vt ad hoc non cogantur, ſed illud poſſint per œconomum, qui de cauſa ſit inſtructus, præſtare. vt in tex.& ſup. c. prox. ſicut ſimiliter illud poſſunt præſtare omnes, qui habent generalem adminiſtrationem, vt ſunt tutores, curatores, patres in rebus aduentitijs filiorum, rectores hoſpitalium, & ſimiles. l.2. C. eod. Si enim vniuerſitas per ſuos principaliores, vel per ſuum œconomum taliter non iuraret, videretur huiuſmodi occaſione aliena iura illicitè detinere. infr.e.fin.Vnde ſtatuitur etiam in ipſa, vt ſi ex parte ſua, cum res poſtulauerit, hoc iuramentum non fuerit præſtitum, quod decidat à cauſa. vt in tex. Qui enim de calumnia non vult iurare,ſi eſt actor,cadit à cauſa;ſi eſt reus, habetur pro confeſſo.d. l.2. Oeconomus autem dicitur ille, cui res eccleſiaſticæ gubernandæ mandantur. c.quia, & c.volumus.diſt.89.Sed ſi vniuerſitas non conſtituit talem œconomum, tunc ſi agit Abbas, vel Rector Collegij, ipſi iurabunt, quia habent legitimam adminiſtrationem. c. edoceri. de reſcript. & Authent. principales. §. hoc etiam. C.eod. Si verò agit alius, tunc non oportet, quod iurent omnes de vniuerſitate, tum quia eſſet admodum difficile, & impediret negotiorum expeditionem; tum quia multi non bene informati incurrerent periurium; ſed tunc, ſi vniuerſitas eſt ſæcularis, iurant principaliores, per quos illa gubernatur. d.l. municipes, & Bart.in d.§.hoc etiã. Si verò eſt eccleſiaſtica,& tunc,aut Abbas ſolus conſtituit procuratorem, ſeu ſyndicum ſpecialem,& iurat ipſe Abbas; aut illum conſtituit ipſe Abbas cum conuentu, vel prælatus cum capitulo, & iurabunt principaliores ipſius conuentus, & congregationis. Abb.hic.& arg d.§.hoc etiam.C.eod.

Cap. 5. Cęterum.

CLERICI etiam, in eorum cauſis iurant de calumnia.

QVIA

QVIA vt huius iuramenti timore litigantium fraudes euitentur, quælibet pars principalis illud præstare debet. sup. cap. in pertractandis. Sed quoniam in causis ecclesiarum indulgetur clericis, vt ad illud personaliter præstandum non cogantur, si alteri hoc officium demandauerint. sup. c. 1. Et exceptio firmat regulam in contrarium. c. dominus. 32. q. 6. Cum inclusio vnius sit exclusio alterius. l. cum prætor. ff. de iudic. Ideo in proprijs causis clericorum (in quibus ipsi præsumuntur melius informati, quàm in causis ecclesiarum, quæ per extraneorum successiones variantur) remanet regula vniuersalis, vt ipsi, sicut alij principales, ad hoc iuramentum teneantur. vt in text. Sed hodie per ius posterius, quilibet potest illud præstare per procuratorem habentem ad hoc speciale mandatum. c. fin. in 6.

CONTRARIA consuetudine non obstante.

QVIA talis consuetudo præberet occasionem prolungandi lites, & in illis committendi fraudes. sup. cap. in pertractandis. Ideo tanquam irrationabilis non est attendenda. c. ex parte. de consuet. Et iuri scripto, quod decernit tale iuramentum, præiudicare non potest. c. fin. d. tit.

Cap. 6. Cum causam.

PROCVRATOR, vel syndicus vniuersitatis ecclesiasticæ, vel secularis, de calumnia iurare potest.

QVIA cum isti habeant legitimam administrationem causarum totius vniuersitatis, præsumuntur scire qualitatem illarum, an sint iustæ, vel ne. sup. c. in pertractandis. & l. 2. §. quod. C. eod. Et quoniam iuramentum calumniæ est de credulitate, vt secundum quod credit, & existimat, debeat quis respondere. d. l. 2. §. 1. Ideo ex quo isti habent ab vniuersitate generalem causarũ administrationem, admittuntur etiam à iure ad hoc iuramentum præstandum, absque alio speciali mandato. vt in tex. & sup. c. imperatorum.

Cap. 7. Cum in causa.

EPISCOPVS iurat de calumnia, si per seipsum eligit litigare.

QVIA iuramentum de calumnia est accessorium ad litis prosecutionem, cum sine illo, si fuerit à parte requisitum, causa expediri non possit. c. 1. in 6. & l. 1. C. eod. Et quoniam accessorium sequitur naturam sui principalis. cap. accessorium. de reg. iur. in 6. Ideo episcopus, vel alius, qui per seipsum vult litigare, ipse etiam debet hoc iuramentum præstare. vt in tex. & c. præterea. de offic. deleg.

PROPOSITIS tantum, non tactis Euangelijs.

QVIA

QVIA Euangeliorum præsentia iuranti terrorem inducit ; & veritati suffragium impendit. Host.in sum.hoc tit. §. quis debet. Nam periurium tanto magis est pœnale, quanto sacrius est illud, super quo fuit præstitum iuramentum. c.mouet. 22. q.1. Sed quoniam presbyteri indistinctè habent priuilegium in leuibus causis,vt vice iuramenti,per sanctam consecrationem interrogentur, cum sacerdotes ex leui causa iurare non debeant ; ne manus, per quas corpus,& sanguis Christi conficitur, videantur pollui quo ad vulgi opinionem. c. si quis.2.q.5. Ideo similiter congruum est, vt episcopi priuilegientur, quòd sicut in causis arduis, & casibus grauioribus, iurando, tenentur tangere euangelia.c.quoties.1.q.7.ita in causis ordinarijs, & casibus leuioribus, in quibus habeant iurare, sufficiat, quod euangelia sint eis proposita, & illa non tangant, sed tantum, iurando, eleuent manus versus ipsa. c.testimonium. 11.q.1.& glos.in c.vt circa. ver. corporali. de elect. in 6. Et de modo, & forma iurandi, est glos. not. in Clem. 1. ver. tactis. de hæret.

SI verò per syndicum litigat, per illum poterit iurare.

QVIA syndicus intelligitur constitutus ad vniuersitatem causarum ecclesiæ, & de illis præsumitur bene instructus. sup. c. in pertractandis.& c.vnic.de syndic.Et quoniam cuilibet generadi administratori est à iure concessum, vt sine alio speciali mandato, possit hoc iuramentum præstare. Authent. principales.C. eod. Ideo similiter potest iurare syndicus. vt in tex.& sup. c.imperatorum. Simplex verò procurator non potest hoc facere sine speciali mandato. cap. fin. eod.in 6.

§. Pœna.

ACTOR refutando iuramentum calumniæ sine causa, cadere debet ab instituta actione.

QVIA cum hoc iuramentum fuerit inuentum ad fraudes litigantium euitandas. sup.c.in pertractandis. Actor, qui illud subire recusat, censetur improbus litigator. d. Authent. principales. §. quod si actor. Et quoniam, qui semel actionem proponit, aut debet à causa cadere, aut litem vsque ad finem exercere. Authent. qui semel. C. quomod. & quand. iud. Ideo cum iste censeatur iniustam causam fraudulenter mouisse, ad dirimendas lites, & in eius pœnam, ab hoc iudicio est in futurum repellendus. vt in tex. & Authent. vt litig. iur. in exord.lit.§.illo.coll.9.

REVS autem debet haberi pro confesso.

QVIA tunc censetur malitiosè subterfugere, & se à tali iuramento abstinere, ne deierando peccet. Authent. in d.§.quod.Et quoniam

niam, qui fouet iniustam partem in iudicio, debet cadere ab illa. cap. finem. de dol.& cont. Ideo si aliquod ius in causa habebat, per huiusmodi suam præsumptam fraudem, censetur esse nullius momenti, & illud meretur amittere. vt in tex. & d. §. quod. Quæ amissio, tam ex parte actoris, quàm ex parte rei, non incurritur ipso iure, sed per sententiam iudicis est incurrenda. glos. in d. §. quod. nam iudex procedet contra actorem absoluendo reum, ac si nihil probasset, vel contra reum, ac si petita essent probata. glos. hìc. & Authent. in d. §. illo. Dispositio enim huius pœnæ est concepta per verba futuri temporis, dum tex. dicit; Cadat à causa, vel Habeatur pro confesso. Host. in sum. huius tit. §. fin. Quo casu pœna non imponitur ipso iure, sed vt incurratur, requiritur sententia. vt not. in c. quisquis. de elect. & glos. in c. in pœnis. de reg. iur. in 6.

IN SEXTO. Cap. 1. Si de calumnia.

NON est de substantia, quod statim post litem contestatam, iuretur de calumnia.

QVIA illud dicitur esse de substantia ordinis alicuius rei, cui determinatus est certus locus, qui nec mutari potest. glos. in c. 1. ver. tertia. dist. 75. vbi autem locus illius est determinatus, tamen in alio loco potest poni, non dicitur ille locus esse de substantia ordinis. glos. in Clem. causam. ver. deuoluta. de elect. Et quoniam si hoc iuramentum etiam in totum tacitè omittatur, non annullatur processus. infr. §. 2. Ideo multo fortius potest post exordium litis, ad tempus omitti. vt in tex. & c. cum Ioannes. extr. de fid. instr. Nec obstat, quod dicatur, illud esse præstandum in exordio litis. ex. c. 1. nam verum est, id fieri debere, si deferatur. vt in tex. Sed si non fiat, quia non fuit delatum, non propterea processus vitiatur, quia alijs iuribus sustinetur. glos. hic, & glos. in Authent. principales. §. sed quia. C. eod. Nec enim semper ordinem scripturæ seruamus. c. causam. ext. de rescript. & l. nec ordo. ff. de solut. Vnde cum hoc iuramentum debeat præstari, vt via fraudibus præcludatur. infr. c. prox. & l. 1. C. eod. quocunque tempore pars suspicetur de fraude alterius, potest ante conclusionem in causa petere, vt hoc remedium adhibeatur. vt in tex. & glos. fin. in c. ex literis. ext. de iureiur. A contrario, si esset de substantia ordinis, eius suppletio postea facta non validaret inutiliter retro gesta; sicut in testamento, suppletio septimi testis non confirmat acta coram sex testibus. l. hæredes palàm. ff. de testam.

§. Pro-

§. Propter.

NON annullatur processus, licet tacitè omittatur calumniæ iuramentum.

QVIA ea, quæ non sunt de substantia actus, sed de solemnitate, & ad bene esse, si fuerint omissa, non vitiant actum. glos. 1. in c. 2. ext. de cler. per salt. prom. Et quoniam hoc iuramentum non est de substantia ordinis iudiciarij. sup. §. prox. Ideo licitè potest, tacitè illud omitti. vt in tex. & d. Auth. principales. Sed quia hoc iuramentum non est principaliter introductum pro commodo priuatorum, sed pro communi vtilitate. d. §. sed quia, & ibi glos. Et ea, quæ principaliter ad publicam vtilitatem sunt inducta, per partium pactum renunciari non possunt. c. si diligenti. ext. de for. comp. Et pactum expressum de non iurando de calumnia, videretur inuitare partes ad delinquendum, & protelandum lites in præiudicium boni publici, & ipsius iudicis. Abb. in c. tuis. de testib. Et dolus futurus per aliquos remitti non potest. Bald. in d. §. sed quia. Ideo hoc iuramentum potest per partes tacitè omitti, absque eo, quod vitietur processus, non autem expresse. vt in tex. & Auth. in d. §. sed quia.

IN spiritualibus causis simul de calumnia, & veritate iuratur.

QVIA licet in huiusmodi causis olim de calumnia non iuraretur. ext. c. literas; quia non præsumebatur, quod in eis litigantes calumniarentur, sed Deum in memoria semper haberent. glos. hic. Sed bene iurabatur de veritate dicenda. vt in tex. quia tale iuramentum, quod est de scientia, ad pauciora se restringit, & facilius est per illud respondere, quàm sit per istud de calumnia, quod est de credulitate. Innoc. in d. c. literas. Sed quoniam experientia patefecit, quod hominum crescente malitia, etiam in causis spiritualibus litigantes frequenter calumniabantur. vt in tex. Ideo vt via calumnijs præcludatur, statuitur, vt in istis causis simul de veritate dicenda, & calumnia euitanda, partes præstent iuramentum. vt in tex. & c. præsentium. infr. de testib.

Cap. 2. In appellationis.

IN causa appellationis iurari debet de calumnia, & de veritate dicenda.

QVIA licet hoc iuramentum sit præstitum in prima instantia. extr. cap. 1. Et in eadem causa illud non videatur sæpius iterandum. Authent. hoc sacramentum. C. eod. Tamen quoniam in appellationis instantia possunt fieri nouæ probationes, & defensiones. cap. cum Ioannes. extr. de fid. instr. Et instantia appellationis est diuersa à prima instantia. cap. fin. infr. de testib. Et iuramentum de ca-

lumnia, aut de veritate dicenda, refertur ad inſtantiam, in qua iuratur, quod in illa ipſe iurans non vtetur calumnioſa probatione, vel defenſione, & quod verum fatebitur. d.c.fin.& ex.c.in pertractandis. de teſtib. Ideo hoc iuramentum reiterabitur in cauſa appellationis, propter nouas defenſiones, & probationes, quæ ibi poſſunt fieri, licet fortè poſtea nouæ probationes non fiant: vt in tex.& l.2.C.eod. Iura ergo quæ dicunt, iuramentum calumniæ in cauſa generaliter præſtitum, non eſſe iterandum, intelliguntur in eadem inſtantia, ſecus in diuerſa.gloſ. in d.l.2.ver.mouiſſe.

§. Procuratores.

PROCVRATOR deputatus poſt iuramentum calumniæ, iurabit de calumnia.

QVIA licet per iuramentum præſtitum ab ipſo principali, ſit prouiſum de calumnia per ipſum euitanda; non tamen eſt prouiſum de illa euitanda per ipſius procuratorem, cum iuramentum non tranſeat de perſona in perſonam. Francus hic. Et quoniam poteſt eſſe, quod principalis habuerit bonam fidem, & procurator habeat malam. l.ſi cui. ff. de accuſat. Et hoc iuramentum eſt præſtandum per omnes, qui in iudicio habent ius, & in illo calumniari poſſent. Authent. principales. C.eod.Ideo licet principalis iurauerit de veritate dicenda, & calumnia euitanda, ſi poſtea conſtituit procuratorem, etiam ipſe debebit hoc iuramentum præſtare. vt in tex.& d. Auth. principales. Et licet regulariter procurator iuret in animam domini.c.procurator.ſup. de elect. & c. metuentes. 17.q.4.iuramentum tamen calumniæ, ad euitandas fraudes, debet præſtare in animam domini, & in animam propriam. gloſ.ver.ab ipſis. In caſu tamen, quo dominus iurauit, non eſt neceſſarium, vt ei ad hoc detur ſpeciale mandatum. d. gloſ. hic. Syndicus autem vniuerſitatis iurat de calumnia in animam propriam tantum, & ſine ſpeciali mandato. gloſ.in c.in pertractandis. ext. eod.

§. In omnibus.

IVDEX, quoties ſibi videtur, exigit iuramentum malitiæ, etiam ſi de calumnia, vel veritate iuratum ſit.

QVIA iuramentum ſpecialiter præſtitum ſuper certo capitulo, non ſe extendit ad alia capitula ab illo diuerſa. c.clericus. extr. de iureiur. Cum actus agẽtium non operẽtur vltra intentionem eorum. l.non omnis. ff.ſi cert. pet. Et quoniam malitia poteſt in cauſa præſtari non ſolum in ijs, quæ per iuramentum de calumnia, & de veritate dicenda, intelliguntur excluſa, ſed etiam alijs modis poteſt in ea malitia committi. Goffr.hic. vbi notat quatuor differentias inter iuramentum

tum de calumnia, & illud de malitia. Et quandocunque detegatur per partes in causa committi malitiam, iudex debet malitiosum punire, & curare, vt illa euitetur. c. vt circa. sup. de elect. Ideo in omnibus causis, ne dum ante, sed etiam postquam lis fuerit contestata, siue de veritate, siue de calumnia sit iuratum in ipsis, potest iudex à partibus exigere iuramentum malitiæ, quotiens viderit expedire. vt in tex. puta, cum iudex suspicatur, quod malitiosè proponatur exceptio, petatur dilatio, & similia. glos. fin. hic. & Specul. hoc tit. §. 1.

Cap. 3. Nullam.

PROCVRATOR habens speciale mandatum, iurat de calumnia.

QVIA hoc iuramentum est de credulitate, vt secundum quod credit, & existimat, debeat quis respondere. l. 2. C. eod. Et quoniam quando procurator est ad hoc specialiter datus, præsumitur, quod fuerit à domino melius instructus, qualiter causa se habeat, quàm si esset datus generaliter, & maxime ad futuras lites, in quibus fortasse negaret id, quod confiteretur, si à domino fuisset instructus. Ioan. Andr. hic. Ideo si procurator habeat speciale mandatum ad hoc iuramentum præstandum, admittitur, non autem si habeat solum generale ad lites. vt in tex. Et tunc debet iurare in animam propriam, & domini, de credulitate vtriusque ipsorum. vt sup. in cap. prox.

Liber Secundus. Titulus Octauus.

DE DILATIONIBVS.

IN DECRETAL. Cap. 1. Dilecti.

CITATIO vocatoria cum peremptoria, non debet esse nimis breuis.

QVIA dilationes ita sunt dandæ, vt intra eas quis possit commodè adimplere id, ad quod citatur. c. de inducijs. 3. q. 3. Et quoniam per huiusmodi citationem datur citato terminus ad comparendum. Abb. hic. Et terminus peremptorius dicitur ille, vltra quem super illo actu regulariter, citatus aliam dilationem non habet. l. & tertium. ff. de iudic. Ideo in tali citatione vocatoria debet tantum

tempus assignari, vt citatus possit coram iudice verisimiliter ad suam causam dicendam commode comparere. vt in tex.& l.consentaneum. C. quomod.& quand.iud. Quando autem talis terminus dicatur competens, vel nimis breuis, vbi expresse à iure non limitatur, relinquitur arbitrio iudicis, inspecta locorum distantia,& qualitate negotij.c.cum sit.de appellat. & Authent.de litig.§.si verò. coll.8.Qui si non arbitrabitur vt bonus vir, dicetur grauare,& poterit appellari.c.super his, & ibi glos.de accusat. & Bart. in l.si qua.ff.de verb. sign.

MAXIME, vbi de rebus ecclesiasticis agitur.

QVIA ecclesiæ in suis rebus est fauor indulgendus. c. sanctorum. de præscript. Summa enim est ratio, quæ pro religione facit. l. sunt. ff.de relig. Ideo licet in ipsis sit finis, quam citius commode fieri potest, litibus imponendus. Clem. dispendiosam. de iudic. non sic tamen iudex debet litem abbreuiare, quin præcipue in eis probationes necessariæ,& defensiones legitimæ admittantur. vt in tex. & Clem. sæpe. de verb.sign.

NISI necessitas aliud suggerat.

QVIA necessitas non habet legem. c.mutationes. 7. q.1. Et quoniam quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio.l.de ætate. §.ex causa. ff. de interrog. act. Ideo etiam si terminus dilationum sit regulariter assignatus à iure, iudex ex superuenienti necessitate potest illum restringere, vel prorogare. glos.in d.c.cum sit. & Bart. in l.2. ff.de re iudic. Hodie verò de stylo communi non seruantur dilationes iuris, sed vel in statuto exprimuntur, vel arbitrio iudicis præfiguntur, & in hoc est attendenda consuetudo fori. Abb. hic. & c. pastoralis. de except.

Cap. 2. Præterea.

INDVCIAE deliberatoriæ denegantur reo, si per literas citatorias plene potuit instrui,& deliberare super eo,de quo quæritur.

QVIA superfluæ dilationes in litibus à iure detestantur. Authent. de litig. §. omnem. coll. 8. Et quoniam inducię deliberatoriæ dantur reo, ad deliberandum super petitis in libello oblato, an ipse velit cedere, vel contendere. cap.inducię. §. offeratur. 2.q.3. Ideo si reus ad iudicium vocatus, ex rescripto sibi transmisso potuit instrui super eo, de quo conuenitur, deliberatoriæ inducię non sunt ei vlterius indulgendæ, sed iudex debet procedere absque alia mora, in negotio sibi commisso. vt in tex. & l. 2. C. de tempor. & repar. Frustra enim fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æque bene. l. ampliorem. C. de appellat. Vnde ad excludendas inducias deliberatorias, quæ dari solent reo ad respondendum,& deliberandum

super

ſuper contentis in libello, nota cautelam,& practicam, vt in citatione ponatur copia reſcripti, vel aliquid aliud, ex quo certificetur reus, ſuper quo eſt conueniendus, & qua actione. Angel. conſ. 139. Oportet tamen, quod terminus præfixus in citatione, ſit ita præfixus, vt non ſolum comparere, ſed etiam deliberare valuerit, an deberet cedere, vel contendere. Abb. hìc. ſecus autem, vbi terminus non fuit ita ſufficiens; tunc enim ceſſaret ratio, propter quam ei denegantur, & per conſequens deberet habere inducias ad deliberandum. infr.c.fin. & not.Cyn.in l. 1. C.eod. Et ſic nota, quod inducìæ deliberatoriæ non ſunt concedendæ, niſi ſemel, ſiue explicitè, ſiuè implicitè ſint conceſſæ. vt in tex.& d.§.offeratur. Quod procedit, niſi ex aliqua legitima cauſa reus non valuerit deliberare in prima dilatione. infr.c.expoſuit. & c.1. ſup. vt lit. non conteſt.

Cap.3. Literę.

EX declaratione verbi generalis, vel ambigui poſiti in libello, nouæ inducìæ deliberatoriæ dandæ non ſunt, ſi per expreſſa potuit reus deliberare ſuper ambiguitate illa, vel generalitate.

QVIA ex quo reus iam eſt inſtructus de cauſa per libellum, videretur malitiosè nouas inducias petere ad deliberandum ſuper reſponſione illius, pro quo habuit competentes inducias, licet poſtea in illo aliquid addatur ad maiorem expreſſionem, quod non mutet naturam negotij. gloſ.hìc. Et quoniam ſuperfluæ dilationes in litibus deteſtantur. ſup. cap.prox. Ideo ſatis eſt, quod reus potuerit deliberare per inducias ſibi conceſſas in ipſa libelli oblatione, nec per aliqualem declarationem poſtea ſecutam, ſunt ei nouæ inducìæ ad deliberandum concedendæ. vt in tex. & c.inducìæ, & ibi gloſ.ver.amplius. 3. q.3. Si verò libellus fuiſſet ita obſcurus, vel ambiguus, quod veriſimiliter deliberare non potuiſſet, tunc poſt declarationem debet habere inducias, ac ſi primas non habuiſſet. Hoſt. hìc. Quando autem declaratio dicatur talis, vt pro ea ſint iſtæ inducìæ dandæ, vel non, relinquitur arbitrio iudicantis. Abb. hic. Iſta enim magis poſſunt percipi intellectu, quàm poſſint aliqua locutione exprimi. c. apoſtolicæ. de donat. & l. 3. ff. de teſtib.

Cap. 4. Expoſuit.

SI citatus in cauſa ardua, de longinquo vocatur pro publica vtilitate, etiam ad locum iudicij, ita, quod intra terminum citationis deliberare, & alia ſibi neceſſaria ad comparendum, explicare non potuit, in termino reſpondere non cogitur, ſi reperiatur in loco iudicij.

QVIA vtilitas publica eſt præferenda priuatæ. c. bonæ, il 1. de poſtul. præl. Et quoniam propter impedimentum publicæ vtilitatis, taliter citatus non potuit habere tempus ad conſulendum eos, quorum conſilium arduitas cauſæ requirebat. Abb. hìc. Ideo talis debet pro abſente reputari, & reuocandi domum priuilegium habere. vt in tex. & Authent. de ſanctiſs. epiſc. §. ſi verò epiſcopi. coll. 9.

SED habebit nouas inducias.

QVIA ex legitima cauſa nouæ inducìæ ad deliberandum, in litibus conceduntur. c. inducìæ. §. iudicantes. 3. q. 3. & l. 1. C. eod. Et quoniam officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum. l. ſi ſeruus. §. quod. ff. de furt. Nam non debet quis damnum conſequi, vnde præmium meretur. c. peruenit. de fideiuſſ. Ideo cum propter publicam vtilitatem, non potuerit iſte citatus ſuæ cauſæ incumbere, nec habuerit tempus, in quo ad vtrumque negotium valuerit (ſicut expediret) eſſe paratus, aliæ inducìæ deliberatoriæ loco priorum, ſunt ei concedendæ. vt in tex. & l. ſi quando. C. eod.

IN Extrau. Comm. Cap. vnic. In delictorum.

CITANTVR peremptoriè fabricantes florenos in partibus Lombardiæ, & Marchiæ Ianuenſis, ſub forma, & ſigno, quo Florentiæ cudebantur, data ſibi dilatione trium menſium, intra quos coram Papa compareant.

QVIA quamuis dicti floreni, ad veram florenorum de Florentia ſimilitudinem fabricati, in vero, & ſolito florenorum eiuſdem ciuitatis pondere, communiter, & bonitate auri, & vero florenorum valore deficiant; ipſi tamen (ſimulata eorum effigie) perſonas, vt plurimum, ſimplices, & quandoque etiam in huiuſmodi rebus expertas decipiunt, ipſasq; damnis rerum, & periculis perſonarum exponunt, dum pro veris florenis ipſos recipiunt. vt in tex. Et quoniam tales falſarij, & fabricatores huiuſmodi monetarum, ſe dignos maledictione conſtituunt. extrauag. vnic. Ioan. XXII. de crim. falſ. Et Papa habet auctoritatem, vbique peccata prohibendi, & innocentium indemnitati prouidendi. c. nouit. de iudic. Ideo citat tales ad coram ſe comparendum, & oſtendendum, quo iure iſta ſibi competere credant. vt in tex.

ALIAS contra ipſos, eorum abſentia non obſtante, procedetur, prout iuſtitia ſuadebit.

QVIA

QVIA cum hæc nuntiatio, & citatio fuerit affixa in oſtijs maioris eccleſiæ Auinionenſis, vbi hic ſummus Pontifex Ioannes xxij. tunc degebat, vt ad communem omnium notitiam deduceretur, & publicaretur, & vt prædicti moniti, & citati, & alij quicunque, qui ſua crediderint intereſſe, nullam poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos proceſſus huiuſmodi non peruenerit, vel ignorauerint eundem; non eſt veriſimile, remanere quo ad ipſos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. vt in tex. Et quoniam taliter citati, non comparendo, cenſentur contumaces. c. fin. de dol. & cont. Et contra contumacem poteſt in cauſa procedi, ac ſi eſſet præſens, quo ad illum actum, in quo eſt contumax. c. cauſam. d. tit. Et quando ſuperior fuit comminatus in termino peremptorio, de procedendo ad vlteriora, & pronunciando in cauſa, poteſt procedi ad vlteriora contra non comparentem, prout qualitas cauſæ patitur, ſine noua citatione, cum talis videatur contumax in tota cauſa. cap. 2. de dol. & cont. in 6. Ideo ex quo iſti fuerunt taliter citati, ſi non comparent, poterit contra eos abſque alia citatione procedi. vt in tex. & Io. And. in d. c. 2. in 6.

Liber Secundus. Titulus IX.

DE FERIIS.

In Decretal. Cap. 1. Omnes.

DIEBVS Dominicis mercari, litigari, iudicari, vel iurari non debet.

QVIA dies Dominica tantis diuinarum diſpenſationum myſterijs conſecrata eſt, vt quicquid à Domino eſt inſigne conſtitutum, in huius diei dignitate ſit geſtum. In hac die mundus ſumpſit exordium: In hac per reſurrectionem, & mors interitum, & vita accepit principium. c. quod die. diſt. 75. Et quoniam in ſolemnioribus diebus, eſt diuinis officijs magis incumbendum. c. irreligioſa. de conſecr. diſt. 3. Et feſtiuitates Dei ſunt deuotè celebrandæ. c. odi. 24. q. 1. Ideo omnes dies Dominicos à veſpera in veſperam cum omni veneratione debemus obſeruare, & ab omni illicito opere abſtinere. vt in tex. & l. omnes. C. eod. Et quia mercari facilè retrahit homines à deuotione, & eſt occaſio ad peccandum: nam difficile eſt, inter ementis, vendentisq. commercium, non interuenire peccatum. cap. qualitas. de pœnit. diſt. 5. cum ſæpe prompti ſint con

trahentes ſeſe inuicem circumſcribere. Item ſi pretio. §. quemadmodum. ff. locat. Vnde propheta inquit; Quia non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini. pſal. 70. Non prohibentur tamen per hoc, ſæcularibus licitæ negotiationes in diebus non feſtiuis. c. eijciens, & c. quoniam. diſt. 88. Cum illę ſint neceſſariæ in ciuitatibus propter permutationes rerum faciendas, quæ non ſunt eædem apud omnes; & ad earum faciliorem expeditionem fuit inuenta pecunia. Ariſt. 1. politic. cap. 6. Ideo in diebus Dominicis, & alijs feſtiuis, propter propinquitatem ad peccatum, & propter impedimentum, quod eſſet ad audienda diuina officia, & vt in illis homines quieſcant à laboribus aliorum dierum, prohibetur mercari. vt in tex. & infr. c. licet. Et quia in litigio oritur magna contentio, & odium inter partes. c. finem. de dol. & cont. Et ſi homines poſſent neceſſitari, vel ad libitum poſſent intendere, ad litigandum in his diebus, dimitterent diuina officia, & incumberent litigijs, in quibus ſæpe committerent mendacia, & fraudes. c. vnic. de ſyndic. Ideo etiam lex ciuilis dicit, quod horrida vox prætoris debet feſtiuis diebus ſilere. l. dies feſtos. C. eod. Et quia propter frequentem iurationem, de facili incurritur peccatum. cap. etſi Chriſtus. de iureiur. Et iuramentum procedit ex malo nō credentium. cap. ſignificaſti. de elect. & non præſumitur ſpontè præſtitum. c. ſuper hoc. de renunt. Ideo feſtiuis diebus prohibetur iurari. vt in tex. & l. fin. C. eod. Vnde teſtis non debet diebus feriatis iurare, licet tunc poſſit deponere. Ioan. Andr. hic. tum quia dies depoſitionis trahitur ad diem iuramenti, cum illa habeatur pro recepta tempore iuramenti. l. ſi quando. C. de teſtib. tum quia iſte actus eſt extraiudicialis, cum fiat in ſecreto, exēplo Danielis. Specul. hoc tit. §. 3. ver. quid ſi tunc. Non tamē debent teſtes examinari diebus feriatis principaliter in honorem Dei, niſi aliud ſuadeat neceſſitas, licet alio die ſit præſtitum iuramentum, & ſaltem, ſi eſt actus executiuus actus iudicialis. Butr. hic. licet ſi taliter examinentur, depoſitio teneat. Abb. hic. Sicut ſimiliter contractus non debent fieri in eccleſia, tamen facti tenent. c. decet. de immunit. eccl. in 6.

SED de veſpera in veſperam debent celebrari.

QVIA ſolemnitas, quæ in veteri lege à Deo erat præcepta in die ſabbati, in Chriſtiana lege translata eſt in diem Dominicam. infr. c. licet. & de conſecr. diſt. 3. c. pronunciandum. Et quoniam Deus dixit per Moyſen: A veſpere vſque ad veſperum celebrabitis ſabbata veſtra. Leuit. cap. 23. Ideo ſimiliter quo ad celebrationem diuinorum in diebus Dominicis, & alijs feſtiuis Eccleſia incipit diem à primis veſperis ad ſecundas veſperas diei. vt in tex. & c. quod à patribus. diſt. 75. Dies tamen incipit, & terminatur diuerſis horis, diuerſo reſpectu; Nam quantum ad officij celebrationem, incipit à veſperis.

vt

vt hic,& infr.c.prox.Quo ad iudicium, incipit in mane, & terminatur in fine diei ante noctis tenebras.c.conſuluit.de offic.deleg.& Authent. de iudic.§.ſedebunt.coll.6. Et ſic dies diſtinctus à nocte,eſt latio ſolis ſuper terram.Lira in c.1.Geneſ.Quo ad contractus,teſtamenta;tranſactiones,& ſimilia,incipit a media nocte, & alia media nocte finitur.d.c.conſuluit.& l.more Romano.ff.eod.Quo ad eſum carniũ, incipit dies poſt cœnam;intelligendo, quod cœna fiat ante mediam noctem; & ſic incipit à media nocte,& durat vſque ad diluculum noctis ſequentis. c. de eſu.de conſecr.diſt.3.& gloſ.ibi in ſum.Quo ad treugam, incipit ab ortu Solis,& durat per totam noctem.c.1.de treug.& pac.Iſte enim eſt dies naturalis vigintiquatuor horarum, cuius prima pars eſt illa, quæ habet præſentiam Solis,& per excellentiam vocatur dies: Secũda pars eſt nox,quæ fit per occultationẽ Solis.Lira.in c.1.Geneſ.iuxta illud:Factum eſt veſpere,& mane dies vnus: Appellauit lucem diem, & tenebras noctem.Geneſ. ibidem. Aliæ tamen nationes auſpicabantur diẽ, vt alio,atque alio modo obſeruaretur; Nam Athenienſes diem ciuilem incipiebant à Sole occidente ad Solem iterum occidentem. Babilonij ab ortu Solis,ad Solem ſecundò exorientem; Arabes à meridie ad meridiem ſubſequentem. Romani à media nocte ad mediam noctem. Macrob.lib.1.Saturnal.cap.3.& Plin.lib.2.cap.79.Vnaquæq; enim prouincia abundat in ſuo ſenſu.c.vtinam.diſt.76.

Cap.2. Quoniam.

FESTORVM principium, & finis, ſieri debet ſecundum ipſorum magnitudinem.

QVIA æqualis eorum dierum debet eſſe feſtiuitas,quorum æqualis eſt & ſanctitas.c.ſcire.diſt.76.Et quoniam vna ſolemnitas maior eſt altera.c.fin.& ibi gloſ.de ſent.excom.in 6. Ideò licet ſcriptum ſit: De veſpera in veſperã celebrabitis Sabbata veſtra.Leuit.c.23. Feſtorum tamen principium,& finis,iuxta eorum qualitatem,& diuerſarum regionum conſuetudinem, debet attendi; & ſicut magnitudo dierum exigit,prius incipi, & tardius terminari.vt in tex. & inf. c. fin.

ET conſuetudinem regionis.

QVIA conſuetudo, ſicut & ius poſitiuum,poteſt ampliare, & interpretare ius diuinum.Innoc.in c.fin.de conſuet. Et quoniam in vna fide nihil officit conſuetudo diuerſa. c.de trina.de conſecr. diſt. 4. vnde in aliquibus locis is, qui baptizatur, ter immergitur in aqua;in aliquibus vero ſemel tantum;in aliquibus non fit immerſio,ſed ſatis eſt,vt balneetur.d.c.de trina.& Innoc.in c.1.de baptiſm.Quinimo nec conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ,tenentur homines vbique obſeruare,vbi verſatur extra fidem,ſeu eius articulos,niſi ipſa mandet,quod illa debeat obſeruari.c.noli, il 2.diſt.9.& gloſ.in c.vnic.ver.docuit. de

ſum

ſum Trinit.in 6.Ideo licet de iure diuino,feſtiuitas mandetur celebrari per diem tantum, & de veſpere in veſperam. d. Leuit. 23. conſuetudo tamen poteſt extendere celebrationem ad plures dies, & aliter determinare principium,& finem, quam de veſpere in veſperam. vt in text. Vnde valet conſuetudo hodierna,vt reſpectu operarum,feſtum non incipiat à veſperis vigiliæ,ſed à mane ipſius feſtiuitatis, & duret per totam noctem ſequentẽ: Et ſic,vt tota die,& nocte ſequenti in Dominica abſtineatur ab opere ſeruili.Abb. hic,& ſup.in c.prox.Et etiã ne in aliquo celebretur dies Sabbati,ne Chriſtiani viderentur iudaizare,& ſeruare in parte ritus Iudæorum,contra c.peruenit. de conſecr. diſtinct.3. Conſuetudo tamen non poteſt diminuere diem feſti de præcepto, licet illum poſsit alijs horis inchoare, & finire, & poſsit feſta elongare.Anchar.hic.& Nauar.in manual. c.13. n.5.

DIEBVS Dominicis,& alijs præcipuis feſtiuitatibus, & inter Paſcha, & Pentecoſtem, non fit ſolemnis genuum flexio.

QVIA in his diebus gaudium reſurrectionis Domini celebramus. c.fin.diſt.30.Ideo debemus ſtare capite eleuato, & læti,nõ autem curui, & mæſti. c.ſcire. diſt.76. Vnde Sacerdos tunc non debet dicere: Flectamus genua. c. quoniam.de conſecr.diſt.3.Ex deuotione tamen etiam tunc in ſecreto genuflexio fieri poteſt. vt in tex.Sicut illam facere debemus etiam in his temporibus, cum Corpus Domini eleuatur. c.ſanè.de celebr.miſ.

SI tamen tunc clerici,vel epiſcopi ordinentur, ſecundum ordinationis modum, genua flectuntur.

QVIA in his diebus prohibetur tantum ſolemnis genuflexio,non autem illa,quæ fit ex deuotione, vel alia rationabili cauſa, ad oſtendendam humilitatem genuflectentis.vt in tex.& Innoc.hic. Ideo in conſecrationibus epiſcoporum, & clericorum ordinationibus, conſecrans,& conſecratus tantum, etiam in his temporibus genua flectere poſſunt, ſecundum quod conſecrationis modus requirit. vt in text. & Cæremoniale epiſcopor. vbi agit de ordinationib.

ROMANA eccleſia ſpeciale feſtum de ſanctiſſima Trinitate non facit.

QVIA ſingulis diebus dicit; Gloria Patri,& Filio,& Spiritui ſancto,& cætera ſimilia pertinentia ad laudem Trinitatis.vt in tex. Et quoniam ei,qui honoratur quotidie,non eſt neceſſe,quod ſpecialiter deferatur honor, ſicut ei, qui honoratur raro. Abb. hic. Ideo Romana eccleſia in vſu non habet, quod in aliquo tempore ſpecialiter celebret hanc feſtiuitatem. vt in text. Id quod bene procedebat ante Alexandrum Papam III. vt Romana eccleſia non celebraret

feſtum

festum sanctissimæ Trinitatis ; sed in alijs locis diuersè fiebat : at post Alexandrum inoleuit consuetudo , vt celebretur . Et Ioannes XXII. statuit debere celebrari in octaua Pentecostes , prout hodie seruatur. Ioan.Azor.Instit.mor.par.2.lib . 1.cap.13.q.1.

SERVATVR tamen de hoc ,cuiusq; ecclesiæ consuetudo.

QVIA episcopi in eorum diœcesibus possunt cum clero , & populo,celebrare nouum festum,quod tendat ad maiorem Dei veneration em.infr.c.fin.& de consecr.dist.3.c.1. & ibi gl. Et quoniã id,quod plus omnipotenti Deo possit placere, est eligendum. c.nouit. dist. 12. Ideo licet Ecclesia Romana hoc speciale festum non celebret:in alijs tamen locis,in quibus consueuit celebrari , non est omittendum.vt in tex.& c.vtinam.dist,76.

Cap.3. Licet .

PROPTER necessitatem alimentorum licet , diebus feriatis in honorem Dei,operi seruili intendere .

QVIA quod aliàs est prohibitum,ex necessitate fit licitum . l.1. & ibi glos.ver.vrget.ff.eod.Cum illa non cadat sub præcepto. c.non satis.dist.86.Et quoniam alimenta sunt de necessitate ad vitam hominis sustentandam.c.2.de obseruat. ieiun. Ideo vbi aliter non posset ista necessitas euitari , etiam in diebus festiuis illa reddit licitum operari. vt in tex. & l.solet.ff.eod.Exemplo Apostolorum, qui esurientes,in Sabbato colligebant spicas.Matth.cap.12.

MAXIME circa rem tempore perituram .

QVIA prouidendum est,ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti prouisione concessa l.omnes iudices.C. eod.Et quoniã licitum est prouidere pro futuro tempore.c.habebat.12.q.1. Exemplo Domini,qui cum opus erat,à fidelibus oblata conseruabat,& suorũ necessitatibus, & alijs indigẽtibus tribuebat.Io.cap.3.Et in quantum præcepit,non esse cogitandũ de crastino.Matth.cap.6.non ad hoc præcepit, vt nihil pecuniæ seruetur à sanctis,sed ne Deo propter ista seruiatur,& propter inopiæ timorem iustitia deseratur.Aug.tract.62.in Ioannem. Ideo non solum necessitas alimentorum , quæ contingere potest in præsenti,sed etiam illa,quæ potest contingere in futurum, reddit licitũ diebus festiuis circa ipsa alimenta operari , vt puta,si alecia appropinquant per mare certo tempore anni , & nisi tunc capiantur , inde recedunt,& sic in futurum,fortè tẽpore Quadragesimali nõ haberentur . vt in tex.vel si collectio frumenti tempore messis,propter dilationem , damnum, & incommoditatem pateretur;& similiter vini,tempore vindemiarum. d.l.solet.In maioribus tamen anni solemnitatibus , vt sunt

Nati-

Natiuitas Domini, Epiphania, Paſcha, Aſcenſio, Pentecoſtes, & Aſſumptio beatæ Virginis, propter earum excellentiam, & raritatem, talis licentia non indulgetur; Et quando in diebus feſtiuis illa conceditur, eſt imponenda aliqua eleemoſyna facienda in recompenſationem huius indulgentiæ. vt in tex. & glo. ver. maioribus.

Cap. 4. Capellanus.

TRES ſeptimanæ, quibus canon prohibet fieri nuptias ante feſtum ſancti Ioannis Baptiſtæ, non continuantur feſto, ſed intelligitur de ſeptimana Aſcenſionis cum duabus ſequentibus.

QVIA iſta prohibitio fuit ſtatuta ob reuerentiam feſtiuitatis Pentecoſtes, quæ, vt plurimum, in iſtis ſeptimanis interuenire ſolet. vt in tex. & glo. in c. non oportet. 23. q. 4. Et quoniam de feſto ſancti Ioannis Baptiſtæ circa hoc, nulla conſideratio habebatur, licet circa illum iſtæ ſeptimanæ occurrant, & propterea aliqui credebant, quod in illius honorem ſtatuerentur, & illi eſſent continuandæ. vt in tex. Ideo a tribus diebus rogationum ante Aſcenſionem Domini inchoando, vſque ad octauum diem poſt Pentecoſtem (illis hebdomadis computatis) nuptias celebrari non permittebatur, ſiue feſto ſancti Ioannis Baptiſtæ continuarentur iſti dies, ſiue non. vt in tex. & d. c. non oportet. Hodiè verò eſt attendendum Concil. Trident. per quod hæc prohibitio in iſtis tribus ſeptimanis fuit ablata; & præcipit, ſolùm ab Aduentu Domini Noſtri Ieſu Chriſti vſque in diem Epiphaniæ; Et à feria quarta Cinerum, vſque in octauam Paſchatis incluſiuè, antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones ab omnibus diligenter eſſe obſeruandas; in alijs verò temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit. ſeſſ. 24. de refor. matr. cap. 10.

Cap. 5. Conqueſtus.

IN ferijs introductis in honorem Dei, & ſanctorum, iudicium exerceri non poteſt.

QVIA in his diebus præcipuè, debemus deuotione maiori incumbere diuinis officijs, & occaſiones peccandi euitare. ſupr. c. licet. Et quoniam per litigia homines retrahuntur à diuinis, & ad odia excitantur. c. vnic. de Syndic. Ideo quamuis non prorogari, ſed expediri deceat quæſtiones. c. finem. de dol. & cont. debet tamen iudicialis ſtrepitus quieſcere in diebus feriatis, qui ob reuerentiam Dei, noſcuntur eſſe ſtatuti. vt in tex. & ſupr. c. 1. Qui dies ſunt, Natalis Domini, ſancti Stephani, Ioannis Euangeliſtæ, Innocentium, ſancti Sylueſtri, Circunciſionis, Epiphaniæ, ſeptem dies Dominicæ Paſsionis, Reſurrectionis cum ſeptem ſequentibus, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duobus, qui ſequuntur, natiuitatis Ioannis Baptiſtæ, feſtiuitatum omnium

nium Virginis glorioſæ, duodecim Apoſtolorum, & præcipuè Petri, & Pauli, beati Laurentij, dedicationis beati Michaelis, ſolemnitatis omnium Sanctorum, ac diebus Dominicis, cæteriſq. ſolemnitatibus, quas ſinguli epiſcopi in ſuis diœceſibus cum clero, & populo duxerint ſolemniter venerandas. vt in tex. & l. omnes dies. C. eod. Item eſt feſtum corporis Chriſti, quod celebratur feria quinta poſt octauam Penteco-ſtes, de quo hic non fit mentio, quia non adhuc erat conſtitutum tempore, quo fuit edita hæc Decretalis; ſed poſtea fuit inſtitutum. vt in c. ſi dominum. de reliq. & vener. ſanct. Item eſt feſtum ſancti Martini. c. 1. de conſecr. diſt. 3. licet aliud dixerit. gloſ. in d. l. omnes dies. Item eſt feſtum Inuentionis ſanctæ Crucis. 5. Nonas Maij. vt in c. Crucis. de conſecr. diſt. 3. Et licet hæ duæ feſtiuitates, ſcilicet ſanctæ Crucis, & ſancti Martini, non fuerint hic enumeratæ inter illas de præcepto, conſuetudo tamen eas approbauit, & ſatis in hoc ſtandum eſt conſuetudini. Specul. hoc tit. §. 1. Feſtiuitates autem beatæ Virginis, quæ ſunt præcipuè in præcepto, ſunt quatuor, ſicut quatuor tempora anni, ſcilicet Annunciatio in vere, Aſſumptio in æſtate, Natiuitas in autumno, Purificatio in hyeme. Abb. hic. Et de veneratione exhibenda diebus feſtiuis, & ceſſatione tunc faciendâ à iudicijs, elegantiſsimis verbis exprimit Imperator. in l. fin. C. eod.

NISI ob neceſſitatem.

QVIA neceſsitas non habet legem. cap. quanto. de conſuet. Ideo cauſas, qui ità celerem exigunt expeditionem, vt in alios dies reſeruari non poſsint, etiam in diebus feſtiuis poſſunt in iudicio expediri. vt in tex. & l. prouinciarum. C. eod.

VEL pietatem.

QVIA in operibus miſericordiæ non eſt habenda diſtinctio dierum. c. vtinam. diſt. 76. & c. nunquam. de conſecr. diſt. 5. immo in diebus ſolemnibus eſt eis magis inſiſtendum. c. cum ad monaſterium. §. in refectorio. de ſtat. monach. Ideo ſi pietas ſuadet, feſtiuitas non impedit iudicium. vt in tex. & l. 2. ff. eod. ſumma enim eſt ratio, quæ pro religione facit. l. funt. ff. de religioſ. Vnde verſus;

Hæc faciunt cauſas feſtis tractare diebus,
Pax, ſcelus admiſſum, manumiſſio, res peritura,
Terminus expirans, mora teſtis abeſſe volentis,
Cumq. poteſtatis patriæ ius filius exit. gloſ. hic.

ETIAM de conſenſu partium.

QVIA feriæ feſtiuorum dierum non ſunt principaliter introductæ in fauorem partium litigantium, ſed in honorem Dei, & in publicam quietem. ſupr. c. licet, & l. fin. C. eod. Et quoniam iuri principaliter

paliter introducto in publicum fauorem, priuati renuntiare non possunt. c. si diligenti. de for. comp. Ideo vbi non vrget necessitas, nec suadet pietas, in festiuis diebus vsque adeo conuenit à iudiciali strepitu abstinere, vt consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus huiusmodi promulgari. vt in tex. & l. 2. C. eod.

FERIIS tamen introductis fauore hominum, partes renunciare possunt.

QVIA fauori pro se principaliter introducto quilibet renunciare potest. c. ad apostolicam. de regular. Et quoniam feriæ messium, & vindemiarum sunt concessæ principaliter in fauorem litigantium, vt tunc possint ad colligenda ista victualia incumbere. l. 1. ff. eod. Ideo licet in tali tempore nemo possit compelli in ius venire, si tamen sponte venerit, & litigauerit, lata sententia tenet; lata verò contra non comparentem, nulla erit. vt in tex. & l. 1. ff. eod.

Liber Secundus. Titulus Decimus.

DE ORDINE COGNITION.

In Decretal. Cap. 1. Intelleximus.

CONTRA mulierem vendicantem aliquem in maritum, admittitur exceptio consanguinitatis.

QVIA mulier taliter proponens in iudicio, non intentat possessorium, vt petat restitutionem coniugis, sed intentat proprietatem, vt sibi vir adiudicetur in maritum. Abb. hic. Et quoniam exceptio consanguinitatis perimit petitionem actoris asserentis matrimonium, cum intra prohibitos gradus consanguinitatis illud non teneat. c. non debet. de consang. & affinit. Ideo licet muliere agente possessorio ad restitutionem coniugis, non admittatur exceptio consanguinitatis, seu alia concernens defectum proprietatis. c. ex conquestione. de restit. spol. secus est, si agatur petitorio, quo casu est prius videndum, an matrimonium sit validum. vt in tex. Et sic an talis exceptio actionem petentis excludat. infr. c. 2. & ff. de except. l. 1.

QVAE prius discutienda est, quàm super matrimonio pronuncietur.

QVIA

QVIA fundata intentione actoris, venit reus condemnandus, nisi aliter se defendat.c.tam ex litteris.de in integr.rest. Iudex enim debet sententiare secundum merita causæ,quæ ex partium assertione panduntur.l.fin. C.si per vim, vel alio mod. Et quoniam consanguinitatis exceptione probata, talis principalis quæstio matrimonij perimitur. vt in tex. Ideo ante est cognoscendum de ipsa,quam ad definitionis articulum procedatur. vt in tex. vt sic appareat, an reus sit absoluendus,vel condemnandus. Calder. hic.

ET sufficit super ipso principali pronunciare.

QVIA omne superfluum est resecandum. c.2.de probat. Et quoniam pronunciando super principali, satis pronunciatur tacitè super ipsa exceptione concernente ipsum principale. Cald. hic. Ideo non est necesse super illa exceptione specificè pronunciare. vt in tex. Præterea,exceptio concernens factum principale,vt est peremptoria, opponitur non principaliter propter se, sed vt perimat ipsum factum principale,de quo est quæstio. glos.hic. Ideo satis est, quod pronuncietur super ipso principali,de quo est quæstio,& non super incidenti proposito; cum sententia debeat esse conformis petitioni; & ob id subtilius est non pronunciare; sed si pronunciatur, nihilominus valet sententia, dummodo pronuncietur ad effectum pronunciandi super ipso principali. Abb. hic, & infr.c.prox.

Cap. 2. Cum dilectus.

SI reus contra actorem spoliatorem spoliationem opponit,aut excipiendo, & tunc prius auditur.

QVIA exceptio spolij est dilatoria.glos.in c.1.ver.perimitur.eod. in 6. Et quoniam ordo iudiciarius est, vt dilatoriæ exceptiones proponantur, ante litis contestationem. l. exceptionem. C. de probat. & Specul. de except. §. dicto. Ideo antequam reus teneatur actori respondere super petitis in libello, erit ipse reus super spoliatione audiendus.vt in tex.& c.1.& ibi glos.2.q.2.

ET ea probata, respondere non cogitur.

QVIA nec contendere, nec inermes inimicis nos opponere debemus. c.1. eod. in 6. Et quoniam si spoliatus teneretur respondere, non haberet bona, quæ sibi essent vestes, & arma ad iudiciales sumptus faciēdos; & spoliator illis indutus,de sua malitia commodum reportaret. c.oportet,& ibi glos.3.q.2. Ideo in fauorem spoliati,& in odium spoliantis, statuitur, vt ante restitutionem spoliatus spoliatori respondere non cogatur.vt in tex.& l.1.ff.de vi,& vi armat.

SED per hoc non restituitur.

QVIA

QVIA qui excipit, non petit, sed petentem repellit. l. 2. ff. de except. Et quoniam iudex debet formare sententiam secundum modum agendi deductum in libello. c. licet Hely. de simon. & c. qualiter, il 2. de accusat. Ideo spoliatione in modum exceptionis tantum probata, non est per hoc restitutio spoliato facienda. vt in tex. & l. vt fundus. ff. commun. diuid. Quemadmodum si in modum exceptionis, aliquod crimen testi obijcitur, vt à testimonio repellatur, & si crimen contra eum ciuiliter probatum fuerit, non ideo pœna sibi infligitur ordinaria, sed eius dumtaxat testimonio non creditur; quod ea ratione contingit, quia in ipsum accusatio non præcedit. Testes etiam, quorum testimonium de iure reprobatur, inter infames, quasi ex falso testimonio non habentur; cum ad hoc contra eos non sit actum. vt in tex. & l. lucius. ff. de his, qui not. infam. licet etiam tunc infamiam facti forsitan non euitent. l. 2. ff. de obseq. à lib. & libert.

AVT agendo, & tunc simul vtraque quæstio terminatur.

QVIA finis actionis est consequi. Instit. de action. §. 1. Et quoniam quando fiunt mutuæ petitiones coram iudice ex simultaneis actibus, ambæ sunt vna sententia finiendæ. c. 1. de mut. petit. Ideo talis spoliationis quæstio obiecta in modum actionis ad restitutionem petendam, est vna & eadem sententia cum principali causa terminanda. vt in tex. & not. in d. c. 1. Et si feratur sententia super vna, & non super alia, potest appellari. l. neque scriptura. C. de compensat. & l. 1. §. fin. ff. quæ sent. sine appellat. rescind. Grauatur enim ille, cui iudex differt facere iustitiam. d. c. 1. de mut. petit. Tamen quia transgressio ordinis causæ ad causam, non vitiat sententiam ipso facto. l. prolatam. C. de sent. Ideo opus est appellatione. l. 1. C. de appellat. Dicitur autem, esse vtramque causam vna sententia finiendam, propter temporis ipsius identitatem, seu vnitatem, quia in eadem charta, & eodem ferè tempore proferuntur, scilicet, vna immediate post aliam. glos. hic. ver. eadem: licet re vera sint duæ sententiæ. vt not. in d. c. 1. Sicut similiter dicitur vna stipulatio propter eandem conceptionem verborum, licet sint plures respectu plurium rerum deductarum in illa. l. scire. ff. de verbor. oblig.

ET ea probata, restituetur.

QVIA ne spoliatus, suis armis destitutus, contendat cum aduersario illis malitiosè induto, restitutionis petitio priuilegiatur, vt ipsam intentans non cogatur ante restitutionem, spoliatoribus respondere. infr. c. fin. Propria enim auctoritate non licet etiam domino, rem suam ab alio detentam occupare. c. eum, qui. de præb. in 6. & l. si quis tantam. C. vnde vi. Et quoniam iudex non debet ordinem iudiciarium peruertere. d. l. prolatam. Ideo spoliatione taliter probata,

iudex

iudex debet pronunciare, ſpoliatum eſſe ante omnia reſtituendum. vt in tex. & c. literis. de reſtit. ſpol.

Cap. 3. Tuam.

PETENTI hæreditatem, obſtat exceptio natiuitatis.

QVIA cauſa ſucceſſionis ab inteſtato dependet à validitate matrimonij, & legitimitate prolis. c. lator. qui fil. ſint leg. & C. de ſtat. defun. l. penult. Et quoniam ea probata, principalis quæſtio eſt perempta. gloſ. hic. Et vbi quæſtio præiudicialis incidit in cauſa, de ea ſolùm eſt cognoſcendum, antequam de principali cognoſcatur. l. 1. & 3. C. hoc tit. nam ſententia lata ſuper ea, fit præiudicium omnibus alijs quæſtionibus. l. ingenuum. ff. de ſtat. hom. & l. 1. §. fin. & l. 2. ff. de lib. agnoſc. Ideo licet quando ſunt duæ principales quæſtiones, & ambæ ciuiles, illa, quæ primò ponitur, primò tractetur, & ambæ vna ſententia terminentur. ſup. c. prox. & l. qui prior, & ibi gloſ. ff. de iudic. quando tamen quæſtio ciuilis incidit, & præiudicat alteri ciuili, tunc de incidenti eſt antea cognoſcendum, & de ea prius pronunciandum. d. gloſ. hic. & gloſ. Inſtitut. de action. §. præiudiciales.

QVAE prius debet coram eccleſiaſtico iudice terminari.

QVIA iudex laicus, etiam incidenter, & per reconuentionem de cauſa ſpirituali cognoſcere non poteſt. gloſ hic, & c. cauſam. qui fil. ſint legit. Et quoniam cauſa matrimonialis eſt ſpiritualis. c. quos Deus. de transl. epiſc. Cum matrimonium ſit vnum de ſeptem Sacramentis eccleſiæ. c. debitum. de bigam. Ideo non laicus, ſed eccleſia habet de eo iudicare. d. c. lator, & Concil. Trid. ſeſſ. 24. de ſacr. matr. can. 12. Et quia ſi iudex ſæcularis poſſet procedere ſuper hæreditate, dum cauſa matrimonij pendet coram eccleſiaſtico, partes grauarentur laboribus, & expenſis, coram diuerſis iudicibus eodem tempore litigando. cap. fin. de reſcript. Et diuerſis proceſſibus intricaretur negotium, & confuſione quadam iudicij ordo perturbaretur. vt in tex. Ideo, vt euitetur contrarietas, quæ poſſet eſſe inter ſententiam iudicis eccleſiaſtici, & ſæcularis, ne fortaſſe ſæcularis adiudicaret hæreditatem illi, quem eccleſiaſticus pronunciaret illegitimum, & vt euitentur partium labores, iudex ſæcularis non poteſt ſuper tali cauſa procedere, niſi prius fuerit ſuper matrimonio, & legitimitate pronunciatum per iudicem eccleſiaſticum. vt in tex. & c. prius. & ibi gloſ. 3. q. 11. Et ſic eccleſiaſticus poteſt inhibere ſæcularem, ne procedat ſuper cauſa dependente ex cauſa, quæ vertitur coram ipſo. Abb. hic, & Anchar. conſ. 227.

Cap. 4. Super.

AGENS possessorio recuperandæ, non tenetur ante restitutionem suis spoliatoribus respondere.

QVIA petitio restitutionis in hoc priuilegiata est, vt qui illam intentat, non cogatur respondere suo spoliatori, antequam fuerit restitutus. vt in tex. & sup. c. cum dilectus. Et quoniam nemo est suo priuilegio sine culpa priuandus. cap. discretionem. de eo, qui cogn. conf. Ideo qui probat se spoliatum, & petat restitui, est restituendus, antequam spoliator super suo iure audiatur. vt in tex. & c. in literis. de restit. spol.

NISI super quæstione spoliationis.

QVIA priuilegiatus non vtitur suo priuilegio, contra pariter priuilegiatum. c. dilecti. de priuil. Quod intellige, quando quilibet est priuilegiatus respectu eiusdem causæ, quæ agitatur, vt hic, vbi vterque est spoliatus. Abb. hic. Et quoniam de iure communi est regula, vt, vbi sunt duæ petitiones diuersæ, qui prior appellat, prior agat. sup. c. cum dilectus. Ideo tunc debet conuentus respondere, antequam ipse super sua spoliatione audiatur; & vnius actio non debet repelli per spoliationem alterius, cum & ipse fuerit spoliatus. vt in tex. & Authent. de sanctiss. epis. §. sed hoc. Et circa id, quod dictum est de priuilegiato, vt non vtatur priuilegio contra pariter priuilegiatum, quando quis est priuilegiatus respectu eiusdem causæ, quæ agitatur; secus dic, vbi duo sunt priuilegiati in genere, seu non respectu eiusdem causæ, vt patet in l. 1. ff. ex quib. caus. maior. vbi absens causa reipublicæ restituitur aduersus absentem pariter causa reipublicæ, quia nõ est priuilegiatus in hac causa, nisi læsus. Simile etiã est in præscriptione contra ecclesiam priuilegiatam, vt non currat præscriptio, nisi quadragenaria; nam ecclesia præscribens contra ecclesiam non facit cessare illud priuilegium, quia sola est priuilegiata ecclesia, contra quam præscribitur. c. ad aures. de præscript. & de hoc plene per Bart. in Authent. quas actiones. C. de sacr. san. eccl.

POTEST tamen ab agendo repelli per exceptionem spoliationis.

QVIA finis exceptionis non est consequi, sed tantum repellere. l. 2. ff. de except. Et quoniam in iudicijs id est attendendum, quod principaliter agitur, & non per quandam consequentiam. l. 1. ff. de auctor. tut. Et potius debet attendi causa naturalis, quàm accidentalis. l. qui habebat. ff. de tutor. Ideo si spoliator opponat in modum exceptionis de alia spoliatione contra ipsum spoliatum, repellitur ab agendo. vt in tex. & sup. c. cum dilectus.

DE PLVS PETITIONIBVS.

In Decretal. Cap. vnic. Consilium.

PLVS petitur quatuor modis, primo, Re, vt si sint debita decem, & petantur viginti.

QVIA numerus minor se habet vt pars, respectu maioris. l. in eo. ff. de reg. iur. Et quoniam omne totum est maius sua parte. c. plus. de reg. iur. in 6. Ideo siue petatur pars maior respectu numeri, siue respectu alterius rei, semper plus petitur, quàm debeatur. vt in tex. & Institut. de action. §. plus.

SECVNDO, plus petitur loco, vt cum quis alibi conuenitur, quàm vbi soluere conuenit.

QVIA commoditas, vel vtilitas, quam promissor haberet, si solueret loco conuento, ei adimitur, alibi petendo. vt in tex. Sed quoniam si res non posset peti in alio loco, quàm conuento, sæpe creditor frustraretur iure suo; quia reus, vel data opera, vel ex necessitate, nunquam perueniret ad locum destinatum, quod esset iniquum. l. 1. ff. de eo, quod cert. loc. Ideo res promissa in vno loco, potest peti in alio, quàm vbi fuit destinata solutio; sed petens tunc condemnatur reo ad interesse, quod habet, alibi soluendo. d. l. 1. & d. §. plus.

TERTIO, plus petitur tempore, veluti, si quis ante diem, vel ante conditionem petierit.

QVIA qua ratione, qui tardius soluit, quàm soluere deberet, minus soluere intelligitur; eadem ratione, qui præmaturè petit, plus petere videtur. d. §. plus. Dies enim solutionis est pars obligationis, non secus, ac summa ipsa. l. 1. §. 2. ff. de edend. Sed quoniam si in quibusdam casibus non posset peti ante tempus, non satis prouideretur actori, vt suo tempore non fraudaretur à reo. c. per vestras, de donat. & l. vbi. C. de iur. dot. vbi repetitur dos ante solutum matrimonium. Item in debitore fugiente, qui potest capi, & duci ad iudicium. l. ait prætor. §. si debitorem. ff. de his, quæ in fraud. cred. Item vt interponatur cautio à suspecto. l. si fideiussor. §. fin. ff. qui satisd. cog. Et in alijs casibus, qui ex diuersis iuris partibus colligi possunt. l. in omnibus. ff. de iudic. Ideo licet regulariter non possit peti ante tempus, in quibusdam tamen casibus à iure concessis, ante tempus peti potest.

Host. hic. licet etiam posset dici, quod in veritate in istis casibus concessis non petitur ante tempus, quia causa inhærens facit debitum, quod alias erat adhuc non debitum. Abb. hic.

QVARTO, plus petitur causa, cum aliquid in genere, vel sub alternatione debetur, & rem in specie, vel vnum præcisè peti contingit.

QVIA in tali genere obligationis electio est debitoris, vtrum vnum, vel alterum soluere velit. l. plerunque. in fin. ff. de iur. dot. Et quoniam electionem aduersario tollit (cui istius obligationis iure, liberum est aliud soluere, quàm petatur) qui taliter petit, etiam si vilissimum sit, quod quis sic petit; quia sæpe accidit, vt promissori facilius sit illud soluere, quod maioris pretij est. Instit. de action. §. huic. Ideo taliter petendo, quis vult suam conditionem facere meliorem, aduersarij verò sui deteriorem. d. §. huic. & Bart. in l. Stichum, aut Pamphilum. col. 2. ff. de solut.

ET punitur importunitas plus petentium, si in iudicio persistant his modis in sua petitione.

QVIA tales temerè litigarunt respectu eius, quod fuit plus petitum. l. is, qui certo. ff. de eo, quod cert. loc. Et quoniam audacia, & calumnia temerè litigantis, est in sui pœnam, & in releuamen aduersarij, per aliquas pœnas compescenda. c. calumniam. de pœnis. & Institut. de pœn. tem. litig. §. aduersus. Ideo statuitur, vt, qui plus petit re, siue causa, in expensis aduersario condemnetur; qui plus petit loco, ad interesse teneatur; Ei verò, à quo plus tempore petitur, induciæ duplicantur, nec litem excipiet, nisi ei soluantur expensæ. vt in tex. & Instit. de action. §. sed hæc. & de except. §. hodie.

Liber Secundus. Titulus XII.

DE CAVSA POSSESSIONIS, & proprietatis.

In Decretal. Cap. 1. Susceptis.

CAVSA possessionis, & proprietatis, sub eodem iudice terminari debet.

QVIA

QVIA cauſæ habentes aliquam connexitatem ad inuicem, debent coram vno,eodemq. iudice tractari;vt ſic facilior à iudice habeatur earum cognitio, & minoribus laboribus, & expenſis partes in vno iudicio vexentur.l. 1.ff.de quib.reb.ad eund.iud.eat. Quod intellige, quando actor, & reus ſunt eiuſdem fori. c.fin. & ibi glol. de iudic. Et quoniam in cauſa poſſeſſionis, & proprietatis datur connexitas ratione eiuſdem ſubiecti, cum vtraque verſetur circa eandem rem, & cum poſſeſſor neceſſe habeat reſtituere, vbi probaui rem eſſe meam, ſi non obiecit aliquam validam exceptionem. l.officium. ff.de rei vindic. Præterea habent connexitatem ratione facilioris deciſionis, quia ille, qui cognouit de poſſeſſione, facilius diſcernet cauſam proprietatis. gloſ. 2. hic. Ideo talis continentia cauſæ diuidi non debet, ſed coram eodem iudice eſt terminanda. vt in tex. & l. nulli. C. de iudic. Et hæc connexitas ſufficit ad faciendam iſtam cauſæ continentiam; licet alio reſpectu, quia poſſeſſio eſt ius ſeparatum à iure proprietatis, non dicantur habere aliquam communitatem ad inuicem; quod intellige, quo ad ius vtriuſque diſtinctum. l.naturaliter. §. nihil.ff.de acquir. poſſeſſ.

NEC contra abſentem eſt pronuntiandum.

QVIA diffinire contra inauditam partem, eſſet tollere defenſionem, quæ eſt de iure naturali.c.Deus.2.q.1.Et quoniam naturalia iura, diuina quadam prouidentia conſtituta, ſemper firma, atque immutabilia permanent. Inſtit.de iure natur. §.penult. Ideo talis defenſio, nec etiam per principem adimi poteſt. Clem. paſtoralis. §.cæterum. de re iudic. Vnde citationem, & cauſæ cognitionem Deus inſtituiſſe videtur. d.cap.Deus, vbi dicitur, quod Deus noluit punire peccata Sodomorum, niſi deſcenderet, & videret. Geneſ. cap.18.nec Adam de ſuo peccato, niſi prius eum vocaſſet, & defenſionem ſuam audiſſet. Geneſ.cap.3.Ideo contra abſentes non citatos, non conuentos, non confeſſos, nihil poteſt in iudicio diffiniri. c. inter. de maior. & obed. ne inde iniuriarum naſcatur occaſio, vnde iura naſcuntur. l. meminerint. C. vnde vi. Poteſt tamen lex humana diſtinguere legem Dei, & illam, & ius naturale interpretari, vbi ratio, & publica vtilitas ſuadet, illiq. addere, & adiuuare. Innoc.in c.quæ in eccleſiarum. de conſtit.& gloſ.in l.fin.C.ſi contra ius, vel vtil.publ.Puta vt illud, In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum. Matth. cap. 18. & tamen canones, & leges quandoque plures requirunt. c.fin. 2. q.5. & l. fin.C.de teſtam.

Cap. 2. Ad vltimum.

SI actum est possessorio, & petitorio, potest iudex, receptis probationibus super vtroque, prius discutere probationes super possessorio, & illud terminare.

QVIA ordinarij iuris est, vt prius de possessione, quàm de proprietate agatur. l. ordinarij. C. de rei vindic. vt ex hoc ordine seruato appareat, quis possideat, & ille releuetur ab onere probandi de proprietate, aduersarius verò ipsam probare teneatur, si velit rem deductam in litem obtinere. l. incerti. C. de interdict. Et quoniam iudex, qui commixtim de vtraque tali causa cognoscit, & pariter testes admittit, id non facit, vt ab hoc ordine recedat, sed vt grauibus partium sumptibus parcat. vt in tex. Ideo licet partes egerint possessorio, & petitorio simul, potest tamen iudex, suspenso petitorio, examinare possessorium, & illud prius terminare. vt in tex. & infr. c. pastoralis.

Cap. 3. Cum ecclesia.

SI spoliatus, possessorio, & petitorio simul agens, possessionem, & spoliationem probat, sed non dominium, seu proprietatem, obtinet in possessorio.

QVIA spoliatus est ante omnia restituendus. cap. fin. sup. de ord. cogn. dummodo non constet notoriè de non iure suo. c. ad decimas, & ibi glos. de restit. spol. in 6. Et quoniam de qua re iudex cognouit, de ea pronunciare debet. infr. c. cum super. & l. de qua re. ff. de iudic. Et qui restitutionem petit, habet duo probare, scilicet, se possedisse, & se spoliatum fuisse. c. olim, il 1. & il 3. infr. de restit. spol. Ideo iste, qui sufficienter ad hoc probauit, est ad suam possessionem restituendus. vt in tex. & l. exitus. ff. de acquir. possess.

SED succumbit in petitorio.

QVIA actore non probante, qui conuenitur, & si nihil præstiterit, obtinebit. vt in tex. & l. actor. C. de probat. Et quoniam ius proprietatis est distinctum à iure possessionis. l. naturaliter. ff. de acquir. possess. (licet habeant connexitatem ad cognitionem vtriusque causæ faciendam sub eodem iudice. sup. c. 1. & 2.) Et ex diuersis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Ideo probatio facta in possessorio, tanquam in re diuersa, non releuat in petitorio. vt in tex. & l. si de vi. ff. de iudic.

Cap. 4. Cum ſuper.

QVANDO tam poſſeſſorium, quàm petitorium fuit deductum in iudicium, & tam reſtitutionis, quàm proprietatis quæſtio fuit plene examinata, vtraque eſt ſententialiter terminanda.

QVIA de qua re iudex cognouit, de ea pronunciare debet. vt in tex. & l. de qua re. ff. de iudic. Et quoniam quando ſimultaneis actibus, mutuæ petitiones coram eodem iudice ſunt factæ, vtraque quæſtio fuit examinata. cap. 1. de mut. petit. Ideo ex quo iudex plene cognouit ſimul de poſſeſſione, & proprietate, ſimul de vtraque pronunciare debet. vt in tex.& infr.c.cum dilectus.

Cap. 5. Paſtoralis.

QVI agit de proprietate, ante concluſionem cauſæ, poſſeſſorio adipiſcendæ, vel recuperandæ, agere poteſt.

QVIA ſicut à principio cauſæ, quis poteſt accumulare petitorium, & poſſeſſorium non contrarium. ſup. cap. cum eccleſia,& infr. c. cum dilectus. ita debet poſſe accumulare ex poſt facto, cum nil reſultet in contrarium. Abb.hic n.22. nam petitoriũ competit reſpectu dominij, tale poſſeſſoriũ verò intentatur reſpectu poſſeſſionis, quam quis non habet.Bart.in l.naturaliter. §. nihil.ff.de acquir.poſſeſſ. Et quoniam qui eſt iudex in vna de iſtis cauſis, eſt etiã in alia, propter connexitatem, quam ſimul habent. ſup. c.1. Ideo ex quo aliquis eſt in termino, quod adhuc in cauſa non renunciauit probationibus facti, & in ea non eſt concluſum. Abb.n.8. non debet impediri,quin taliter poſſeſſorio agere poſſit, licet ipſe rem ęęperit vendicare. vt in tex. & d.§. nihil. Et è conuerſo à tali poſſeſſorio poteſt redire ad iudicium proprietatis; ſed ad interdictum de retinenda poſſeſſione non poteſt redire, pendente iudicio proprietatis primitus inſtituto, ſcilicet, ad vti poſſidetis, vel ad vtrobi, quæ proponuntur pro retinenda poſſeſſione; nec econuerſo poteſt redire ad iudicium proprietatis,poſtquam cœpit agere, vti poſſidetis, vel vtrobi, quia ſibimet eſſet contrarius; nam qui proponit rei vendicationem, dicit alium poſſidere. c.examinata. de iudic. Et qui agit de retinenda poſſeſſione, dicit ſe poſſidere. gloſ. hic. ver.quod. & gloſ. in Clem.vnic.ver.ſpoliantis. inf.eod.

POST concluſionem verò, & ante ſententiam, hoc non poteſt.

QVIA proprietas adeo prævalet poſſeſſioni, quod qui obtinet in proprietate, obtinere debet etiam in poſſeſſione. c. placuit. §. quod. 16. q.3. poſſeſſio enim ſemper ſequitur proprietatem. l. officium.ff de rei vend. Et quoniam, ſi poſt talem concluſionem (cum iam poſſit cauſa proprietatis, diffinitiuæ ſententiæ calculo terminari)

quis posset possessorio vti, lites litibus inculcarentur, & fraudibus via posset aperiri, nam videns se deficere in petitorio, intentaret possessorium. vt in tex. Ideo actio possessorij tunc prohibetur. vt in tex. & glos. ver. causa. Quando verò post sententiam, qui succubuit in petitorio, possit agere in possessorio, latè hic tractat Abb. & Bart. in d. §. nihil.

NISI iusta causa subsit.

QVIA iudex debet semper habere æquitatem præ oculis. l. quod si. ff. de eo, quod cert. loc. Et vbi ius non est proditum, debet procedere, ea pensata. c. fin. de transact. Ideo si iudex, qui de causa cognoscit, hoc ipsum ex iusta causa viderit expedire; puta, cum ex perspicuis indicijs facilè arguitur iniquitas inuasoris; & spoliato, casu, seu malitia, probandi dominium ille subtraxerit facultatem; his, & alijs causis inspectis (quæ contineant æquitatem, aut iustè moueant animum iudicantis) postquam etiam concluſum fuerit, posse agi possessorio iudicio, non negatur. vt in tex. & l. bona fides. ff. depos.

Cap. 6. Cum dilectus.

SI petitorio, & possessorio simul est actum, vna sententia vtrumque terminatur.

QVIA iudex, de qua re cognouit, de ea pronunciare debet. sup. c. cum super. Et quoniam si non pronunciaret eodem tempore super petitorio, & possessorio, de quibus simultaneis actibus cognouit, pars illa, pro qua postponeret sententiare, interim ex denegata iustitia grauaretur. c. 1. de mut. petit. Ideo vt sine acceptione personarũ iudex administret iustitiam, debet vna sententia vtramque talem causam terminare. vt in tex. & sup. c. prox. Talis autem sententia dicitur vna, propter vnitatem chartæ, & temporis, cum sit simul lata, & simul scripta; licet in rei veritate sint duæ sententiæ, sicut sunt duo articuli, super quibus illæ feruntur. vt not. in c. 2. de ord. cogn.

ET præmittitur possessorium in terminando.

QVIA iuxta petitionem libelli, est sententia condemnatoria, vel absolutoria ferenda. c. licet Hely. de simon. Et quoniam ordinarij iuris est, vt prius discutiatur de possessione, quàm de proprietate. sup. c. ad vltimum. Ideo similiter in ferenda sententia, talis ordo pronunciandi est seruandus. vt in tex. & sup. c. cum ecclesia.

SED in exequendo præualet petitorium.

QVIA proprietas est longe nobilior, quàm possessio. l. bona fides, & ibi glos. ff. depos. Et quoniam magis dignum trahit ad se minus dignum. c. quod. de consecr. eccl. vel altar. Ideo in executione sententiæ huiusmodi, debet proprietas possessioni præualere. vt in tex.

& l. si

& l.ſi rem alienam. ff. de pignor. act. ita vt ſententia lata ſuper illa, abſorbeat effectum ſententiæ ſuper poſſeſſione. ſup.c.prox.& l.officium. ff. de rei vendic.

Cap. 7. Cum olim.

ADIVDICATVR illi beneficium, qui probauit collatorem ſuum fuiſſe in poſſeſſione conferendi, collationis tempore.

QVIA collatio beneficiorum eſt quidam fructus iuris conferendi. gloſ. in c.cum olim.de maior. & obed. Et quoniam fructus ſequuntur poſſeſſorem. c.querelam.de elect. Ideo cum quæritur de collationis validitate, non attenditur apud quem ſit eius proprietas, ſed apud quem ſit conferendi poſſeſſio. vt in tex. & c. conſultationibus. de iurepatr. Debet tamen eſſe poſſeſſio cum bona fide, alias non valeret collatio. Innoc. in cap.2.de in integr.reſtit. Sicut poſſeſſor malæ fidei non facit fructus ſuos. c. vigilanti. de præſcript.& l.certum. C.de rei vendic.

PER hoc tamen non prohibetur ſuccumbens, agere de proprietate iuris conferendi cum ipſo collatore.

QVIA res inter alios acta, alijs nocere non debet. vt in tex.& l. 1. C.res inter alios act. Ideo ex quo ille, qui ſuccubuit cum beneficiato, non egit cum collatore, non debet impediri, quin poſtea poſſit cum ipſo collatore de proprietate experiri. vt in tex. & c. penult.de re iudic. licet poſt collationem factam, ad ipſum beneficiatum ſpectet defenſio beneficij, & non ad collatorem. vt not. Innoc. in c.dilectus, il 2. de præb. Præterea, ſententia lata ſuper poſſeſſione, non obſtat agere volenti de proprietate, etiam inter eaſdem perſonas, quia de alio agitur. l.naturaliter. §.nihil.ff.de acquir.poſſeſſ. Ideo multo magis non debet obſtare in hoc caſu, vbi agitur inter alias perſonas. gloſ.penult. hic, & c.inter dilectos. de donat.

Cap. 8. In cauſa.

PETENTI rem iure dominij, poſſeſſionem probare non ſufficit.

QVIA nihil commune habet proprietas cum poſſeſſione. l. naturaliter. ff. de acquir. poſſeſſ. Et quoniam ex diuerſis non fit illatio. l.Papinianus. ff.de minor. Et non probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe. cap.tuæ. de ſponſal. Ideo quoad probandum dominium, non ſufficit probare poſſeſſionem. vt in tex. & l. officium. ff. de rei vendic.

IN Clemen. Cap. vnic. Cauſa.

IN cauſa beneficiali delata per appellationem ad curiam, vtraque pars poteſt petitorium, & poſſeſſorium intentare.



VIA Papa concurrit cum ordinarijs omnibus. c.in memoriam.diſt.19.& eſt ordinarius omnium.c.cuncta. 9.q. 3. Et quoniam eccleſiaſticum beneficium non poteſt licitè ſine canonica inſtitutione obtineri.c.1.de reg.iur. in 6. Ideo, licet regulariter iudex appellationis non cognoſcat, niſi ſuper eo, ſuper quo eſt appellatum. Clement. appellanti. de appellat. Vnde in cauſa appellationis non habet locum reconuentio. l.2.§.legatis.ff.de iudic. Tamen ex quo cauſa beneficialis eſt legitimè deuoluta ad ſedem Apoſtolicam, intelligitur totaliter deuoluta, tam ſuper petitorio, quàm ſuper poſſeſſorio, licet ſuper vno tantum fuerit appellatum. vt in tex.& gloſ. ver.per appellationem. Vnde ſicut ex ſimplici commiſſione cauſæ, venit petitorium, & poſſeſſorium. ext.eod.c.1.& 2. & de ſequeſtr. poſſeſſ.c.1. ita ex ſimplici deuolutione ad curiam, in cauſa beneficiali venit vtrunque, licet aliàs non veniat in appellationibus ad inferiores.gloſ.ver.ad ſedē, & Zabar.n. 3.

ET ante cauſæ concluſionem, poteſt ſpoliatus, ſuſpenſo petitorio ſuo, vel aduerſarij, poſſeſſorium proſequi.

QVIA ſpoliatus eſt fauorabilis, ne, ſuis armis deſtitutus, teneatur miſerè reſpondere; ſpoliator verò eſt odioſus, ne ſibi proſit ſua malitia, qua auſus eſt iudicis partes occupare, & ſibi contra alios ius reddere.c.cum dilectus.ext.de ord.cogn. Et quoniã ante cauſæ concluſionem poſſunt fieri probationes, ſi illis non fuerit per partem renunciatum. ext.c.paſtoralis. & Specul. de renunc. & concl. §. auditis. Ideo in fauorem ſpoliati, & in odium ſpoliantis, ſtatuitur, vt in tali caſu non ſolum poſſit ſpoliatus petitorium à ſe inchoatum, ſed etiam ab aduerſario intentatum, eo inuito, dimittere, & ſuſpendere, & in poſſeſſorio procedere, & illud intentare. vt in tex. & Zabar.n.5. Et in hoc differt hæc conſtitutio à d.c. paſtoralis; vbi dicitur, quod licet ſuſpendere petitorium à ſe intentatum, non autem intentatum ab aduerſario. gloſ.hic ver.ſpoliantis, & Rota deciſ.209. in nouis, quæ incipit; Cauſa appellationis prophana.

Liber Secundus. Titulus XIII.

DE RESTITVT. SPOLIAT.

In Decretal. Cap. 1. Licet.

ADVERSVS restitutionem petentem, non est audiendus reus de proprietate opponens.

QVIA in fauorem spoliati, & in odium spoliatoris, non videtur consentaneum, vt spoliatus suis armis destitutus, contendat vt actor, & quod spoliator illis indutus, vt reus admittatur. c. cum dilectus. de ordin. cogn. etiam si in continenti post factam spoliationem contentio deferatur in iudicium. glos. 1. hic. cum spoliatus sit fauorabilis, vt restituatur ad suam possessionem, & spoliator sit odiosus, vt illam restituat, & de sua audacia puniatur. c. eum, qui. de præb. in 6. & l. si quis in tantam. C. vnde vi. Et quoniam si spoliator possideret, dum spoliatus contenderet, daretur materia sæpe alium spoliandi, & sibimet propria auctoritate ius faciendi. infr. c. in literis. Quod, tanquam iniquum, est euitandum. c. quanto. de diuort. & l. non est singulis. ff. de reg. iur. Ideo possessio violenter ablata prius est restituenda, quam proprietatis quæstio sit tractanda. vt in tex. & c. fin. de ord. cogn. Et cum illa sunt restituendi fructus percepti, & qui percipi potuerunt à tempore deiectionis. infr. cap. grauis. Longe enim commodius est possidere, quàm petere, etiam ex eo, quia quamuis res eius non sit, qui possidet, si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessor, propter quam causam, cum obscura sunt vtriusque iura, contra petitorem iudicari solet. Instit. de interdict. §. retinendæ.

NISI actore consentiente.

QVIA restitutionis petitio, vt ipsam intentans non cogatur ante restitutionem spoliatoribus respondere, priuilegiata est in hoc, principaliter in fauorem ipsius spoliati. d. c. fin. de ord. cogn. Et quoniam fauori pro se principaliter introducto, quisque renunciare potest. c. ad apostolicam. de regular. & l. penult. C. de pact. Ideo sibi imputet spoliatus, si possessorio iudicio, & fauori suo renunciauit. vt in tex. & glos. in c. cuius. 29. q. 2. Nec iudex debet in eius commodum supplere ex officio. Abb. hic. quia in his, quæ sunt facti, iudex ad vtilitatem priuatam non supplet. l. 4. §. hoc, & ibi Bart. ff. de damn. infect. & Innoc. in c. ad nostram, il 2. de iureiur. Quod intellige, nisi immineat in

resti-

reſtitutione non facta periculum animarum, nam in tali caſu, illarum fauore, etiam non petenti poteſt reſtitutionem facere. c. ex parte. de conuerſ. coniug. & gloſ. in c. quia præſulatus. 1. q. 4.

Cap. 2. Solicite.

PETENTI reſtitutionem beneficij, non obſtat renunciatio facta poſt ſpoliationem.

QVIA non eſt veriſimile, quod ſponte iuri ſuo renunciauerit, qui renunciat ſpoliatus. vt in tex. Beneficium enim multis fortè expenſis, & laboribus acquiſitum, quo ſuſtentari debet, facile ſine magna cauſa quis non reſignat. c. ſuper hoc. de renunc. Et quoniam renunciatio facta per metum, qui poteſt cadere in conſtantem virum, renuncianti præiudicare non debet. c. in præſentia. d. tit. Ideo ſi conſtiterit, aliquem iam fuiſſe de beneficio ſpoliatum, quando illi renunciat, contra ipſum teſtes alterius partis de renunciatione ſponte facta, non ſunt admittendi, antequam ille fuerit reſtitutus. vt in tex. & infr. cap. prox.

Cap. 3. Accepta.

PETENS reſtitutionem beneficij, non auditur, etiam ſi ſpoliationem probat, ſi probatur eum ſponte, illud beneficium prius reſignaſſe.

QVIA beneficiatus, qui ſponte reſignauit, dum exiſteret in poſſeſſione, habuit beneficium ex toto pro derelicto, & per huiuſmodi reſignationem perdidit tam poſſeſſionem, quam proprietatem. c. in præſentia. de renunc. & l. ſi quis vi. §. differentia. ff. de acquir. poſſeſſ. Et quoniam qui non poſsidet tempore prætenſæ deiectionis, non poteſt ex tunc dici ſpoliatus. c. conſultationibus. de offic. deleg. Et in beneficialibus, vbi notoriè conſtat defectus proprietatis, non datur reſtitutio. c. ad decimas. infr. in 6. cum beneficium eccleſiaſticum ſine canonica inſtitutione, licite obtineri non poſsit. cap. 1. de reg. iur. in 6. Ideo cum talis ſeipſum ſpoliauerit beneficio, ſponte renunciando, non poteſt prætendere, ſe eſſe ab alio ſpoliatum, & ſic non competit ei reſtitutio, quæ datur ſpoliato. vt in tex. & c. ſuper hoc. de renunc. Et hoc verum, niſi longo tempore poſt renunciationem ſteterit in poſſeſsione. Abb. ſupr. in c. prox. nam tunc diuturnitate temporis, poſſeſsio, ſaltem ad partem poſſeſſorij, præſumitur iuſta. c. illud. de præſumpt. quia ille potuit veriſimiliter acquirere ius de nouo; nec eſt veriſimile, ſuperiorem fuiſſe paſſum illum ſine titulo, tanto tempore de nouo poſsidere. Innoc. in c. 2. de in integr reſtit. & not. in c. licet. de præb. in 6.

Cap. 4.

Cap. 4. Audita.

IN interdicto de retinenda, succumbit reus, ipsius abiuratione probata.

QVIA interdictum de retinenda possessione, solum datur possidenti, vel ei, qui vi de possessione deiectus est, qui pro possidente habetur. l. si quis. ff. de acquir. possess. Et quoniam solo animo amittitur possessio, l. 3. §. quod. ff. d. tit. Ideo ei, qui per iuramentum a se abdicauit possessionem, pro illa retinenda agere non licet, vt in text. & l. peregre. ff. d. tit. & eo magis, cum non possit quis contra suum iuramentum venire, quando sine interitu salutis æternæ illud potest seruari. c. si verò. de iureiur.

Cap. 5. In litteris.

PETENTI restitutionem beneficij, quæstio institutionis non canonicæ, referri non potest.

QVIA petitio restitutionis ita priuilegiata est, vt ipsam intentans, non cogatur ante restitutionem spoliatoribus respondere. c. fin. de ord. cogn. Vnde etiam prædo secundum iuris rigorem, est restituendus. l. 1. §. qui à me. ff. de vi & vi arm. Non enim debet spoliator propria auctoritate attentare, quod per iudicem consequi debet. l. 3. C. de pact. ne detur materia delinquendi, & veniendi ad arma. l. conuenire. ff. de pact. dot. Et quoniam ciuilis, & naturalis ratio suadet, vt alter possideat, & alter à possidente petat. Instit. de interdict. §. retinendæ. Ideo spoliatus beneficio, erit prius restituendus, & postea de eius institutione, an sit canonica, erit examinandum. vt in tex. & c. ex insinuatione. de procur. quæ examinatio erit facienda, si sit præsumptio contra eum, vel per aduersarium ei opponatur; alias, si est idoneus, vel non sit beneficium, quod requirat dispensationem, præsumitur legitimè possidere. infr. e. conquerente, & Zabar. in Clem. vnic. num. 7. de caus. possess. & propr. Restitutio enim pertinet ad possessionem, quæ est res facti. l. 1. §. si vir. ff. de acquir. possess. Et nihil habet commune cum proprietate. l. naturaliter. ff. d. tit.

Cap. 6. Item cum.

NON obstat exceptio criminis spoliationis, vnde vi, vel quod vi, aut clam.

QVIA spoliator præsumitur inimicus ipsius spoliati, & confictus obijcere illud crimen, non quod sit verum, sed ad vexandum illum proprijs armis destitutum. vt in tex. & c. accedens, il 2. vt lit. non conteſt. Et quoniam nec nudi contendere, nec inermes inimicis nos opponere debemus. c. 1. eod. in 6. Ideo spoliator, ante restitu-

tionem,

tionem, aduersus spoliatum criminaliter agere non potest. vt in tex. & c. quod suspecti, & ibi glos. 3. q. 5. Præterea, exceptio de sui natura solùm operatur effectum expulsiuum. c. 2. de ord. cogn. Et quoniam crimen spoliati non fundat intentionem actoris, quod bene fecerit ipsum spoliando. c. in scripturis. 2. q. 2. Ideo talis exceptio non operatur effectum priuatiuum restitutionis, nec excludit actionem spoliati. vt in tex. & c. redintegranda. 3. q. 1.

Cap. 7. Conquerente.

SPOLIATVS etiam à iudice, iuris ordine prætermisso, ante omnia restituitur.

QVIA iniuriarum occasio indi nasci non debet, vnde iura nascuntur. c. qualiter, il 1. de accusat. Et quoniam vbi iudex procedit extraiudicialiter in actu, qui solet iudicialiter exerceri, non præsumitur pro eo. Io. And. hic. Et non debet in tali iniustitia priuilegio iudicis gaudere. c. forus. de verb. sign. Ideo, licet præsumatur pro iudice, quod iuste processerit, quando iudicialiter processit. c. in præsentia. de renunt. secus tamen est, vbi iniustè, & violenter spoliauit. vt in tex. & l. 2. C. si per vim, vel alio mod. Et ob id tunc fit restitutio contra ipsum, sicut contra quemlibet alium spoliatorem, violentiam iniustè inferentem. l. meminerint. C. vnde vi, & glos. in sum. 3. q. 1. Vnde distinguendo dic, quod iudex quandoque processit iudicialiter, & sententia allegatur iniusta ex iniustitia causæ, & tunc non competit possessorium, quia ex quo processit iudicialiter, non dicitur violentiam intulisse; sed oportet, quod reus veniat per viam appellationis, alias sententia transiret in rem iudicatam, etiam si esset iniusta, & vlterius non audiretur. l. ingenuum. ff. de stat. hom. & gl. in c. 1. de concess. præb. quia talis sententia facit ius inter partes. c. cum inter. de re iudic. & l. res iudicata. ff. de reg. iur. Quandoque iudex processit extraiudicialiter ad priuationem, vel iudicialiter, sed allegatur non iudex, vel nullitas processus ex ordine non seruato, & tunc poterit reus spoliatus agere possessorio contra eum. c. cum causa. de offic. deleg. & Bart. in l. iuste possidet. ff. de acquir. possess. Aduertendum tamen est, quod aut processit merè extraiudicialiter, & sibi incumbit onus probandi legitimitatem causæ, vt hic. Aut processit iudicialiter, sed allegatur processus nullus, & sic quod violenter etiam, & iniuste spoliauerit, & tunc dicens habet probare, nisi appellauerit, quia pro iudice præsumitur, ex quo processit in figura iudicij, & non fuit appellatum. c. quoniam. de probat. & c. cum in iure. de offic. deleg.

Cap. 8. Ex transmissa.

RESTITVITVR coniunx viro probanti desponsationem, & copulam.

QVIA

QVIA per desponsationem legitime factam, vir acquirit iustum titulum in mulierem, & per copulam subsequentem acquirit facti possessionem illius; & econuerso mulier in virum. glos. hic. & infr. c. ex parte. Sed quoniam non potest haberi possessio liberæ personæ sine titulo. l. cum hæredes. ff. de acquir. possess. Et vbi non fuit possessio, non potest esse spoliatio. c. ad dissoluendum. de despons. impub. Et vbi non fuit spoliatio, non datur restitutio. l. si quis. ff. de acquir. possess. Ideo licet regulariter ad obtinendam restitutionem, sufficiat probare possessionem, & deiectionem. c. consultationibus. de offic. deleg. tamen vbi tractatur de possessione, & restitutione personæ, debet probari etiam titulus, saltem in apparenti validus. vt in tex. & infr. c. litteras.

ET de ipsius impunitate cauenti.

QVIA vxor propter sæuitiam viri potest aufugere ab eo, & petere se ali extra domum. Authent. de nupt. §. si igitur mulier. coll. 3. & Bald. in l. 1. col. 2. C. de legib. Sibi enim imputet vir, qui sua culpa, illius commodo priuatur. glos. in c. de benedicto. 32. q. 1. Et quoniam turpius eijcitur, quam non admittitur hospes. c. quemadmodum. §. alioqui. de iureiur. Ideo multo minus est restitutio facienda, nisi coniugi caueatur, quod vir non sit illi aliquod malum illaturus. vt in tex. & infr. c. literas. Vbi enim quis verisimiliter timet per alterum offendi, potest iudicis officium implorare, vt illum compellat ad præstandam cautionem de non offendendo nec se, nec suos; & iudex tenetur in hoc officium suum impartiri. l. illicitas. §. ne potentiores. ff. de offic. præsid. In ciuilibus enim dissensionibus sæpe respublica læditur. l. si quis. §. fin. ff. de capt. quam iudex, etiam ex officio, saluam fore debet cauere. l. congruit. ff. de offic. præsid.

NISI magna sit viri sæuitia.

QVIA satisdatio propositum maleuolum non mutat. Instit. de suspect. tutor. §. nouissimè. Et quoniam propter viri, vel mulieris magnam sæuitiam, cui de facili prouideri non potest, separatur matrimonium quo ad thorum. c. si fortè, & ibi glos. de pœnit. dist. 1. Ideo si capitali odio ita mulierem vir persequitur, quod meritò de ipso diffidat, alicui probæ, & honestæ mulieri, vsque ad causæ decisionem, custodienda studiosius committatur in loco, vbi vir, vel parentes eius, mulieri nullam possint violentiam inferre. vt in tex. & infr. c. litteras.

Cap. 9. Cum veniſſet.

PER solutionem pensionis rei donatæ factam donatario, cum auctoritate donatoris, acquiritur illi donatario rei donatæ possessio.

QVIA

QVIA donatio est titulus habilis ad transferendum dominium. l. donatio. C. de donat. Et quoniam in acquisitione iurium incorporalium sufficit patientia domini. l. 1. ff. quẽ admod. seruit. amitt. & l. fin. ff. de seruit. Et possessio potest per diuersos actus, idoneos ad eius translationem significandam, acquiri absque eo, quod pedibus res possidenda tangatur. c. ex litteris. de consuet. Ideo ex quo constat de dominio translato, & de animo volentis possessionem per illam solutionem transferre; donatario iam facto domino, per talem actum possessio absque alia apprehensione reali acquiritur. vt in tex. & l. quisquis. C. de donat. Et ad id, quod dicitur, quod sine corpore non acquiritur possessio. c. cum nostris. de conces. præb. & l. quemadmodum. ff. de acquir. poss. Respond. quod hic fingitur corpus interuenisse, quia ille actus corporalis, quo antiquus possessor possessionem acquisiuit, fingitur per solutionem pensionis, loco illius, quo nunc possessio quæritur. Abb. hic. sicut in actu constituti, quando scilicet quis constituit se possidere nomine alterius, per ipsum actum transfertur possessio sine alio actu corporeo. l. quod meo, & ibi Bart. ff. de acquir. poss.

ADEO quod si ab illa expellitur, per interdictum recuperandæ agere poterit.

QVIA huiusmodi interdictum regulariter datur illis, qui se possediſſe, & spoliatos fuisse probant. c. consultationibus. de offic. deleg. Ideo ex quo iste possedit, si à possessione expellitur, per hoc interdictum debet restitui. vt in tex. & supr. c. 1.

Cap. 10. Ex conqueſtione.

SI actore agente petitorio, reus super eadem re deducit possessorium, proceditur in solo possessorio, suspenso petitorio.

QVIA non debet quis ante restitutionem litigare de proprietate rei violenter subtractæ; tum quia est mali exempli, cum quilibet spoliaret, & incontinenti inchoaret petitorium, & sic supplantaret volentem petere restitutionem; tum quia spoliatus, nudus, & inermis, litigaret de proprietate rei spoliatæ, quod esset iniquum. supr. c. 1. & c. in litteris. Et quoniam si admitteretur concursus petitorij, petitorium, traheret ad se possessorium; & sic processus possessorij esset cum paruo effectu, aut cum nullo. c. cum dilectus. supr. tit. prox. Ideo possessorium recuperandæ priuilegiatur, vt, etiam si secundo loco sit propositum, ex quo versatur circa eandem rem, præiudicet petitorio. vt in tex. & cap. cum ecclesia. de cauſ. poss. & propr.

Cap. 11. Grauis.

VIOLENTVS rem cum fructibus, etiam qui percipi potuissent, restituere, damna resarcire, & de iniurijs satisfacere compellitur.

QVIA

QVIA in interdicto, quod vi; tanti lis æſtimatur, quanti actoris intereſt, id opus factum non eſſe. l. ſemper. §. in hoc. ff. quod vi, aut clam. nam verbo reſtitutionis, omnis vtilitas actoris continetur. l. cum prætor. ff. de verb. ſign. Et quoniam contingit quandoque, quod plures, & meliores fructus potuiſſet percipere vnus, quàm alius. l. ſi nauis, & ibi Bart. ff. de rei vendic. Et ſecundum gradum dignitatis, vitæq. honeſtatem, creſcit, aut minuitur æſtimatio iniuriæ. Inſtit. de iniur. §. pœna. Ideo officio iudicis, ita oportere fieri reſtitutionem iudicandum eſt, vt in omni cauſa eadem conditio ſit actoris, quæ futura eſſet, ſi id opus, de quo actum eſt, neque vi, neque clam factum eſſet. vt in tex. & d. l. ſemper. Sed licet omnes prædicti fructus veniant in hoc interdicto reſtituendi ex officio iudicis, etiam ſi non petantur. d. l. ſemper. & ff. de iniur. l. videamus. ſatisfactio tamen iniuriarum non venit, niſi de ea ſpecialiter agatur. Innoc. in c. querelam. de elect. nam actio iniuriarum, diſſimulatione aboletur; & non propoſita, remiſſa cenſetur. Inſtit. de iniur. §. fin. Fructus autem dicuntur, qui ſuperſunt, deductis expenſis, quæ fiunt gratia quærendorum, colligendorum, & conſeruandorum fructuum; quod locum habet, tam in bonæ fidei poſſeſſoribus, quàm in malæ fidei, etiam prædonibus. l. ſi à domino. §. fructus. ff. de petit. hæred. & l. 2. C. de fruct. & lit. expenſ. nam nullus caſus interuenire poteſt, qui hoc genus deductionis impediat. l. fundus, qui. ff. famil. erciſc. & l. fructus. ff. ſolut. matr. (niſi in vno caſu, de quo in c. tua nobis. de decim.) cum fructus intelligantur, deductis neceſſarijs impenſis. l. fructus. ff. de oper. ſer. & l. quod in fructus. ff. de vſur. Et reſtituuntur cum hac diſtinctione, quod bonæ fidei poſſeſſor tenetur reſtituere tantum extantes ante litis conteſtationem, & non conſumptos; poſt litem verò conteſtatam, vniuerſos. l. certum. C. de rei vendic. malæfidei autem poſſeſſor, non tamen violentus, tenetur reddere omnes, qui probantur ad eum peruenisſe ante litem conteſtatam, & poſt. l. ſi fundum. C. de rei vendic. Si verò fuerit violentus, tunc tenetur reſtituere percæptos, & eos, qui percipi potuerunt per veteros poſſeſſores. vt in tex. & c. non liceat. 12. q. 2. & latè Bart. in l. & ex diuerſo. ff. de rei vendic.

Cap. 12. olim, il 1.

INGRESSVS poſſeſſionem, ignorante domino, ad quem pertinet, poteſt per ipſum dominum ſtatim, cum ſciuerit, repelli, etiam violenter.

QVIA vt vim, atque iniuriam propulſemus, omnes leges, omniaq. iura permittunt. l. ſcientiam. §. qui. ff. ad leg. aquil. eſt enim defenſio de iure naturali. l. vt vim. ff. de iuſt. & iur. Et quoniam quando iniuria, & vis propulſatur incontinenti, non poteſt dici, quod fiat ad vindictam, ſed ad defenſionem; dummodo talis propulſio fiat cum mo-

deramine inculpatæ tutelæ.l.3.§.eum.ff.de vi,& vi arm.Et hęc defenſio non ſolum licet ad tuitionem corporis,ſed etiam ad tuitionem rerum, cum ex illis vitam traducamus.l.cum fundum.ff.d.tit.de vi,& vi arm. & Ariſt.4.Ethic.cap.1.Ideo rectè poſſidenti,ad defendendam poſſeſſionem, quam ſine vitio tenet, inculpatæ tutelæ moderatione, illatam vim propulſare licet.vt in tex.& l.1.C.vnde vi.Incontinenti autem tunc dicitur repellere,ſi repellerit, quamprimum poterit,poſtquam ſciuit, alium eſſe in poſſeſſione.l.quod meo.§.fi.ff.de acqu.poſſ.Ex interuallo autem,id ei non licet, d.§.enim. ff. de vi,& vi arm. quia tunc non eſſet defenſio,ſed vindicta.gl.in c.1.23.q.1. quæ vindicta non eſt permiſſa ſingulis,ſed iudici.l.non eſt.ff.de re iudic.Et in tali caſu non diceretur continuari poſſeſſio,ſed recuperari.l.ſi de eo. §. fin. ff. de acquir. poſſeſſ. Ideo tunc eſt adeundus iudex pro interdicto recuperandæ.l.1.ff.de vi,& vi arm.

NEC ex tali repulſione competit repulſo contra dominum,interdictum poſſeſſorium.

QVIA ad obtinendum huiuſmodi interdictum, non ſufficit probare,ſe fuiſſe deiectum; ſed deiectus debet etiam probare,ſe poſſediſſe.c.conſultationibus.de off.deleg.Et quoniam in tali caſu, poſſeſsio cenſetur ſemper fuiſſe apud dominum, & non apud iſtum incontinenti repulſum. l.clam. §.qui. ff.de acquir.poſſeſſ. aliud eſt enim poſſediſſe,& aliud in poſſeſsione fuiſſe.l.ſi quis.§.idem.ff.de acquir.poſſ. Ideo tali repulſo non datur auxilium, quod datur illi repulſo,qui fuerit poſſeſſor.vt in tex.& l.1.§.vim.ff.de vi,& vi arm.

Cap.13. Litteras.

SI contra petentem reſtitutionem coniugis,opponitur conſanguinitas in gradu prohibito,& offeruntur probationes paratæ,recepto ab opponente iuramento de malitia,negabitur reſtitutio quo ad thorum.

QVIA cum mulier, vel vir, qui habet notitiam de conſanguinitate, in gradu prohibito ad ſimul contrahendum matrimonium, illud non poſsit ſine peccato mortali cum tali contrahere,nec cum eo carnaliter commiſceri.c.non debet.de conſang.& affinit. nam omne, quod non eſt ex fide,peccatum eſt. Apoſt. ad Roman. cap. 14. Et quicquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam. cap. omnes. 28. quæſt.1. Fruſtra in tali caſu adiudicaretur reſtitutio ſpoliato, cum coniunx illa non debeat contra Deum in hoc iudici obedire; ſed potius excommunicationem humiliter ſuſtinere;ſicq. difficultas occurreret, quaſi perplexa, quia propter ſententiam oporteret,eam reddere debitum, & propter conſcientiam reddere non deberet; vnde contingeret eos grauiter impediri, & vtrique laqueus pararetur, cum inter ſe carnaliter coniungi non poſſent, nec alter alteri matrimoniali-

ter

ter copulari. vt in tex. Et quoniam coniunx, qui in tali caſu offert exhibere probationes intra breue tempus, & iurat, quod non opponat malitiosè talem conſanguinitatem ad differendum poſſeſſorium, facit præſumere, ſe dicere veritatem. c. 1. & 2. de iur. cal. in 6. & gl. in c. ſuper. 2. q. 5. & in mora modici temporis regulariter non eſt periculum. l. ſi debitori. ff. de iudic. Ideo cum opponitur conſanguinitas (præſertim in gradibus diuina lege prohibitis) & probationes offeruntur incontinenti paratæ, ad maiorem cautelam, iuramento recepto, quod talis obiectio malitiosè non fiat, quoad commixtionem carnalem (maximè ſi fama conſentit) eſt reſtitutio differenda, donec, auditis probationibus, & diſcuſsis, cauſa ſine diffugio terminetur; cum vtriq. ſit melius taliter expediri, quàm ſic manere taliter impeditos. vt in tex. & gloſ. 1. ſupr. in c. ex tranſmiſſa.

ET fiet quo ad reliqua.

QVIA ratio, propter quam iſta coniunx non reſtituitur ad copulam, eſt, vt euitetur peccatum, quod commiteretur, ſi eſſet conſanguinea viri in gradu prohibito, vt ipſa, ſe velle id incontinenti probare, offerebat. vt in tex. Et quoniam in reliquis obſequijs, & honeſtis ſeruitijs, quæ poſſunt etiam à conſanguinea exhiberi viro, non vertitur peccatum. c. eſt ordo. 33. q. 5. Et ceſſante cauſa, ceſſat effectus. c. cum ceſſante. de appell. Ideo quamuis ipſa iuret de malitia, & offerat probationes paratas ad probandum gradum prohibitum in matrimonio, non eſt in reliquis à communi regula recedendum, vt ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus. vt in tex. & c. fin. de ord. cogn.

SI verò probationes promptæ non ſint, fiet plena reſtitutio.

QVIA præſumptio eſt contra eam, quæ ſine iudicio eccleſiæ, ſua tantum temeritate receſsit à viro. vt in tex. Ideo ex quo talis præſumptio non aufertur per aliam vehementiorem de probationibus paratis, vt eſt in caſu ſuperiori; ipſa coniunx debet ad plenariam ſui reſtitutionem faciendam, eccleſiaſtica cenſura compelli; quam tamen ipſa, thori negando conſortium, debet humiliter tolerare, donec probationes offerat præparatas; & tunc, abſolutione petita ſecundum formam eccleſiæ, abſoluetur; ſed antequam fiat ei mandatum ſub debito iuramenti, receptis probationibus procedatur, quemadmodum eſt præmiſſum. vt in tex. & ſupr. c. ex conqueſtione.

NISI magna ſit viri ſæuitia.

QVIA propter nimiam viri ſæuitiam, vxor ſeparatur à viro quo ad thorum. Authent. de nupt. §. ſi igitur. coll. 3. Et quoniam turpius eijcitur, quam non admittitur hoſpes. c. quemadmodum. de iureiur. Ideo multo minus eſt reſtitutio facienda, vbi mulier non poteſt abſ-

que periculo personæ cum viro morari. vt in tex. & supr. c. ex transmissa. Quando autem dicatur tanta esse sæuitia, vt mulieri non possit prouideri remedio cautionis, iudex arbitrabitur. arg. c. de causis, de offic. deleg. & l. 1. ff. de iure deliber.

Cap. 14. Ex parte.

PER solam traductionem mulieris ad domum viri factam, non præcedentibus sponsalibus, vel inualidis, non acquiritur possessio.

QVIA liber homo, non præcedente aliquo titulo à iure approbato, saltim colorato, possideri non potest. l. qui vniuersas. ff. de acquir. possess. imo etiam si eum ligaueris, adhuc eum possidere non diceris, l. cum hæredes. ff. d. tit. aliud est enim possidere, aliud detinere. c. causam, quæ. de præscript. Et quoniam per solam ductionem ad domũ, sponsalia non præsumuntur contracta. l. quæsitum. ff. de sponsal. Ideo per solam illam traductionem, nullum est inter virum, & mulierem, obligatorium vinculum, per quod illa à viro dicatur possideri. vt in tex. & supr. c. ex transmissa.

VNDE ea recedente propria auctoritate, non competit restitutio.

QVIA vbi non fuit possessio, non potest esse spoliatio. c. ad dissoluendum. de despons. impub. & l. 1. ff. de vi, & vi arm. Priuatio enim præsupponit habitum. l. decẽ. ff. de verb. oblig. & Arist. 1. physic. tex. 43. Et quoniam vbi non est spoliatio, non datur restitutio. c. consultationibus. de off. deleg. Ideo cum iste non fuerit in possessione mulieris, vt dictũ est superius, ad illam restitui nequaquam debet, vt potè nullo iuris, seu possessionis commodo destitutus. vt in tex. & supr. c. litteras.

Cap. 15. Cum ad sedem.

INTERDICTVM, vnde vi, non competit contra illum, qui non spoliauit, nec spoliari mandauit, nec spoliationem ratam habuit.

QVIA hoc interdictum datur in odiũ illius, qui propria auctoritate alium de possessione deiecit. vt not. supr. c. 1. & l. 1. §. deiecisse. ff. de vi, & vi arm. cum deberet, si ibi ius possidẽdi habebat, illud petere à iudice, & non ex se alteri vim inferre. l. si quis in tantam. C. vnde vi. Et quoniam, qui non spoliauit per se, nec per alium, nec postea in spoliationem consensit, non potest dici huiusmodi violentiam intulisse. l. cum à te. ff. de vi, & vi arm. Ideo cum non sit in tali culpa, non bene contra ipsum proponitur hoc interdictum. vt in tex. & l. 3. §. cum procurator. ff. d. tit. de vi, & vi arm. Et licet de iure canonico quis non cogatur exprimere nomen actionis. cap. dilecti. de iudic. tamen si sponte proponit ineptam, præiudicat sibi. cap. examinata. de iudic. Vnde si aliter iniustè detineretur possessio, volens agere possessorio recuperandæ, agat alijs iuris remedijs, vt si dolo eam per-

perdidit, agat actione de dolo.l.ſi plures.ff.de dolo. Si metu agat,quod metus cauſa.l.metum. ff.quod met. cauſ. Vel contra quemlibet iniuſtum poſſeſſorem, in rebus eccleſiaſticis agat cõdictione ex canone. redintegranda.3.q.1. vel in quibuſcunq; rebus imploret iudicis officiũ.l.1.ff.ex quib.cauſ.ma.& gl.in ſum.d.q.1. Et hodie hoc interdictum, vnde vi, extenditur etiam contra ſcienter recipientem rem inuaſam.infr.c.ſæpe.

Cap. 16. Olim, il 2.

EXCEPTIO inopiæ,de qua conſtat, à clerico oppoſita, impedit executionem ſententiæ, etiam latæ in poſſeſſorio.

QVIA inanis eſt actio, quam inopia excludit debitoris. c.cum tu. de vſur. & l.nam is. ff.de dol. Et quoniam ſine actione nemo experitur.l.ſi pupilli.§.vidimus.ff.de negot.geſt. Ideo contra eum, qui non habet, vnde reſtituat, non competit beneficium reſtitutionis cum effectu, donec ad pinguiorem fortunam peruenerit. vt in tex. & c. 2. de pignor. quod intellige, quando agitur ciuiliter ad commodum partis; ſecus,ſi agatur criminaliter ad vindictam, nam tunc ſi reus non eſt ſoluendo, fit commutatio in pœnam corporalem.l.fin. ff.de in ius vocan. Præterea,ſi clericus mendicaret,eſſet in opprobriũ ordinis clericalis. c.diaconi.diſt.93. Et quoniam miles ſæculi habet beneficium,vt non exigatur ab eo,niſi in quantum facere poteſt.l.miles.ff.de re iudic.Ideo, & multo magis, non debet vltra conueniri clericus, qui celeſtis militiæ eſt miles. c.odoardus. de ſolut. cum iſtam deceat magis venerari,quam terreſtrem.c.duo ſunt.12.q.1. quod procedit etiam in ipſo,quando conuenitur ciuiliter,& non ex maleficio,nam ſi ex maleficio conueniretur, non haberetur iſta ratio.Abb.hic. quia dignum eſt,vt malemeritus egeſtate laboret.l.bona fides.ff.depoſit.

Cap.17. Olim, il 3.

PER excommunicationis probationem, non probatur quaſi poſſeſſio iuriſdictionis, licet aliquibus diebus fuerit obſeruata.

QVIA ad acquirendam quaſi poſſeſſionem in incorporalibus, requiritur,ne dum intentio volentis acquirere, ſed etiam patientia,ſeu conſenſus illius,contra quem acquiritur.l.2.C.de ſeruit. & Inn.in c.bonæ,il 2.de poſtul.præl.Et quoniã per nudum actũ excommunicandi,nõ facto aliquo actu poſitiuo obedientiæ,nõ apparet de patientia alterius,etiã ſi excommunicatio per aliquod tẽpus fuerit obſeruata,cum poſsit eſſe,quod talis obſeruatio non fuerit facta animo obediendi,ſed potius deliberandi,quod ſibi expediat.gl. hic.nam bonarũ eſt mẽtium, etiam ibi timere culpã,vbi non eſt culpa.c.ad eius.diſt.5. & in tali dubio tutius eſt abſtinere. c.2. de obſeruat. ieiun. nec gerit ſe quis pro obediente, ſi hoc non facit animo obediendi.l.pro hærede.ff.de acquir. hæred. Ideo ex quo non apparet de obedientia præſtita, licet ap-

pareat de obſeruantia excommunicationis, nō probatur talis quaſi poſſeſſio iuriſdictionis. vt in tex. non enim probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe. l. neque natales. C. de probat. quod ſi hoc ſufficeret, poſſet quis de facili acquirere hanc poteſtatem excommunicandi, & iuriſdictionem exercendi; quod in alterius præiudicium non eſt de facili concedendum. Abb. hic. Cautius tamen facit ille, in quem lata eſt talis ſententia, ſi proteſtetur, quod illam non obſeruat animo obediendi, ſed deliberandi, ne interim ex aliquo actu poſitiuo appareat eius obedientia. Innoc. hic.

IDEO petens reſtitutionem, hoc ſolo probato, ſuccumbit.

QVIA ad obtinendam reſtitutionem, eſt probanda à ſe habita poſſeſſio, & ab alio ſibi facta ſpoliatio. c. conſultationibus. de offic. deleg. Ideo ex quo iſte non probat talem quaſi poſſeſſionem excommunicandi, vt dictum eſt ſuperius, non competit ei reſtitutionis auxilium. vt in tex. & ſupr. c. ex tranſmiſſa.

Cap. 18. Sæpe.

RECIPIENS ſcienter rem inuaſam à ſpoliatore, tenetur eam ſpoliato reſtituere.

QVIA ſæpe contingit, quod ſpoliatus, per ſpoliatorem in alium re tranſlata (dum aduerſus poſſeſſorem non ſubuenitur per reſtitutionis beneficium ſpoliato) commodo poſſeſſionis amiſſo, propter difficultatem probationū, iuris proprietatis amittit effectum. vt in tex. & ſupr. c. cum ad ſedem. Et quoniam non multum intereſt, quo ad periculum animæ, iniuſtè detinere, aut inuadere alienum. vt in tex. & c. ſicut. diſt. 47. Ideo ſtatuitur (non obſtante iuris ciuilis rigore, quod reſtituebat tantum contra ſpoliatorem. l. cum à te. ff. de vi, & vi arm.) vt ſi quis de cætero ſcienter rem talem receperit, cum ſpoliatori quaſi ſuccedat in vitium, contra poſſeſſorem huiuſmodi ſpoliato per reſtitutionis beneficium ſuccurratur. vt in tex. & ſimile habetur quo ad reſcriptum extendendum ad talem. in c. quia G. de iudic.

LICET non probet dominium.

QVIA ad obtinendam reſtitutionem, ſufficit probare poſſeſſionem, & ſpoliationem. ſupr. c. ex tranſmiſſa. Et quoniam dominium eſt ius ſeparatum à poſſeſſione. l. naturaliter. ff. de acquir. poſſeſſ. licet poſſeſsio ſit commodum, & effectus dominij. vt in tex. Et difficilius eſt probare dominium, quàm poſſeſsionem. l. cum res. C. de prob. Ideo ex quo beneficium reſtitutionis competit etiam contra iſtum ſucceſſorem in rem inuaſam, non erit ſpoliatus ad plura adſtringendus contra eum, quàm eſſet, ſi ageret contra ipſum ſpoliatorem. vt in tex. & c. conſultationibus. de offic. deleg.

Cap.

Cap. 19. Piſanis.

OCCVPANS certum locum, in quo quis iura liberè poſſidebat, ſi per ipſius occupationem non poteſt poſſeſſor ſua iura liberè poſſidere, ſicut prius, conueniri poteſt poſſeſſorio pro libertate poſſidendi.

QVIA reſtitutio eſt prioris ſtatus redintegratio. l.1. C. de ſent. paſſ. Et quoniam qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur. c. ſicut. de teſtib. Ideo ex quo quis reſtituitur contra occupantem, non ſolum debet ille reddere, quod ipſe detinet, ſed etiam illud, quod ipſius cauſa reſtituendus impeditur habere. vt in tex. & c. in quibuſdam. de decim.

ET reſtitutio fieri non poteſt, niſi dimittat locum in priſtina libertate.

QVIA ex interdicto, vnde vi, non ſolum fructuum ratio habetur, verùm cæterarum etiam vtilitatum habenda eſt; nam & Viuianus refert, in hoc interdicto, omnia quæcunque habiturus, vel aſſecuturus is erat, qui deiectus eſt, ſi vi deiectus non eſſet, reſtitui, aut eorum litem à iudice æſtimari debere, eumque tantum conſecuturum, quanti ſua intereſſet, ſi vi deiectus non eſſet. l. 1. §. non ſolum. ff. de vi, & vi arm. Et quoniam vbi non dimittitur locus in priſtina libertate, ſpoliatus non conſequitur omnia, quæ tempore deiectionis habebat. l. 2. §. vacua. ff. de act. empt. & vend. Ideo, vt intelligatur facta reſtitutio, debet fieri dimiſsio plenè, ac liberè, ſicut ſpoliatus habebat tempore deiectionis. vt in tex. & d. l. 1. §. qui autem.

In ſexto: Cap. 1. Frequens.

IN ciuilibus non admittitur ſpoliationis exceptio facta ab alio, quam ab actore.

QVIA non debet aliquis alterius odio prægrauari. c. non debet infr. de reg. iur. Sed peccata ſuos debent tenere auctores. l. ſancimus. C. de pœnis. Et quoniam ſpoliationis exceptio, nonnunquam in iudicijs calumniosè propoſita, cauſas eccleſiaſticas impediebat, & perturbabat; dum enim exceptioni inſiſtebatur, appellationes interponi contingebat, & ſic intermittebatur, & plerumque perimebatur cauſæ cognitio principalis. vt in tex. Ideo vt finis litibus imponatur, & calumniæ materia amputetur, & actor, qui non eſt in culpa, non gra-

uetur; ſtatuitur, vt in ciuilibus negotijs, ſpoliationis obiectu, quæ ab alio, quàm ab actore facta proponitur, iudex in principali negotio procedere non poſtponat. vt in tex. & l. 2. C. vnde vi. ſi tamen ille ab alio ſpoliatus, ſit factus non ſoluendo, iudex poterit contra eum procedere diffiniendo. vt in tex. non tamen exequendo, vſquequo fuerit reſtitutus. extr. c. olim vobis. Et hoc modo poteſt opponi etiam in ciuilibus ſpoliatio facta ab alio, quàm ab actore, ſcilicet ad differendam executionem. Archid. hic.

IN criminalibus admittitur facta à tertio.

QVIA cum accuſatores præſumantur inimici. c. meminimus. extr. de accuſat. accuſatus indiget maiori ſuffragio, quàm ciuiliter conuentus. c. epiſcopi. 3. q. 1. Et quoniam multi aſsiſterent reſtituto, qui deficerent ſpoliato. c. cum eccleſia. 3. q. 2. pauper enim, dum non habet, quid offerat in iudicio, non ſolum audiri contemnitur, ſed etiam contra veritatem opprimitur. c. pauper. 11. q. 3. Et in criminalibus tractatur de maiori præiudicio rei, quam in ciuilibus. c. qualiter, il 2. extr. de accuſat. Et cum accuſatio pœnam mereatur. c. ſuper his. d. tit. tanquam odioſa venit reſtringenda. c. odia. infr. de reg. iur. Ideo in criminalibus cautius ad defenſam rei proceditur, & accuſatio magis reſtringitur, vt à quocunque ſit reus ſpoliatus, ante reſtitutionem reſpondere non cogatur. vt in tex. & c. nullus. 2. q. 2.

DVM MODO ſit de tota ſubſtantia, vel maiori parte.

QVIA ridiculum videretur, quod criminaliter accuſatus, accuſatorem ſuum per exceptionem ſpoliationis rei modicæ, & vilis, ab accuſatione repelleret. gloſ. ver. ſubſtantia, & arg. l. propter. ff. de excuſat. tutor. Et quoniam accidentia non denominant ſubiectum, niſi adſint in toto, vel in maiori parte illius. l. legatis ſeruis. §. ſi vnus. ff. de legat. 3. & not. in c. ſicut. infr. de verb. ſign. Et verba ſunt ciuili modo intelligenda. l. ſi cui. ff. de ſeruit. & c. nunquam. diſt. 5. Ideo ille eſt intelligendus ſpoliatus in hoc caſu, cum criminaliter accuſatur, qui tota ſua ſubſtantia, vel maiori parte ipſius, ſe per violentiam deſtitutum affirmat; & ſecundum hoc loqui canones, ſano credendum eſt intellectu; quia nec nudi contendere, nec inermes inimicis opponere nos debemus; habet enim ſpoliatus priuilegium, vt non poſsit exui iam nudatus. vt in tex. & c. oportet. 3. q. 2.

EXCEPTIO probari debet intra quindecim dies.

QVIA vbi timetur de calumnia, & malitia proponentis aliquid in iudicio, ei arctatur tempus ad probandum. cap. pia. infr. de excep. & l. diffamari. C. de ingenu. manumiſſ. Et quoniam ſæpe in iudicijs malitioſe proponebatur talis ſpoliationis exceptio. vt in tex.

Ideo

Ideò ad obuiandum huiuſmodi malitiæ; ne nimium faciat differre iuſtitiam, & contra publicum bonum crimina remanere impunita, ſtatuitur reo iſte terminus ad talem ſpoliationis exceptionem comprobandam. vt in tex. & c.paſtoralis.extr.de except.

ALIAS ſit condemnatio expenſarum.

QVIA regulare eſt, vt victus, qui non habuit probabilem cauſam litigandi, condemnetur victori in expenſis.c.1.§.adijcientes. de elect. in 6. Et quoniam qui non probat ſibi incumbentia intra tempus ei à iudice præfixum, præſumitur, quod in illis non bonam cauſam foueat.d. c.pia,& ibi gloſ. ver. condemnans. Ideo ſi intra illud quindecim dierum ſpatium ſibi aſſignatum (poſt diem, in quo proponitur) reus talem ſpoliationis exceptionem non comprobauerit, in expenſis, quas interim actor ob hoc fecerit (iudiciali taxatione præhabita) condemnabitur; aliàs (ſi iudici æquum viſum fuerit) puniendus.vt in tex. & c. dilecti,& ibi gloſ.extr.de for.compet.

§. Solet.

EXCIPIENS de ſpoliatione facta à tertio, intra certum tempus à iudice ſtatuendum debet reſtitutionem petere; aliàs accuſabitur, exceptione non obſtante.

QVIA malitijs non eſt indulgendum. c.ſignificante.extr.qui matr. accuſ. poſſ. Et iudex debet, in quantum poteſt, obuiare, ne iudicium coram ſe agitatum ſit illuſorium.c.bonæ,il 2.§.nec nocebat. ext. de poſtul.præl. Et quoniam ſi tali excipienti contra ſuum accuſatorem de ſpoliatione facta à tertio, non ſtatueretur à iudice tempus, intra quod reſtitutionem imploret, fortè ſic vellet exiſtere, vt omnem accuſationem eluderet.vt in tex. Ideo ſatis æquitati,& iuri conſonum æſtimatur, vt, ſi intra tempus indultum ipſe reſtitutionem non petierit, & cauſam, cum potuerit, non ducat ad finem, non obſtante ſpoliationis exceptione, deinceps poſsit accuſari. vt in tex. Tempus autem iſtud ei ſtatuendum ad petendam reſtitutionem, erit iudici arbitrarium, ex quo in iure certum non aſſignatur.c.de cauſis. ext. de offic.deleg.& l.1. ff. de iure delib.

§. Ad hoc.

AGENTI ſuper rebus eccleſiaſticis, non obſtat exceptio ſpoliationis priuatarum rerum, vel econuerſo.

QVIA agens nomine eccleſiaſtico non agit ſuo iure, ſed nomine eccleſiæ.c.litteræ. ext.de dilat. Sed agens ſuper re ſua priuata, agit nomine proprio.l.1. C. de rei vend. Et quoniam procurator agens nomine alieno, non poteſt excipere de iure ſuo, ſed de iure nomine

mine domini, cuius ipse habet exercitium, non dominium. l. si procurator. ff. de doli except. Ideo sancitur, vt rerum priuatarum spoliatio agenti super ecclesiasticis rebus, vel econtrario, nullatenus opponatur. vt in tex. Præterea res ecclesiasticæ sunt publici iuris. l. fin. C. de sacr. san. eccl. & l. 1. ff. de iust. & iur. Et quia de publico ad priuatum non fit compensatio, nec de vna actione ad aliam. l. 1. & 3. C. de compensat. Ideo similiter non admittitur talis exceptio de vno ad aliud. vt in tex. & Host. in sum. huius tit. §. quando facienda.

Cap. 2. Ad decimas.

ECCLESIA, quæ petit restitutionem decimarum (quas se dicit intra parochiam alterius possedisse) non auditur, nisi probet possessionem legitimam.

QVIA proprietas adeò præualet possessioni, quòd qui obtinet in proprietate, obtinet etiam in possessione. c. pastoralis. extr. de cauſ. possess. & propr. & l. officium. ff. de rei vendic. Et quoniam talis ecclesia decimas illas iniustè occupasse verisimiliter præsumitur, cū proueniant ex prædijs intra alienam parochiam constitutis; sitq. manifestum (nisi aliud ostendatur) eas de iure communi ad eandem parochialem pertinere. vt in tex. & c. de terris. ext. de decim. Ideo licet vbi non est notorium de defectu proprietatis spoliati, & de dominio spoliantis, vnusquisque sit restituendus, antequam causa proprietatis intentetur. extr. cap. in litteris. vbi tamen per propriam confessionem spoliati, apparet rem non ad se pertinere, sed ad aduersarium, nequaquam debet restitui; nisi euidenter docuerit, quod illius possessionem legitimè fuerit assecutus. vt in tex. & c. ex parte. ext. eod.

Liber Secundus. Titulus XIIII.

DE DOLO, ET CONTVM.

In Decretal. Cap. 1. Ad hæc.

REVS, qui mittendum in possessionem, ad mandatum iudicis non admisit, non mulctabitur de canonica æquitate, si intra annum caueat stare iuri.

QVIA

QVIA iussus mitti in possessionem, habetur pro misso, si impediatur per aduersarij potentiam, seu dolum. infr.c.contingit. Et quoniam contumax, qui in talibus causis venit intra annum ad obedientiam, magnam partem inobedientiæ purgat. cap.quoniam.§.in alijs. vt lit. non contest. non proc. Et in foro ecclesiastico mitius proceditur, quàm in sæculari. c.sæpe. sup. tit.prox. & de iur.cal.cap.literas. Ideo, licet de rigore iuris ciuilis, iste reus propter eius inobedientiam à principio, veniret puniendus.l.vnic.ff.si quis ius dic.non obt.& l.2.ff.si quis in ius voc.non ier. de æquitate tamen canonica, cum iustitia propter hoc non periclitetur, patienter talis intra annum comparens, & cautionem præstans, sine alia pœna admittitur. vt in tex. ad expensas tamen factas ab actore condemnabitur. infr. c. prox.& de pœnis.c.calumniam.

Cap. 2. Ex literis.

PROPTER contumaciam rei, potest iudex rem petitam sequestrare.

QVIA contra contumacem, est in iudicis facultate, mitius, vel durius procedere, secundum quod viderit propter circunstantias tunc existentes, magis expedire; & pœnam infligendam magis timeri. cap.quoniam,in fin.vt lit.non cont. Et quoniam quando quis conuenitur reali actione,regulariter mittendus est actor in rei petitæ possessionem, vt reus,tædio affectus, veniat responsurus. d.c.quoniam. §. in alijs. Ideo si ex aliquo respectu iudex viderit, melius esse rem petitam sequestrare,vt sic, nec actor videatur nimis cupidus aliena interim detinendi, & tamen,etiam sic, reus, qui remouetur à possessione, tædio affectus, veniat responsurus, poterit iudex per hunc mitiorem modum procedere, & loco missionis tale sequestrum decernere. vt in tex.& c.tuæ.vt lit.non cont.

ET ipsum contumacem in expensis condemnare, quas propter ipsius contumaciam, vel dolosam exceptionem, actor fecerit.

QVIA sicut malitia,& dolus nemini patrocinari debent. cap.plerunque. de rescript. ita de sua bonitate, & iustitia, nemo debet damnum reportare.c.sine culpa. de reg.iur. in 6. Et quoniam contumax præsumitur in culpa. infr.c.cum dilecti,quocunque modo sit contumacia commissa; vnde versus:

Non veniens, non restituens, citiusque recedens;
Nil dicens, pignusque tenens, iurareque nolens,
Obscureque loquens, isti sunt iure rebelles. glos.hic.

Et qui obtinet in causa, præsumitur bonum ius fouere. infr. c.finem. Ideo in actoris releuamen, & in contumacis pœnam, expensæ illius

culpa

culpa ab actore in hac causa factæ, veniunt restituendæ. vt in tex. & c. calumniam. de pœnis.

Cap. 3. Causam.

ACTORE contumace, testes recipi, & sententia ferri debet, etiam lite non contestata, reo instante.

QVIA si non procederetur contra actorem, etiam lite non contestata, postquam ipse rem deduxit in iudicium, esset in sua potestate vexare reum, quandocunque sibi videretur. Authent. qui semel. C. quomod. & quand. iud. Et quoniam malitijs non est indulgendum. supr. c. prox. Ideo, ne actori detur materia reum ad placitum molestandi, fuit statutum, vt iste actor compellatur verè, vel causatiue negotium ab eo inceptum ad finem perducere. vt in tex. & c. quicunque, il 2. & ibi glos. 11. q. 3. Nec obstat, quod in contumacia rei, lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, nec ad diffinitiuam, sed ad missionem in possessionem ex primo decreto, vel ad mulctandum ipsum contumacem, excommunicando, vel aliter. vt in c. quoniam. §. in alijs. & c. tuæ. vt lit. non contest. nam respondetur, quod maior est contumacia actoris, quam rei; quia fuit à principio in potestate actoris non agere: quod non fuit in reo, qui conuenitur inuitus. l. iudiciũ. ff. de iudic. Ideo plus actori, quàm reo, contumaci, est imputandum. l. purè. ff. de dol. except. Præterea, magis præsumitur contra actorem, qui reum prouocauit, & postea non comparet, quam contra reum, qui fuit prouocatus, & necessitatus ad veniendum; nam fortè nunc actor dimitteret, & se absentaret, quia videt reum suas defensiones habere paratas, & expectat, vt pereant. d. c. quoniam, in princ. & de testib. c. significauit, & c. Albericus. Hinc est, quod ex causa præfigitur quandoque actori tẽpus ad agendũ. c. frequens. de rest. spol. in 6. & l. diffamari. ff. de ingenu. manumiss. Præterea, reus fugiendo, facit secundum suam naturam, sed actor facit contra id, quod facere debet; nam actor debet vti solicitudine, vt perueniat ad sententiam; reorum autẽ est fugere. l. properandum. §. & si. C. de iudic. quapropter parcitur reo, quia facit id, à quo denominatur, sed actor facit totum oppositum, ideo contra eum contumacem magis proceditur. c. 1. 4. q. 4. Præterea rei sunt fauorabiliores, quàm actores; cum promptiora sint iura ad absoluendum, quàm ad condemnandum. c. ex litteris. de probat. Ideo mitius agitur cum reo, quàm cum actore. l. Arianus. ff. de action. & oblig. Et sic, lite non contestata, non proceditur ad testes recipiendos, nec ad sententiam contra reum contumacem. d. c. quoniam. Sed bene proceditur contra contumacem actorem. vt in tex. & d. Authent. qui semel; vbi datur de iure ciuili modus in tali casu procedendi, licet de consuetudine in foro ecclesiastico illæ dilationes non seruentur. Butr. hic. nam dilationes breuiantur ex consuetudine fori. Bart. in d. Authent. Nec obstat, quod nemo inuitus agere com-

re compellatur. C. vt nemo inuit. per totum. quia illud procedit regulariter, antequam actor producat libellum, sed postquam dedit libellum, & sic incæpit agere, non potest amplius pœnitere. d. Authent. qui semel. Nec obstat quod, actore non probante, absoluendus sit reus, etiam si nihil probauerit. c. fin. de iureiur. & sic videatur, quod ad aliud non sit contra actorem procedendum, quàm ad reum in tali casu absoluendum; nam respondetur, quod illa regula habet locum, quando vterque est præsens. glos. in c. decernimus. 3. q. 9. Et quando omnes dilationes datæ fuerunt actori ad probandum, & nihil probauit; tunc enim patet, actorem intentionem suam non potuisse probare, & sic reus absoluitur; secus, antequam fuerint dati actori debiti termini, & dilationes. l. properandum. § etsi. C. de iudic. & quando actor per contumaciam est absens. vt in tex. & glos. in d. c. decernimus.

Cap. 4. Prout.

SI reus post litem contestatam est contumax, si aliàs liquet de causa, fertur diffinitiua sententia.

QVIA maior est contumacia, quæ committitur post litem contestatam, quàm antea. l. consentaneum. C. quomod. & quand. iud. Et quoniam properandum est, ne lites fiant penè immortales, & vitæ hominum modum excedant. l. properandum. C. de iudic. Et de quâ re iudex cognouit, de ea sententiare debet. c. cum super. de caus. possess. & propr. Et iuxta contumaciæ culpam, pœna contra illam committentem potest aggrauari. c. quoniam, in fin. vt lit. non contest. Ideo quamuis, reo contumace ante litis contestationem, non sit ad diffinitiuam procedendum. d. tit. c. 1. lite tamen contestata, bene potest ad talem sententiam, pro reo, vel contra reum, pro vt iustitia causæ apparebit, procedi. vt in tex. & d. l. properandum. § fin autem.

SI non liquet, actor in veram possessionem inducitur.

QVIA cum adhuc non fuerint actori assignatæ omnes iuridicæ dilationes ad probandum, non potest dici, quod ipse defecerit in probationibus, & quod per hoc reus veniat absoluendus. vt not. supr. in c. prox. & Bart. in d. l. properandum; Et cum non liqueat contra reum, non potest dici, quod ipse reus veniat condemnandus. c. fin. de iureiur. Et cum reus tunc sit in maiori contumacia, quàm esset ante litem contestatam, non potest dici, quod sufficiat contra eum missio in possessionem ex primo decreto causa custodiæ, & quod veniens intra annum ad purgandam contumaciã, debeat recuperare possessionem. vt in d. c. quoniam, in fin. & l. 2. C. vbi in rem act. Et quoniam maior contumacia maiorem pœnam meretur. d. l. consentaneum. Et iudex non debet sententiare de re, quam non cognouit. l. illicitas. ff. de offic. præsid. Ideo adiudicando actori in hoc casu veram possessionem, pu-

nitur

nitur maior contumacia rei, quàm puniretur ante litis contestationem, & reseruando ei quæstionem super proprietate, non priuatur per sententiam dominio rei, de quo iudex non cognouit, quin, postea veniens, ipse possit probare illam rem ad se spectare. vt in tex. & d.l. properandum. §. sin autem.

Cap. 5. Finem.

QVI, fundata intentione actoris, exceptionem peremptoriam, obijcit, quam non probat incontinenti, sed accipit inducias; si defecerit in probando, condemnatur in continenti, diffinitiua non expectata, in expensis, ac soluere cogitur.

QVIA litium finis est desiderandus, ne partes vltra modum grauentur laboribus, & expensis. vt in tex. & l. properandum. C. de iudic. Et quoniam ad impediendum, vel differendum processum, huiusmodi exceptiones peremptoriæ per excogitatam malitiam frequenter opponuntur. l. si quidem. C. de except. & præsertim oritur præsumptio, quod malitiosè opponantur, quando obijciuntur, fundata intentione actoris, & in continenti non assumitur onus probandi, sed dilationes ad id petuntur. vt in tex. Ideo ex quo postea non probantur, apparet de ista malitia, & in eius pœnam, non expectatur condemnatio facienda in omnibus expensis per sententiam diffinitiuam in tota causa contra temerè litigantem; sed statim ad illas soluendas alteri parti, talis opponens est condemnandus. vt in tex. & Authent. qui semel. C. quomod. & quand. iud. Et regulariter in quas expensas, victus in iudicio sit victori condemnandus, tractat glos. hic, & habetur in l. cum, quem. ff. de iudic.

QVOD si non potest, punietur in corpus, secundum arbitrium iudicis.

QVIA ne delictum remaneat impunitum, vbi quis ex maleficio ad pœnam pecuniariam conuenitur, si non habet in ære, debet luere in corpore. c. si res, & ibi glos. 14. q. 6. & l. 1. ff. de pœnis; licet vbi quis conuenitur ex contractu, cum tunc agatur solùm ad partis interesse, sufficiat cedere bonis. c. Odoardus. de solut. & l. fin. C. qui bon. ced. poss. Et quoniam istæ exceptiones non probatæ, præsumuntur malitiosè obiectæ. vt in tex. Ideo si soluendo non fuerit iste, qui in earum probatione defecit, secundum arbitrium discreti iudicis erit in corpore puniendus, vt hoc saltem timore perterritus, non facile quis in grauamen alterius falsas exceptiones opponat. vt in tex. & l. quicunque. C. de seru. fugit.

Cap.

Cap. 6. Cum dilecti.

CITATVS ad totam causam, certo termino ad comparendum assignato, tenetur comparere in termino.

QVIA qui non comparet intra terminum peremptorium sibi à iudice assignatum, contumax existimatur. c. 1. de iudic. & l. contumacia. ff. de re iudic. Et quoniam de longinquo potest fieri citatio ad totam causam, & in prima vice potest mitti peremptorium, cum propter distantiam non possint de facili citationes iterari. c. fin. de dilat. & l. nonnunquam. ff. de iudic. Ideo si talis citatus vult euitare contumaciæ culpam, debet intra istum terminum sibi peremptorie assignatum, in iudicio comparere. vt in tex. & l. vnic. ff. si quis ius dic. non obtemp.

ET dato impedimento in termino, debet comparere quamcitius potest post terminum.

QVIA in omni termino assignato ad aliquid faciendum, legitimum impedimentum semper intelligitur exceptum. l. quæsitum. ff. de re iudic. Cum nemo ad impossibile teneatur. l. impossibilium. ff. de reg. iur. Sed quoniam quando mandatur alicui, vt ad certum terminum se iudici repræsentet, sub hac forma duo mandantur, scilicet, vt ad iudicem veniat, & ad diem sibi præfixam accedat. vt in tex. & l. Celsus. ff. de arbitr. & mandatum qualificatum, quod recipit distributionem, si non potest adimpleri in vna parte, debet adimpleri in altera. c. fin. de restit. spol. Ideo si talis venire non potest ad diem assignatum, tenetur nihilominus quamcitius potest coram iudice se postea præsentare. vt in tex. & c. cum super. de offic. deleg. Sicut si mandatur alicui, vt ad certum diem rem certam alteri exsoluat; non ideo erit à mandato solutus, si soluere nequiuerit die data, imo ad solutionem (elapso etiam die solutioni præfixo) tenetur. vt in tex. & d. l. Celsus.

ALIAS condemnabitur in expensis à tempore citationis emissæ.

QVIA in iudicio sunt resarcienda omnia damna, quæ propter contumaciam partis absentis, præsens sustinuit. l. sancimus. C. de iudic. Ideo ex quo iste non comparens contumax reputatur, ad legitimas, & moderatas expensas, quas aduersarij eius fecerunt à tempore citationis emissæ, quem ex tunc expectare inceperunt, erit per iudicem condemnandus. vt in tex. & sup. c. prox.

Cap. 7. Cum olim.

SENTENTIA in causa beneficiali, non transit in rem iudicatam respectu superioris, quominus possit de iuribus partium inquirere.

QVIA

QVIA ſuperioris auctoritas non debet per aliquam actionem ſubditorum impediri, ne ei legem illi imponere videantur. c. veniens. de tranſact. Et quoniam ad ſuperiorem pertinet inuigilare, vt à ſuis ſubditis peccata euitentur. c. 1. de offic. ordin. Et beneficium eccleſiaſticum, ſine canonica inſtitutione, licitè obtineri non poteſt. c. 1. de reg. iur. in 6. Ideo licet reſpectu partis euictæ, & ſic reſpectu præiudicij priuati, etiam in re beneficiali ſententia tranſeat in rem iudicatam. c. cum dilecti. de elect. reſpectu tamen ſuperioris illa non tranſit. vt in tex. & c. conſtitutus. de appellat. ſicut nec tranſit reſpectu illius, pro quo iniuſtè fuit lata, ſi immineret peccatum non remiſſibile per partes. vt not. Innoc. in c. inter. de re iudic. & Hoſt. in c. lator. eod. tit. Vnde iudex poteſt ex officio inquirere contra vincentem, non obſtante ſententia. cap. oblatæ. de appellat. & Innoc. in c. ad aures. de reſcript.

MAXIME quando ſententia fuit lata contra abſentem, licet contumaciter, & indefenſum.

QVIA cauſarum merita, partium aſſertione panduntur. l. 2. C. ſi per vim, vel alio mod. Et quoniam abſens per contumaciam, verè, & realiter non fuit auditus. ſup. c. prout. licet in eius pœnam præſumantur vera, quæ contra ipſum ab aduerſario in cauſa dicuntur. l. de ætate. §. qui tacuit. ff. de interrog. act. Ideo ex quo tunc non fuerunt verè audita merita vtriuſque partis, maximè ſuperior inquirere poteſt, cum ſit maius periculum, ne pars vincens abſque canonica inſtitutione obtineat. vt in tex. & gloſ. fin. in d. c. prout. & vbi maius periculum vertitur, cautius eſt agendum. c. vbi. de elect. in 6.

Cap. 8. Veritatis.

SI proceditur per viam inquiſitionis contra abſentem contumaciter, etiam lite non conteſtata, teſtes recipi poſſunt, & ſententia diffinitiua ferri, etiam per viam depoſitionis, ſi hoc meretur delictum.

QVIA nunquam proceditur per viam inquiſitionis contra aliquem, niſi clamoſa inſinuatio præueniat contra ipſum. c. qualiter, il 2. de accuſat. Et quoniam contumacia magnam addit præſumptionem contra non comparentem. cap. nullus. de præſumpt. ita ut contumax in ſui præiudicium habeatur pro præſente. c. 2. de arbitr. in 6. Et cum publicè interſit, ne crimina remaneant impunita. c. vt famæ. de ſent. excom. & l. ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil. Et ſuperior debet iuxta dictum Apoſtoli, eſſe promptus, inobedientiam omnem vlciſci. 2. ad Corinth. cap. 10. Ideo licet, quando agitur de crimine in modum actionis, lite non conteſtata, non procedatur ad teſtium receptionem,

nec

nec ad diffinitiuam contra reum contumacem. c.1.vt lit.non cont. ſed licet non liqueat de crimine,ex quo reus eſt contumax,excommunicatur.c.1.de iudic.& c.rurſus.11.q.3.& ſi perſeuerat in excommunicatione per annum,habetur pro conuicto.gloſ.in c. cum ſecundum.de hæret. in 6. quãdo tamen proceditur per viam inquiſitionis, ex quo eſt magis aggrauata eius fama,& iudex procedit ex officio ad publicum bonum, ſi ſit delictum,in quo veniat imponenda pœna exequibilis in abſentem, qualis eſt depoſitio, quãuis ſit pœna grauis, poteſt procedi contra eum à principio,etiam lite non conteſtata,ac ſi verè eſſet præſens. vt in tex. & c. quoniam. §. ſunt. vt lit. non cont. Et de modo procedendi contra contumacem, tàm ſecundum ius canonicum, quàm ciuile; & tam in cauſa ciuili, quàm criminali; vide gloſ.in ſum.3.q.9. & not. in c.tuæ. vt lit. non conteſt.

Cap. 9. Contingit.

ACTOR non admiſſus in poſſeſſionem ſibi decretam per iudicem cauſa rei ſeruandæ, vel ab ea expulſus, per lapſum anni verus efficitur poſſeſſor.

QVIA contingebat interdum, quod cum actori ob contumaciam aduerſæ partis, adiudicabatur, cauſa rei ſeruandæ, poſſeſſio; propter rei potentiam, ſiue dolum, actor intra annum rem cuſtodiendam nanciſci non poterat, vel acquiſitam amittebat; & ſic (cum ſecundum multorum aſſertionem verus non efficeretur poſt lapſum anni poſſeſſor) reportabat commodum de ſua malitia reus. vt in tex. & c. tuæ. vt lit. non cont. Et quoniam contumax non debet exiſtere melioris conditionis, quàm obediens. c.1. de poſtul. præl. & l. 3. ff.de donat. inter vir. & vx. Ideo de canonica æquitate ſancitur, vt in caſu præmiſſo actor verus conſtituatur, elapſo anno, poſſeſſor, ac ſi rem illam ſibi cauſa cuſtodiæ decretam, effectualiter detineret. vt in tex. & l. quamuis.ff.de bon.auctor.iud.poſſeſſ.

Cap. 10. Venerabilis.

SI reus non inuenitur, ſufficit publicè citationem ad eccleſiam ſuam proponi.

QVIA vbicunque quis tenetur adeſſe, & abeſt, puta clericus tenetur reſidere in eccleſia, & maritus habitare cum vxore, ſi legitima cauſa abſentiæ non apparet, præſumitur malitioſe abeſſe.c.ex tuæ. de cleric. non reſid. Et quoniam eſt prouidendum, ne quis latitet, & fugiat iudicium in alterius præiudicium. l. Fulcinius. ff.quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat. Ideo licet regulariter requiratur, vt ab initio cauſæ quis perſonaliter citetur, & poſtea in refugium ſufficiat citatio facta ad domum, cum amplius ille non poſſit ignorantiam cauſæ allegare. l. & poſt edictum. ff. de iudic. quando tamen quis præſumitur la-

titare, & fugere iudicium, in eius odium, ſufficit etiam prima citatio facta domi, vbi quis eſt ſolitus, vel tenetur habitare, cum & ſic præſumatur ad eius notitiam peruenire. vt in tex. & l. 4. §. prætor, & ibi Bart. ff. de damn. infect. Et de ordine ſeruando in cauſis eccleſiaſticis, vide nouiſſime Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 20.

In Sexto. Cap. 1. Actor.

ACTOR contumax condemnatur in expenſis.

QVIA in iudicio ſunt reſarcienda omnia damna, quæ propter contumaciam partis abſentis, ſuſtinuit præſens. l. ſancimus. C. de iudic. quod fit, tum in pœnam ipſius contumacis, qui contempſit iudicem, & partem; & præſumitur non comparere, diffiſus de iure ſuo, cognoſcens ſe bonam cauſam non fouere. ext. c. finem. & ff. de re iudic. l. contumaciam: tum etiam fit in releuamen ipſius comparentis, ne ſentiat damnum ex aliena culpa. ext. c. cum dilecti. Et quoniam maior eſt contumacia actoris non venientis, quam rei; cum actor habeat in ſua poteſtate, quando vtatur iure ſuo: is autem, qui conuenitur, non habet hanc poteſtatem, ſed tenetur reſpondere etiam inuitus. l. pure. §. fin. ff. de dol. except. Ideo præcipuè actor, qui in termino venire, ad quem citari aduerſarium fecerat, non curauit, venienti reo in expenſis (propter hoc factis legitime) eſt condemnandus. vt in tex. & ext. c. cauſam.

NEC citatur vlterius ad ſui petitionem reus, niſi caueat de veniendo, & comparendo.

QVIA propter præcedentem contumaciam, eſt præſumptio contra actorem, quod ſicut ipſe non comparuit in primo termino, ita non comparebit in reliquis. Authent. qui ſemel. C. quomod. & quand. iud. Semel enim malus, ſemper præſumitur malus in eodem genere mali. c. ſemel. infr. de reg. iur. Et quoniam quis eſt puniendus in eo, in quo peccauit. c. literas. ext. de tempor. ord. Et iudicium claudicare non debet. c. cum inter. ext. de except. Ideo ſicut reus contumax, contra quem eſt proceſſum, non auditur, niſi ſufficienter cauerit ſiſtere iudicio, & reficiat expenſas. cap. quoniam. §. in alijs. ext. vt lit. non cont. ita actor, qui non venit ad citationem, quam fieri procurauit, ad aliam citationem non eſt admittendus, niſi ſufficienter cauerit, quod in termino fideliter in poſterum comparebit. vt in tex. & Authent. generaliter. C. de epiſc. & cler.

Cap.

Cap. 2. Eum, qui.

IVDEX appellantem, & recedentem, citare vlterius non tenetur, si vult in causa procedere.

QVIA talis appellans, & recedens, videtur hoc ipso protestari, se nolle coram illo iudice de cætero litigare. vt in tex. Et quoniam, stante tali protestatione, frustra citaretur. glos. 1. infr. in Clem. vnic. Et in frustratorijs non est elaborandum. l. aliquando. ff. ad sen. cons. Velleian. Ideo eum, qui ab interlocutoria, vel grauamine, quod sibi per iudicem proponit illatum, ab eius præsentia recedit appellans, citare ad alia, quę postea in iudicio facienda incumbunt, vel etiam ad sententiam audiendam, ipse iudex non tenetur. vt in tex. & infr. Clem. vnic.

NISI forsitan appellationi renunciet.

QVIA is, qui appellauit, non prohibetur, re integra, pœnitentia ductus, dum adhuc nihil aduersarij interest, ab appellatione desistere, & coram eodem iudice litigare, ne iustæ pœnitudinis humanitas amputetur. c. ei, qui. 9. si quis. 2. q. 6. & l. si quis. C. de appellat. Et quoniam processus iudicis non valet, si ad actum procedit sine citatione, vbi requiritur citatio. c. omnia. 3. q. 9. & regulariter citatio requiritur ad sententiam, & in omni actu, in quo vertitur partis interesse. l. de vnoquoque. ff. de re iudic. Ideo vbi iudici constat per renunciationem huiusmodi appellationis, talem velle suo præcepto parere, licet primò contrarium apparuerit, in præiudicialibus actibus causæ debet ipsum citare. vt in tex. & ext. c. prout.

In Clement. Cap. vnic. Si ante.

APPELLANS ante diffinitiuam, etiam à diffinitiua lata, eo absente, citato, vel non, appellare potest.

QVIA alia veniunt examinanda in vna appellatione, quàm in alia; nam in appellatione ante sententiam, appellans non potest prosequi, nisi causam in ea expressam. Clem. appellanti. de appellat. Sed in appellatione à diffinitiua omnia veniunt, per quæ sententia potest reddi iniusta. l. eos. C. de appellat. Et quoniam iudex à quo potest procedere cõtra illum appellantem ante diffinitiuã, si male appellauerit, eo amplius non citato, ex quo protestatus est, se nolle de cætero coram ipso comparere. sup. c. 2. in 6. Ideo cum iudex possit per sententiam diffinitiuam eum grauare, non debet ipse impediri, quin per appellationem à diffinitiua, valeat illud grauamen euitare. vt in tex. & c. vt debitus. ext. de appellat.

NISI prima appellatio fuerit friuola manifestè.

QVIA friuole appellans, & recedens, verè contumax est. glos. hic. ver. manifestè, quæ distinguit de triplici contumacia, scilicet, euidenti, vera, & ficta. Et quoniam verus contumax non appellat. l. 1. C. quor. appell. non recip. & l. properandum. §. fin autem. C. de iudic. licet fictus contumax appellet. l. creditor. §. iussus. ff. de appell. Ideo quando appellatio ante diffinitiuam est manifestè friuola, non potest talis appellans postea à diffinitiua appellare. vt in tex. & d. gl. hic; quæ ponit modum procedendi per iudicem ad quem, in cognitione istarum appellationum. Curia tamen Romana quandoque audit verum contumacem appellantem, dummodo appellet intra decem dies à tempore latæ sententiæ. Rota decis. 190. quæ incipit; licet fictè contumax, & decis. 367. quæ incipit; Cũ iura clamitent, in nouis; quæ tamen decisiones loquuntur in citato per edictum iuxta formam Clem. 1. de iudic. Et taliter citati, & contumaces audiuntur prima facie, sed non effectualiter; immo reijcitur appellatio, si reperiantur veri contumaces; alias claudicarent omnia iura dicentia; contumacem verũ non audiri appellantẽ. Zab. hic.

In Extrauag. comm. Cap. vnic. Rem non nouam.

CITATIONES etiam extra dies solemnes publicè factæ de mandato Papæ in Audientia literarum Apostolicarum, vel palatio Papali, affixæ ianuis maioris ecclesiæ loci, in quo Papa cũ curia sua degit, arctant citatum, ac si ad eum personaliter peruenissent.

QVIA sicut olim solebant prætores proponere in albo huiusmodi edicta, ne absentes possent prætendere ignorantiam; cum non sit verisimile, non esse peruẽturum ad notitiam citati id, quod in publico loco frequentantiũ oculis proponitur legendũ; & vt sic caueretur, ne ex defectu citationis iudicia frustratoria redderentur, vel lites in præiudicium præsentiũ nimis protraherentur, & euitarentur. Authent. de litig. §. omnem. coll. 8. ita citationes istæ publicè factæ in his principalioribus locis Romanæ curiæ, non est verisimile, quod nõ sint peruenturę ad notitiã illius, qui per illas euocatur. vt in tex. Et quoniã sępe cõtingit, vt non possint tutè adiri loca citandorũ, præsertim si sint Principes, qui tamẽ summo Pontifici obtemperare debent. c. solitæ. ext. de maior. & obed. Ideo ad iudiciorũ validitatem, & ad obuiandũ fraudibus, & finem litibus imponendum, statuitur, vt istę citationes sic publicè factę, ita valeant, & arctent citatos post terminum lapsum, quem, considerata locorum distantia, citationibus ipsis competentem contigerit apponi, sicut si eos personaliter apprehendissent. vt in tex. & Clem. 1. de iudic.

RE-

RESTRINGITVR tamen hæc extrauagans ad illos, qui impediunt, ne ad eos possit citatio peruenire, vel quorum domicilium tutè adiri non potest, vt in Clem. 1. de iudic.

QVIA hæc constitutio fuit à principio rationabiliter edita sub tali generali modo citandi propter malitiam temporis tunc instantis. vt in tex. Sed quoniam postea nimis rigorosa videbatur, cum per illam esset opus semper habere procuratorem in curia, qui ad istas citationes percipiendas inuigilaret. Zabar. in d. Clem. 1. de iudic. Ideo per Clementem V. ista constitutio fuit postea restricta solum ad eos, qui impediunt, ne ad ipsos possit citatio peruenire, vel quorum domicilium tutè non potest adiri; non tamen per illam restrictionem derogatur ei, quod circa citationes absentium tam diebus solemnibus, quàm alijs, Ecclesia Romana diuersis ex causis interdum facere consueuit. d. Clem. 1.

Liber Secundus. Titulus XV.

DE EO, QVI MITTITVR IN possessionem causa rei seruandæ.

In Decretal. Cap. 1. Constitutis.

MISSVS in possessionem ex primo decreto in reali, per lapsum anni veram, & incommutabilem illius rei possessionem acquirit.

QVIA cum, lite non contestata, non possit procedi contra absentem ad diffinitiuam sententiam. c. 1. vt lit. non cont. fuit necesse prouidere per alium modum contra contumacem, ne iniustè priuaret actorem re in iudicio petita. c. pastoralis. §. 1. de offic. ord. & ob id fuerunt introductæ duæ pœnæ, & viæ, ad procedendum contra contumaces; vna per missionem in possessionem, alia per excommunicationem. c. quoniam. §. fin. vt lit. non cont. Et quoniam fuit statutum, vt quando contumax conuenitur actione reali, actor missus in possessionem causa custodiæ ex primo decreto, per lapsum anni verus constituatur possessor, nisi intra illud tempus reus præstiterit cautionem iudicio sisti, & congruam expensarum satisfactionem exhibuerit. d. c. quoniam. §. in alijs. Ideo in realibus actionibus non habet locum

cum ſecundum decretum, ſed ſolus tranſcurſus anni facit talem miſſum verum poſſeſſorem. vt in tex.& c contingit.& ibi gloſ. fin.ſup.tit.prox. Ad cautelam tamen, ſolet illud quandoque impetrari, ſed non eſt neceſſe.Specul.de ſecundo decr.§.videtur.In perſonalibus autem actionibus miſſus in poſſeſſionem ex primo decreto, ſi vult poſt annum effici verus poſſeſſor, neceſſe habet impetrare ſecundum, aliàs intelligitur non poſſidere. c.ex literis. de probat.Cum non fuerit ſtatutum, vt lapſus anni efficiat ipſo facto eum verum poſſeſſorem; & hoc,quia ei erat prius obligata perſona, quàm res. d.c.quoniam. §.fin.ideo non tam facilis fuit ei conceſſa poſſeſsio rei; In habentibus enim ſymbolum facilior eſt tranſitus. Ariſt. 2.de generat.tex.24.& c.requiſiſti. de teſtam.

LICET paſſus miſſionem, habuerit intra annum voluntatem cautionem præſtandi, quam tamen non deduxit ad effectum ſuo defectu.

QVIA vbi opus eſt facto, non ſufficit voluntas ſine effectu. c. non ſatis. diſt.86.& l.promiſſor. §.conſtituto. ff.de conſtit. pecun.Et quoniam iſta cautio requiritur realiter pro aſſicuratione iudicij, & ſatisfactione actoris. d.c. quoniam. Ideo talis voluntas per ſe ſolam non ſufficit ad impediendam iſtam poſſeſsionem poſt annum. vt in tex.& c.cum aliquibus. de re iudic. Si tamen non ſteterit per reum, nec ex ſuo defectu, ſed per iudicem, vel per aduerſarium, non imputaretur ei. infr.c.prox.quia non eſt imputandum illi, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum. cap. imputari. de reg. iur. in 6.

Cap. 2. Cum ſicut.

TEMPVS annale non currit miſſionem paſſo, ſi intra illud cautionem iudicibus, vel alteri eorum, alijs abſentibus, obtulit; licet per eos, ſeu per eum recepta non fuerit.

QVIA cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, perinde haberi debet, ac ſi impleta fuiſſet.l.iure ciuili. ff.de condit.& demonſtr. Et quoniam talis cautio eſt præſtanda iudici.cap.paſtoralis. de offic.ord. licet poſſit præſtari etiam parti, & alicui perſonæ honeſtæ,quæ illam recipiat nomine aduerſarij. gloſ. hìc. non tamen neceſſariò pars ad hoc tenetur, ne cogatur circumire extra iudicium ciuitatem. Abb. ſup.in c. prox.Ideo ex quo ſufficientem diligentiam quis adhibuit in cautione præſtanda, vt puta, quia adiuit vnum ex pluribus iudicibus, non valens aliorum præſentiam habere, & realiter coram eo cautionem obtulit, nec defecit pro eo, quo minus fuerit præſtita, debet talis paſſus miſſionem ex primo decreto,

decreto, aduersus lapsum anni conseruari indemnis. vt in tex. & c. dilecto. de verb. sign.

Cap. 3. Cum veniissent.

SI passus missionem, repetens possessionem, allegat se contumacem non fuisse, restituitur in pristinum statum, præstita cautione, & dilata condemnatione expensarum.

QVIA missio in possessionem ex primo decreto, fit in odium contumacis, vt tædio affectus, veniat responsurus. c. quoniam. §. in alijs. vt lit. non cont. Et quoniam parùm amittit, qui possessionem causa custodiæ assignatam restituit, ex quo aduersarius paratus est stare iuri, cum illa possessio ei nullum ius tribuat. d. §. in alijs. immo ei expedit, quod sic fiat, quia aliter posset tantum differri causæ cognitio, quod suæ probationes à rerum natura caderent. d. c. in princ. Ideo passus missionem, auditur volens recuperare possessionem, præstita dumtaxat cautione, si allegat se contumacem non fuisse, & postea discutitur de viribus contumaciæ. vt in tex. secus, si de contumacia apertè constaret, nam tunc non auditur, nisi etiam expensas restituat. c. venerabilis. de sent. excom. in 6. & Authent. generaliter. C. de episc. & cleric.

QVAM euitat, si postea constiterit, eum non fuisse contumacem.

QVIA condemnatio expensarum, est pœna respectu soluentis, licet sit restitutio respectu recipientis. cap. cum dilecti. de dol. & cont. & l. sancimus. C. de iudic. Et quoniam vbi non est culpa, non est imponenda pœna. S. Tho. par. 3. q. 5. art. 1. in addit. Ideo ex quo isti non potest imputari contumaciæ culpa, non debet condemnari ad expensas, quæ pro illa culpa infliguntur. vt in tex. & c. imputari. de reg. iur. in 6.

Cap. 4. Si aduersarius.

CONTRA absentem, qui non dimisit procuratorem, facta citatione domi, nullo defendente, fit missio.

QVIA missio ex primo decreto est modici præiudicij, & fit tantum, vt tædio affectus, veniat reus responsurus. vt sup. in cap. prox. Et quoniam antequam illa concedatur, debet fieri per iudicem summaria cognitio super causa. c. quoniam. §. penult. vt lit. non cont. Et qui se absentat, non dimisso procuratore ad eius res defendendum, & administrandum, est in aliquali culpa. l. ignorare. C. de restit. milit. Ideo pro illa eius culpa, fit ei istud modicum præiudicium, vt, ex quo abest, & citatus non comparet, nec alius eum defendit, aduersarius

mittatur in poſſeſſionem rei petitæ (quam iam aliqualiter demonſtrauerit ad ſe pertinere) cauſa cuſtodiæ. vt in tex. & l. ait prætor. ff. ex quib. cauſ. maior. Si verò ſe abſentauerit poſt citationem ſibi factam, & procuratorem non dimiſit, ex quo tunc præſumitur malitiosè abeſſe. c. cauſam. de dol. & cont. non ſolum poteſt contra eum procedi ad miſſionem ex primo decreto, ſed etiam ad illam ex ſecundo. d. c. quoniam, in princ. & c. fin. de dol. & cont. Si tamen poſtea probauerit, quod ex iuſta cauſa aberat, reſtituetur ei poſſeſſio. c. cum Bertholdus. de re iudic. & l. ſi finita. §. ſi fortè. ff. de damn. infect.

In Sexto. Cap. vnic. Eum, qui.

QVANDO agitur de beneficio eccleſiaſtico, ob contumaciam rei, non fit miſſio in poſſeſſionem.

QVIA beneficium eccleſiaſticum non poteſt licitè, ſine canonica inſtitutione obtineri. cap. 1. infr. de reg. iur. Et quoniam ſi actor, qui fortaſſe non habet titulum, nec inſtitutionem, propter contumaciam rei mitteretur in poſſeſſionē ipſius beneficij, haberet ingreſſum vitioſum ad illud. vt in tex. Ideo licet regulariter, quando agitur reali, ob contumaciam rei fiat miſſio in poſſeſſionem cauſa rei ſeruandæ. c. quoniam. ext. vt lit. non cont. tamen quando agitur de beneficio eccleſiaſtico, non fit talis miſſio. vt in tex. & gloſ. in l. Herennius. ff. de decurion. Sed quia reus non debet interim de ſua contumacia gaudere. c. contingit. ext. de dol. & cont. Ideo loco miſſionis, ſi adhuc non liquet de cauſa pro actore, fit apud tertium ſequeſtratio fructuum. c. olim. ex. de reſcript.

SED ad ſententiam, lite non conteſtata, proceditur.

QVIA eccleſiæ non debent diù eſſe vacantes, ne propter longam moram patiantur in ſpiritualibus, & temporalibus, detrimentum. c. ne pro defectu. ext. de elect. Vnde intra ſex menſes eſt facienda de rectore prouiſio. c. 2. ext. de conceſſ. præb. Et quoniam ſi in beneficialibus non procederetur contra reum abſentem, etiam lite non conteſtata, eccleſia interim nimiū vacare videretur; cum nec ſua, propter eius contumaciam, cenſeatur; nec actori, qui non probauit canonicam inſtitutionem, adiudicetur. d. c. quoniam. §. porrò. Ideo licet regulariter non procedatur ad teſtium receptionem, vel diffinitiuam ſententiam, lite non conteſtata. c. 1. d. tit. vt lit. non cont. tamen quando agitur de eccleſiaſtico beneficio, etiam ea non conteſtata, poteſt ſuperior, contumacis abſentiam diuina replente præſentia, diligenter

genter examinato negotio, ipsum fine debito terminare. vt in tex. & d.c.quoniam. Vnde si actor legitime probauerit, sibi adiudicabitur beneficium; si non probauerit, non propter hoc adiudicabitur reo ius in beneficio, ne ex sua contumacia commodum consequatur, sed absoluetur ab impetitione actoris. Gemin. hic. Et si iudici videbitur, poterit reum, propter illam contumaciæ culpam, excommunicare. c.tuæ. ext. vt lit. non cont.

Liber Secundus. Titulus XVI.

VT LITE PENDENTE, nihil innouetur.

In Decretal. Cap. 1. A memoria.

PRIVILEGIVM, etiam à principe impetratum, per quod priuatur quis sine causæ cognitione, lite pendente, vsu possessionis, tanquam subreptitium non valet.

VIA magnum est commodum possessionis. c.1.de restit. spol. nam etiam si res non sit possessoris, si actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessor, & absoluitur ab impetitione actoris. Instit. de interdict. §. retinendæ. Et quoniam princeps non intendit per suum priuilegium alicui concessum, enorme præiudicium alteri inferre, nec tertio inaudito præiudicare, nisi nominatim hoc exprimat. cap. suggestum. de decim. & l.2.§.si quis. ff. ne quid in loc. publ. Ideo priuilegium concessum in præiudicium possessoris, lite pendente, vt ille priuetur interim possessione, tanquam subreptitie impetratum, non valet. vt in tex.& c.2.de rescript. vnde cum præsumatur falsum, vel subreptitium, & non emanasse ex certa scientia principis, est de eo princeps certiorandus, & secunda eius iussio expectanda.cap.cum adeo.de rescript.& Authent. vt nulli iudic.§.& hoc.coll.9.

Cap. 2. Laudabilem.

ACCVSATVS de adulterio ad separationem thori, non debet, lite pendente, priuari possessione coniugali.

QVIA

QVIA ex quo pendentia litis reperit iſtos in quieta poſſeſſione coniugali, præſumptio eſt pro coniuge, quod licitè poſsideat. c. ex tranſmiſſa. de reſtit. ſpol. Et quoniam vbi notoriè non conſtat de defectu proprietatis, vnuſquiſque eſt, lite pendente, in ſua poſſeſſione manutenendus. c. in literis. d. tit. Et ante ſecutam ſententiam, pendente accuſatione, non poteſt dici, de defectu rei deductæ in iudicium, notoriè conſtare. c. veſtra. de cohabit. cleric. & c. iudex. de offic. deleg. in 6. Ideo ante finem cauſæ, alteruter coniugum non debet priuari iure, & commodo poſſeſſionis, quod habet in alterum: vt in tex. & c. literas. de reſtit. ſpol. Et hæc ſunt vera, quo ad priuationem faciendam per iudicem, cui adhuc non conſtat de peccato, cum ipſe debeat iudicare ſecundum allegata, & probata. l. illicitas. ff. de offic. præſid. Sed quo ad partes, illa, quæ habet certam notitiam impedimenti, non debet exigere, nec reddere debitum. d. c. literas, ſed potius debet excommunicationem ſuſtinere, ne peccatum incurrat. c. inquiſitioni. de ſent. excom.

Cap. 3. eccleſia, il 1. & cap. 4. eccleſia, il 2.

QVI rem litigioſam alienauit, ita quod rehaberi non poteſt, debet æquiualentem ſubſtituere in locum illius.

QVIA res litigioſa alienari prohibetur, ne liceat per talem alienationem, aduerſarij conditionem facere duriorem. l. fin. ff. de litigioſ. & c. fin. 11. q. 1. Et quoniam vbi illa fuit alienata, eſt prouidendum, ne aduerſarius in vanum laboret, ſed vt habeat, quod euincere poſſit, ſi in iudicio obtinuerit. l. 1. ff. de alie. iud. mut. cauſ. fact. Ideo ſi res illa rehaberi poteſt, debet ipſa ad hunc effectum ſeruari; cum præter alias pœnas, contractus, & alienatio de illa facta, ipſo iure non teneant. l. fin. C. de litigioſ. ſi verò non poſſit recuperari, pro tali aſſicuratione aduerſarij, eſt alia æquiualens ſubſtituenda, vt in tex. & Authent. de litigioſ. coll. 8.

QVAM alienare non poterit.

QVIA ſubrogatum aſſumit naturam illius, in cuius locum ſubrogatur. §. fuerat. Inſtit. de action. Et quoniam res litigioſa alienari non poteſt. l. 2. C. de litigioſ. Ideo nec etiam valet alienatio rei ſubrogatæ in locum illius. vt in tex. & cap. cum tu. de vſur. In quibuſdam tamen caſibus res litigioſa licitè alienatur, ſcilicet ex cauſa dotis, vel tranſactionis, vel donationis propter nuptias, vel ex cauſa legati, vel diuiſionis rerum hæreditariarum. l. fin. C. de litigioſ. vel ſi ſit res, quæ ſeruari non poteſt. l. alienationes. ff. famil. erciſc. & l. diuus. ff. de petit. hæred. Res autem litigioſa dicitur illa, de cuius dominio, vel quaſi, cauſa vertitur inter petitorem, & poſſeſſorem, vel iudiciaria conuentione, vel precibus principi oblatis, & iudici inſinuatis,

nuatis, & per eum reo futuro cognitis. Authent. de litig. in princ. coll. 8. & l. 2. C. eod.

Cap. 5. Dilectus.

LIS decidenda est secundum iura existentia tempore controuersiæ, non autem secundum priuilegium impetratum, lite pendente.

QVIA ius commune nouiter emanans non extenditur ad causam tunc pendentem, sed tantum futuris dat formam negotijs. cap. fin. de constitut. & Authent. vt factæ nouæ constit. coll. 5. Et quoniam priuilegium, tanquam ius speciale, & exorbitans à communi iuris dispositione, est odiosum. c. sanæ. de priuil. & ob id venit restringendum. c. odia. de reg. iur. in 6. Ideo, & fortius, non debet illud extendi ad causam tunc pendentem, si tempore impetrationis, de ea non fecit impetrans mentionem. vt in tex. & Authent. in medio lit. non fieri sacr. for. coll. 8. Præterea, non est verisimile, principem voluisse in præiudicium litis motæ, contra iura sua iam posita concedere priuilegium, quin de litis pendentia mentionem feciſſet. c. suggestum. de decim. & Authent. vt cum de appell. cogn. §. 1. coll. 8. Et quoniam priuilegia, & rescripta sortiuntur effectum ex mente rescribentis. c. super. de rescript. Ideo priuilegium impetratum super re litigiosa, non habita mentione de quæstione, non valet, nec secundum illud est lis decidenda. vt in tex. & c. causam, il 2. de testib.

NISI de litis pendentia mentionem faciat.

QVIA vbi fit mentio de obstantibus, non potest circa illa, subreptio imputari. cap. nonnulli. de rescript. cum princeps ex certa scientia tunc concedat. l. idem Vlpianus. ff. de excusat. tut. Et quoniam potest princeps concedere priuilegium vni, quamuis præiudicet alteri. c. dudum. de priuileg. Et beneficium à principe concessum, decet esse mansurum. c. decet. de reg. iur. in 6. Ideo si tale priuilegium facit mentionem de litis pendentia, secundum formam tunc à principe traditam, erit in negotio procedendum. vt in tex. & l. bene à Zenone. C. de quadrien. præscript.

In Sexto. Cap. 1. Dispendijs.

SI ex duobus litigantibus electis alter decedat, renuntiet, vel à prosecutione causæ excludatur, si, lite pendente cum reliquo, fuerit alia electio facta, non tenet.

QVIA

QVIA propter diuersas electiones in discordia celebratas, ecclesiæ sæpenumero patiuntur damna, & incommoda; nam interim non fit confirmatio alicuius, & pendente processu, nullus potest administrare. c. dudum, il 2. ext. de elect. & c. cum venissent. de in integr. restit. Et quoniam est prouidendum, ne propter longam vacationem ecclesiæ patiantur detrimentum. c. ne pro defectu. ext. de elect. & cap. quoniam. vt lit. non cont. Ideo statuitur, vt si aliquibus apud sedem Apostolicam, vel alibi litigantibus super electionibus de se in discordia celebratis, aliquem ipsorum mori, vel suo iuri renuntiare, aut à prosecutione ipsius contigerit quoquo modo excludi, ad electionem aliam (lite super electione superstitis electi pendente) nullatenus procedatur. vt in tex. & infr. c. prox. Et hoc, quando res est deducta in litigium; nam si adhuc non sic effecta litigiosa, potest interdum fieri secunda electio, quæ sit valida. vt in c. auditis. ex. de elect. Et interdum non sit ipso iure nulla, vt est in casu huius tex. Sed sit per exceptionem annullanda. vt in c. considerauimus. ext. de elect. & est in tali casu ferenda sententia super iure istius superstitis, & super illo, quod erat defuncti; nam licet appareat, defuncto amplius non deberi, non propter hoc sequitur, quod superstiti viuenti debeatur. c. olim. ext. de rescript. Et etiam est talis sententia ferenda propter eligentes, vt sciatur, an penès ipsos omnes, vel aliquos ex ipsis, remaneat electio, vel an ad superiorem illa sit tunc deuoluta. cap. cum Vintonensis. ext. de elect. & sup. c. quanquam. d. tit. Sic &, mortuo homine, fertur sententia propter bona. c. accusatus. §. in eo. de hæret. in 6. & l. 2. C. si reus, vel accus. mort. fuer.

Cap. 2. Si hi.

SI beneficiatus, contra quem super beneficio litigatur, cedit, vel decedit, si alius, lite pendente cum superstite, fuerit electus, non valet electio.

QVIA propter nouos aduersarios, qui malitiosè interdum petitoribus subrogabantur, litigia in ecclesiarum dispendium contingebat prorogari. vt in tex. & sup. c. prox. Et quoniam talia ecclesiarum dispendia sunt euitanda. c. dispendia. sup. de rescript. Ideo statuitur, vt dignitates, personatus, vel beneficia huiusmodi (donec contra superstites lis finita fuerit) aliis nullatenus conferantur, nec ad ea quispiam eligatur, vel etiam præsentetur. vt in tex. & c. ex parte. extr. de arbitr. Et est diuersitas inter istum casum, & illum cap. præcedentis, quia in præcedenti non dum erant litigantes beneficia adepti, sed tantum de electione litigabant; hic verò iam erant adepti beneficia. glos. ver. possident.

SI

SI verò aliqui, quorum interſit, ad defenſionem litis velint admitti, in eo ſtatu, in quo erat cauſa, admittentur.

QVIA admittendo eos in tali ſtatu, nec lis eorum cauſa nimium prorogatur, nec ipſi iure ſuo indebitè priuantur. gloſ. fin. Et quoniam ſicut eſt prouidendum, ne eccleſiæ diu vacent. cap. quoniam. ex. vt lit. non cont. ita eſt conſulendum, ne quiſquam ſine culpa iure ſuo priuetur. c. ſatis. diſt. 56. Ideo ſi ad defenſionem ipſius litis aliqui, quorum interſit, petierint ſe admitti, eos in illo ſtatu, in quo ipſam inuenerint, ſtatuitur, eſſe admittendos. vt in tex. & infr. Clem. 1.

In Clement. Cap. 1. Si duobus.

SI duo litigantes ſuper beneficio moriantur, ſiue vterque in curia, vel ſolus poſſidens, vel neutro poſſidente, alter tantum, altero alibi moriente, ad Papam, & in conuerſis caſibus ad ordinarium ſpectat collatio, ſi ad alterum beneficium pertinebat.

QVIA licet generaliter collatio beneficiorum ſpectet ad Papam, ratione plenitudinis poteſtatis; tamen ſpecialiter, & priuatiue, collatio beneficiorum vacantium in curia Romana ad ipſum Papam ſpectat, ita quod nullus alius illa beneficia poteſt conferre ſine ipſius mandato ſpeciali. c. 2. de præb. in 6. Alia verò beneficia vacantia extra curiam Romanam, de iure cõmuni ordinarij poſſunt conferre, & concurrunt cum Papa accumulatiue, & poſſunt præuenire Papam, niſi Papa inhibuiſſet, ne ipſi haberent conferre. cap. nulla. & cap. propoſuit. extr. de conceſſ. præb. Sed in huiuſmodi reſeruationibus, & collationibus beneficiorum hodie ſunt ſpecialiter attendendæ Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, quæ à ſingulis ſummis Pontificibus innouantur. Simonet. de reſeruat. benefic. quæſt. 26. Et quoniam regulariter melior eſt conditio poſſidentis. c. in pari. de reg. iur. in 6. Et ille, qui poſſidet, præſumitur legitime poſſidere, niſi ius ei reſiſtat. c. de multa. ex. de præb. & c. cum olim. de priuil. Ideo ſimiliter ſtatuitur, vt melior ſit conditio illius collatoris, apud quem moritur ille, qui erat beneficij poſſeſſor. gloſ. ver. poſſidebat. Ibi enim dicitur beneficium vacare, nam per mortem omne ius à defuncto abdicatur. Authent. de nupt. §. deinceps. coll. 4. Et quia, cæteris paribus, præfertur is, qui eſt maioris auctoritatis. l. 4. C. de natur. liber. Ideo neutro talium litigantium beneficium poſſidente, erit Romanus Pontifex propter auctoritatis prærogatiuã in huiuſmodi collatione præferendus. vt in tex. & c. ſi à ſede, de præb. in 6.

SI

SI autem alter tantum moritur, si superstes, vel alius, cuius interfit, litem prosequitur, ex futuro euentu apparebit, ad quem collatio spectat.

QVIA talis instantia est non solùm cum parte, sed etiam cum iudice ad effectum publicæ vtilitatis. c. oblatæ. ext. de appellat. & etiam potest esse cum alijs, ratione iuris eligendi, vel præsentandi, vel conferendi, quod quis se contendat habere. glos. ver. interfit. & sup. c. 2. in 6. Et quoniam si, tali superstite, beneficium alteri conferretur, sæpe propter nouum aduersarium, lis in ecclesiarum dispendium, nimium protraheretur. c. 1. & 2. eod. in 6. Et litium euentus est incertus. l. quidam. ff. de re iudic. Ideo si tali moriente, alter, qui habeat interesse, litem prosequatur, erit in collatione beneficij supersedendum, donec, ad quem collatio eius pertineat, futurus euentus declarabit. vt in tex. & c. 2. in 6. nam si ad defunctum spectasse beneficium declarabitur, pertinebit ad Papam, si ille in curia, vel ad ordinarium, si extra curiam sit defunctus; quod si ad neutrum, illud spectasse constiterit, ad ordinarium collatio pertinebit; salua tamen in præmissis omnibus Romani Pontificis potestate, ad quem ecclesiarum, & beneficiorum ecclesiasticorum plena, & libera dispositio, ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere. vt in tex. & c. 2. de præb. in 6.

Cap. 2. Cum lite.

LIS dicitur pendere quo ad hoc, vt nihil debeat innouari, cum citatio legitime peruenit ad partem.

QVIA citatio est prima pars essentialis iudicij. Instit. de pœn. tem. l. it. §. fin. Et fit, vt citatus veniat, vel mittat in iudicium ad allegandum sua iura, ne indefensus condemnetur. c. licet Hely. ext. de simon. vnde illa est de iure naturali. c. qualiter, il. 2. ext. de accusat. Et quoniam si litigantes aliquid innouarent, lite pendente, punirentur, & illud tanquam attentatum reuocaretur. c. ecclesia. ex. eod. & Authen. de litig. coll. 8. Et antequam quis fuerit instructus, super quibus in iudicio conueniatur, si libere vtatur re sua, non potest dici in culpa. l. in re mandata. C. mand. Et sine culpa nemo est iure suo priuandus. c. discretionem. ext. de eo, qui cogn. conf. Ideo vt quis per litis pendentiam prohibeatur aliquid innouare, debet ad ipsum citatio prius esse emanata, & peruenta. vt in tex. & l. 2. C. de litigios. Præterea, vbi ex aliquo actu debet insurgere effectus, requiritur, quod actus ex suis partibus sit perfectus. c. quia propter. & c. cum post. ext. de elect. Et quoniam citationis sunt tres partes; prima est impositio, cum iudex imponit nuntio, vt aliquis citetur; secunda est manifestatio, cum nuntius denunciat citato, vt veniat; tertia est relatio, cum nuntius refert iudici, se citasse aliquem in tali loco. vt not. in c. præterea. de dilat. & c. fin. de ferijs. Ideo

ad

ad inducendam litis pendentiam, oportet, quod citatio peruenerit ad partem. vt in tex. quo ad iurisdictionem tamen in iudice perpetuandam, sufficit illam ab ipso emanasse. glos. ver. ad partem. cum tunc attendatur solùm eradicatio facta in iudice per aliquod iurisdictionis exercitium. vt not. in c. gratum. ex. de offic. deleg.

VEL per eam stetit, quominus peruèniret.

QVIA dolus, & fraus nemini patrocinari debent. c. sedes. de rescr. nec debet esse melioris conditionis contumax, quam obediens. c. cum contingit. de dol. & cont. Et quoniam si citatus, qui impedit, ne ad ipsum citatio perueniat, non haberetur pro citato, de sua malitia commodum reportaret. Clem. causam. de elect. Et qui dolo facit, quo minus possit, posse censetur. l. semper. §. eum. ff. quod vi, aut clam. Ideo si citatio à iudice competenti emanauit, ita afficit partem, quæ impedit, ne ad ipsam perueniat, ac si realiter peruenisset. vt in tex. & Clem. vnic. de renunt.

CVM tali expressione, quod potuit instrui, super quo conueniatur.

QVIA non est conueniens, vt ad sciendum super quibus citetur, quis vagetur in incerto fine sua culpa, & diuinare teneatur. c. vnic. de elect. in 6. Et quoniam si citatio esset nimium generalis, & obscura, possent per illam committi ab actore diuersæ fraudes contra ipsum citatum. c. cum in multis. de rescript. in 6. puta, dicendo, se citasse illum pro vna re, & sic facere illam litigiosam, & tamen citasse pro alia. glos. fin. hic. Ideo, vt euitentur istæ fraudes, & vt citatus possit deliberare, quid facere debeat, ad inducendam litis pendentiam ita est citatio facienda, vt in ea sint expressa illa, per quæ citatus possit plene instrui, super quibus in iudicio conuenitur. vt in tex. & Authen. litigiosa. C. de litig. Vnde est bonum consiliũ pro actore, cui expedit inducere litis pendentiam, vt in citatione inseratur copia libelli, quando per illam vult inchoare litem. glos. fin. hic. & c. 2. ex. de dilat. At si possessor, lite pẽdente, vtatur sua possessione, vt prius, nõ dicitur aliquid innouare; sed bene in ea fieret innouatio, si ipse sua possessione priuaretur, vel si res litigiosa alienaretur, vel si priuilegiũ, tacita litis pendentia, super causa impetraretur. gl. ver. innouari. Pendentia autem litis incipit à citatione. vt in tex. & desinit per sententiam, à qua non fuit appellatũ, vel aliter. vt not. in c. 1. de lit. cont. in 6. Iudex verò competẽs, seu idoneus dicitur ille, qui in causa habet iurisdictionem cum exercitio, licet per exceptionem illa elidi possit; siue exceptio contingat personam, vt quia suspecta, siue iurisdictionẽ, vt quia rescriptum sit subreptitium. glos. ver. competenti, & Felin. in c. cum ordinem. de rescript. valet enim in his casibus processus, si non excipiatur. c. inter. ext. de re iudic. Ideo ante exceptionẽ iudex tũc dicitur cõpetens, & idoneus. c. ad audientiã. il 2. ex. de rescr.

Liber

Liber Secundus. Titulus XVII.

DE SEQVESTRATIONE possessionum, & fructuum.

In Decretal. Cap. 1. Ad hoc.

SEQVESTRVM factum loco missionis propter scandalum euitandum, reuocari debet, oblata cautione, & restitutis expensis.



QVIA subrogatum debet sapere naturam eius, in cuius locum subrogatur. c. ecclesia. sup. tit. prox. Et quoniã missio ex primo decreto reuocatur, oblata cautione, & restitutis expensis. c. quoniam. §. in alijs. vt lit. nõ cont. Ideo similiter debet reuocari hæc sequestratio ei subrogata. vt in tex. & c. 2. de dol. & cont. Sequestratio autem fit loco missionis, quando ad euitandũ aliquod scandalum, quod verisimiliter poterat euenire, si actor in rei petitæ possessionem mitteretur, iudex arbitratur per hunc mitiorem modum esse procedendum contra reum contumacem, vt nec ipse, nec actor sit interim in possessione, sed illa transferatur in sequestrum apud tertium. d. c. 2. de dol. & cont. & etiam fit ex alijs causis notatis per gl. infr. in c. prox. Dum enim res est apud sequestrum, nec actor, nec reus possidet. l. licet. ff. depos it.

Cap. 2. Dilectus.

SI missus in possessionem causa custodiæ, fructus dissipat, dissipati reuocantur, & cum alijs sequestrantur.

QVIA ille, qui mittitur in possessionem causa custodiæ, siue agatur actione reali, siue personali, intra annum non facit fructus suos; sed debet eos custodire, & nõ distrahere, vt si infra annum reus voluerit recuperare possessionem, restituantur ei fructus illius. c. quoniam. §. in alijs. vt lit. non cont. Expensæ tamen necessariæ factæ pro fructibus percipiendis, primò debent deduci. d. §. in alijs. quia illæ in nullo casu prohibentur. l. fundus. ff. famil. erciſc. Et quoniã per fructuum dissipationem posset reddi iudicium frustratorium; cum inanis sit actio, quam excludit inopia debitoris. c. Odoardus. de solut. & l. nam is. ff. de dolo. Et melius est ante tẽpus occurrere, quàm post causam vulneratam remedium quęrere. l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. non est necess. Ideo sicut ad puniendam contumaciam rei, ipse à fructuum perceptione remouetur, ita ad consulendum eius indemnitati, si intra annum venerit

respon-

responsurus, statuitur, vt quando apparet, quod per actorem fit talium fructuum dissipatio, illi apud tertium sequestrentur, etiam si actor fuerit prius missus in possessionem rei petitæ ex primo decreto: vt in tex. & infr. Clem. vnic. Vnde licet sequestratio regulariter sit prohibita. l. vnic. C. de prohibit. sequestr. nam est præsumptio pro possessore, vt sit manutenendus. c. ex litteris. de probat. & l. fin. C. de rei vendic. cum lite pendente non sit quis prohibendus vti possessione sua. cap. 1. vt lit. pend. insurgit tamen quandoque aliqua æquitas, quæ debet mouere iudicem ad sequestrationem faciendam; vt quia timetur de consumptione rei, & sic iudicium posset esse frustratorium, vt est in casu huius tex. vel oritur aliqua præsumptio contra possessorem, quod litiget causa differendi iudicium, vt interim capiat fructus. vt in Clem. vnic. infr. eod. vel sit alia æquitas, vel præsumptio, quæ habeat ad hoc mouere iudicem. l. imperatores. ff. de appellat. & not. Iason in l. si fideiussor. §. fin. ff. qui satisd. cog. Et licet contumax non audiatur appellans. c. sunt. 2. q. 6. auditur tamen alias, proponens per viam querelæ iniustum grauamen sibi à parte inflictum. glos. hic, quæ enumerat vndecim casus, in quibus, lite pendente, fit sequestrum, & alios quinque enumerat hic Abb. Et de materia sequestri, vide Decium cons. 75. & 125.

Cap. 3. Ab eo.

SI reus possessor appellat à sententia contra eum lata, licitè rei petitæ fructus sequestrantur, si dissipantur ab eo.

QVIA si sententia confirmabitur per iudicem ad quem, tenetur reus appellans restituere fructus perceptos cum ipsa re à tempore litis contestatæ. l. certum. C. de rei vendic. Et quoniam plus est aggrauata conditio rei possessoris propter præsumptionem sententiæ latæ contra eum, quàm esset in prima instantia, vbi nulla sententia lata fuit. c. quoties, il 2. 2. q. 6. Ideo licet, appellatione pendente, regulariter nihil sit innouandũ. l. vnic. ff. nil nou. appell. interp. & c. appellat. 2. q. 6. æquitas tamen suadet, vt in causa appellationis, siue reus possessor sit soluendo, sine non, ex quo dissipat fructus, illi apud tertium sequestrentur. vt in tex. & l. imperatores. ff. de appellat. In prima autem instantia etiam fit sequestrum, lite pendente, si apparet de dissipatione fructuum. supr. c. prox. sed illud est intelligendum, quando reus non est soluendo, ita quod in casu perditionis non posset soluere æstimationem, secus, si illam soluere posset, cum non sit adhuc aggrauata eius conditio per aliquam sententiam contra eum, ita, vt cum maiori cautela sit ad fructuum ipsorum custodiam procedendum. Abb. hic. & l. ab executore. C. quor. appell. non recip. Nunquid autem istud procedat si fructus actualiter dissipentur, an verò sufficiat timor dilapidationis? Dic, quod sufficit rationabilis timor illius. Bart. in d. l. imperatores. nam tantum operatur rationabilis timor alicuius periculi, sicut ipsum

periculum. Angel.in l.1. C.vnde vi; vbi dicit,quod rationabilis timor, ne quis percutiatur, ita operatur, quod possit timens percutere illum, à quo timet percuti,sicut si fuisset percussus.

In Clement. Cap.vnic. Ad compescendas.

SI super beneficio contra ipsius possessorem,qui triennio non possedit, in petitorio,vel possessorio, vna diffinitiua fertur in curia, etiam si nulla fore dicatur,ipsius beneficij sequestratio per loci ordinarium fieri debet.

QVIA in curia Romana cum multa deliberatione, & maturitate causæ terminantur. Specul. de appellat. §. non breuiter. Sed quoniam ibi causæ ducuntur, & peraguntur cum magnis expensis. Zabar. hic. ob id frequenter contingebat, quod possessor beneficij cum fructibus eiusdem litigans, plus debito causam prorogari faciebat, & aduersarium de bursa sua habentem expensas ministrare, ad exinanitionem deducebat. c. quia ea. 3. q.2. & metu expensarum actor induci poterat ad ius suum relinquendum contra,l.illud. ff.de petit.hæred. Et frequenter in fine causæ succumbens, vel eorum æstimationem restituere non poterat, fortè existens non soluendo.c.olim.il 2.extr.de restit.spol. & quia possessio ante triennium est debilis,& dicitur modici temporis. c.1. extra de præscript. & l.1. C.de fideicom. Et processus iudicis præsumitur iuste factus.c.quoniam.extr.de probat.& si contra eum relinqueretur in casu huius tex. vt posset opponi de nullitate sententiæ, quilibet de facto ad impediendam sequestrationem,opposuisset nullitatem illius. glos.hic. & pro se allegasset, quod sententia nulla non meretur nomen sententiæ habere. c.fin.de re iud.in 6.& l.4. ff.eod. Ideo ad compescendas litigantium malitias, statuitur, vt vna contra possessorem diffinitiua sententia super beneficio apud sedem Apostolicam dumtaxat in petitorio, vel possessorio promulgata, beneficium ipsum à possessore huiusmodi (dumtamen triennio pacificè antea ab eo possessum non fuerit) per loci ordinarium apud aliquam personam idoneam sequestretur, quæ plenam de ipso, & debitam curam gerens, id, quod de fructibus ipsius (debitis eiusdem supportatis oneribus) superesse contigerit,illi restituat,qui finalem in causa victoriam obtinebit. vt in tex. Relinquitur autem in hoc casu sequestratio facienda per ordinarium loci, & non per iudicem litis, quia ordinarius habet melius notas personas idoneas suæ iurisdictionis, per quas interim poterit ecclesiæ cura haberi, quàm habeat ipse iudex;tum quia vicinus semper existit, tum quia est ei specialiter commissa cura animarum suæ diœcesis. c.1. de off.ord.& c.præcipimus.11.q.1. aliàs regulare est,vt in casu concesso ad sequestrum, fiat sequestratio per iudicem litis, etiam si ab eo fit appella-

pellatum, dummodo appellatio non ſit à ſuperiore recepta, quia tunc eſſet ad ſuperiorem recurrendum. l.ab executore. C.quor. appell.non recipian. Sententia autem diffinitiua eſt illa,quæ principalem quæſtionem definit.Interlocutoria verò eſt, quæ inter principiũ,& finem cauſæ fertur ſuper ijs,quę incidunt,vel emergunt.Spec.de ſent.prolat.in prin. Sed licet hic non poſsit opponi exceptio nullitatis contra ſententiã;exceptio tamen,quæ prouenit ex defectu iuriſdictionis,& negat illam eſſe prolatã à competenti iudice, bene poteſt opponi.gl.hic. quia non poteſt dici ſententia illa,quę eſt lata à iudice nõ ſuo.c.forus.ext.de verb.ſign.

QVAM impediens,vel ſequeſtratos fructus occupans,excommunicatus eſt; & ſi eſt de litigantibus,cadit à iure ſuo.

QVIA dignum eſt, vt quos Dei timor à malo non reuocat,ſaltem ſeueritas coerceat diſciplinæ. c.cum in cunctis. extr.de elect.Et quoniam vbi vna pœna non ſufficit,altera eſt addenda.c.cum non ab homine.ext.de iud. Et vbi maius periculum vertitur,cautius eſt agendũ.c.vbi.de elect.in 6. Et quis puniẽdus eſt in eo,in quo peccauit. c.literas.extr.de temp.ord. Ideo licet quilibet occupans,vel impediens iſtos fructus, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrere ſtatuatur,à qua(niſi impedimento prius amoto,& occupatis per eum fructibus reſtitutis) nullatenus ſit abſoluendus; nihilominus ſi de litigantibus fuerit, (in quibus eſt maius periculum, quod hoc faciant propter maius proprium intereſſe) decernitur,vt etiam à iure,ſi quod in huiuſmodi beneficio,vel ad ipſum ei forſitan competebat,eo ipſo cadat. vt in tex. & arg.c.eccleſia.extr.vt lit.pend.nil.innou.

ET reſpicit pendentia.

QVIA licet leges,& cõſtitutiones regulariter futuris dent formam negotijs, nec præiudicent factis ante illas.c.2. extr.de conſt. Tamen quoniam vbi princeps ſpecifice extendit legem ad præſentia, vel prętcrita,etiã in illis habet locum.c.fin.d.tit. Ideo ex quo hic exprimitur, quod hęc conſtitutio ſit obſeruanda etiam circa negotia tunc per appellationem pendentia, in illis quoque fuit ſecundum ipſam iudicandum. vt in tex.& Clem.2.de iudic.

Liber Secundus. Titulus XVIII.

DE CONFESSIS.

In Decretal. Cap. 1. Cum monaſterium.

AD ſolum dictum confitentis crimen proprium, non eſt alteri infligenda pœna aliqua.



VIA qui confeſſus eſt crimen in iudicio, effectus eſt infamis. c. teſtimoniũ. de teſt. Et quoniam infami in alterius præiudiciũ regulariter non eſt credendum. c. infames. §. porro. 3. q. 7. Ideo ſecundũ iuris vtriuſq; ſtatuta de ſe confeſsi ſuper aliorũ conſcientijs interrogari non debent, & (crimine læſæ maieſtatis excepto) de reatu proprio confitentis periculoſa confeſsio non eſt aduerſus quẽlibet admittenda. vt in tex. & l. repeti. ff. de queſt. Præterea in criminalibus debẽt eſſe apertiſsimę probationes, & luce meridiana clariores. l. fin. C. de prob. vbi enim contra hominis ſalutem agitur, ſtrictius, & cautius eſt procedendũ. l. addictos. C. de app. Et quoniã dictũ vnius cenſetur dictũ nullius. c. licet. de teſt. Ideo vnius teſtimoniũ non ſufficit ad condẽnationem alterius. vt in tex & c. ſi teſtes. §. vnius. 4. q. 3. Pręterea ſi de ſe confeſſo crederetur in crimine cõtra alios, ſæpe diceret criminoſus alios eſſe ſibi ſocios, ſperans veniã propter flagitia adiuncti, vel pro cõmunione criminis conſortiũ perſonæ ſuperioris optans, aut inimici ſupplicio in ipſa ſupremorũ ſuorũ ſorte ſatiandus, aut eripi ſe poſſe cõfidens, aut ſtudio, aut priuilegio nominati. l. fin. C. de acc. Et quoniã fraudibus eſt obuiandũ. c. plerũq; de reſc. Ideo pręſertim in criminalibus teſtis debet eſſe vita innocẽs, & integer actu, nã ſi vita bona defuerit, fide carebit; non enim poteſt iuſtitia cũ ſcelerato homine habere commerciũ. vt in tex. & c. forus. de verb. ſign. In odiũ tamen aliquorũ criminum maxime enormiũ, in quibus per alios teſtes eſt difficile probationes habere, criminoſo de ſe confeſſo adhibetur fides ad faciendã præſumptionẽ contra ſocios, vt eſt in crimine lęſę maieſtatis. c. nemini. 15. q. 3. Item auditur confeſsio vnius latronis contra aliũ, & contra receptatorem. l. prouinciarũ. C. de fer. Item auditur falſarius contra alium ſuũ ſocium. l. 1. C. de falſ. mon. Item in crimine ſimonię. c. veniens, il 1. de teſt. Item in crimine coniurationis teſtificatur ſocius. c. fin. de teſtib. cog. nunquam tamen valet ſola confeſsio talium ad conuincendum ſocium. l. diu. ff. de cuſt. reor.

INFAMATO tamen eſt indicenda purgatio.

QVIA propter ſcandalum euitandũ, indicitur purgatio, vndecunq; procedat infamia. c. accedens. de purg. can. & c. inter. de exc. præl. difficile enim eſt probare, à quibus fama ſit orta, cum ab incerto auctore procedat. c. ſanctum. de conſecr. diſt. 4. Et quoniam in dubijs tutior via eſt eligenda. c. 2. infr. de reg. iur. Ideo quamuis infamia orta à criminoſis, & maledicis non eſſet attendenda. Bart. in l. de minore. §. tormenta. ff. de quæſt. ſi tamen ſit talis infamia, quæ per iſtorũ dictũ augeatur, & generet ſcandalum, vt illud euitetur, etiam in tali caſu eſt canonica purgatio iniungẽda. vt in tex. & gl. in c. qualiter, il 2. ver. à maleuolis. de acc. ſcandalum enim eſt ſemper euitandum, quando poteſt ſine

pec-

peccato.gloſ.in c.ad aures. de temp.ordin. & cap.2.de cler.ægrot. & S. Thom.2.2.q.43.art.2.

Cap. 2. Cum ſuper.

SI de crimine contingente cauſam principalem, conſtat contra aliquem per eius confeſſionem, punitur pœna ordinaria, etiam ſi directè contra eum non agatur.

QVIA ratione contingentiæ videtur in iudicium deductum crimen contingens, ſicut id, de quo principaliter agitur. c.1. de except. & l.2. §. ſi publico. ff. de adulter. Et quoniam nulla eſt maior probatio, quàm propria confeſſio. c. nos.2.q.1. & l.inde. §.fin.ff. ad leg. aquil. Et nullæ ſunt partes iudicis in confitentem, niſi in condemnando.l.1.ff.de confeſſ. Ideo quando de delicto cauſam contingente, conſtat per confeſſionem propriam alicuius, poteſt imponi pœna delicti ordinaria, licet directè non fuerit actum contra illum. vt in tex. & c.ad petitionem. de accuſat. Si verò crimen cauſam non contingat, non poteſt iudex in illa inſtantia per accuſationem actoris, procedere contra reum taliter confeſſum. c.licet Hely. de ſimon. quia iudex, procedendo ad petitionem actoris, ad nihil poteſt reum condemnare vltra petitionem libelli. l.fin. C.de fideicom. libert. Sed quoniam crimina, vndecunque claruerint, ſunt punienda. c.ecce. 24. q.3. Ideo poterit iudex poſtea ex officio inchoare nouam inſtantiam, & conficere nouum proceſſum, procedendo contra illum per viam inquiſitionis, & adducere illam confeſſionem ad probationem delicti.c.qualiter il 2. de accuſat. & Innoc. in c.inquiſitionem. de elect.in 6.

Cap. 3. Ex parte.

CONFESSIO facta in iure per œconomum eccleſiæ, nocet ipſi eccleſiæ.

QVIA œconomus interuenit in iudicio, vt procurator eccleſiæ.c. imperatorum. de iuram.cal. Et quoniam confeſſio procuratoris, qui non tranſgreditur fines mandati, præiudicat domino. cap. ſuborta. de re iudic. Ideo ſimiliter nocet eccleſiæ confeſſio œconomi, qui de conſenſu prælati, & collegij confiteri cenſetur. vt in tex. & c.1. & ibi gloſ.fin.vt lit.non cont.

POTEST tamen reuocari, ſi ante finitum negotium doceatur per errorem facti emanaſſe.

QVIA qui in facto errat, non cenſetur fateri. l.2.ff.de confeſſ. nam talis non videtur conſentire. l. nihil conſenſui. ff. de reg.iur. Et quoniam propria confeſſio ante finitum negotium poteſt reuocari, ſi quis probet rem aliter ſe habere, quàm ipſe fuerit confeſſus,

vel ſi probet, ſe per errorem taliter fuiſſe confeſſum. l. error. ff. de iur. & fact.ignor. & Bart.in d.l.2. Ideo ſimiliter,& multo magis,debet poſſe reuocari confeſſio œconomi,qui non confitetur de facto proprio,ſed de alieno,quod magis præſumitur ignorari.vt in tex.& l.certum.§.ſed. & ibi gloſ. ff.de confeſſ. Falſa enim confeſſio non immutat veritatem; ideo probata veritate,non præiudicat confitenti.l.cum falſa.ff.de iur.& fact.ignor. Poſt finitum verò negotium,non admittitur talis exceptio, ne per huiuſmodi velamentum,cauſa deciſa inſtauretur, & ſic lites fierent immortales.d.l.error.& l.de ætate.§.fin.ff.de interrog.act. Et quæ requirantur ad hoc, vt confeſſio alicui præiudicet,includuntur ſub his verſibus,hic per gloſ.adductis.

Maior, ſponte, ſciens,contra ſe, vbi ius ſit,& hoſtis,
Certum,liſq. fauor,ius nec natura repugnet.

Et ad hæc vide latius Iulium Clarum in pract.criminil.q.55.§.fin.

In Sexto. Cap.1. Statuimus.

SVPER facto negatiuo per partem improbabili, ſi iudici videbitur,eſt admittenda poſitio.

VIA poſitiones fuerunt inuentæ, vt ponens releuetur ab onere probandi per confeſſionem aduerſarij. l.eum, qui. ff.de iureiur. cum pars aduerſa teneatur perſonaliter reſpondere ſuper ipſis poſitionibus per verbum,credit,vel non credit,mediante ſuo iuramento. infr.c.prox. Et quoniam ſicut iudex non debet admittere poſitiones captioſas,& impertinentes,ita debet fauere poſitionibus probabilibus, & facientibus ad cauſam.c.præſentium.§.præterea.infr.tit.prox. cum ad eum pertineat inquirere veritatem omnibus modis, quibus poteſt.c. iudicantem.30.q.5.ne ob probationis defectum,veritas facti valeat deperire.c.dilecto. extr.de teſtib. vnde non eſt arctanda copia probandi. l.fin. C. de probat. Et quia negatiua non poteſt per teſtes directè probari.c.bonæ,il 1.extr.de elect.& l.actor. C.de probat. ſed per confeſſionem aduerſarij bene probari poteſt.c.dilectus.extr.de temp.ordin.& c. fin.de ætat.& qual.ord. Ideo cum ſuper facto negatiuo non ſit directè, niſi vna ſpecies probationis, ſcilicet confeſſio aduerſarij, æquitas ſuadet, vt præſertim in tali caſu, per iudicem magis ſuccurratur ponenti, ad cogendum aduerſarium,vt ſuper tali poſitione reſpondeat.vt in tex. & l. vbicunque. ff. de interrog.act. Sed circa iſtam matetiam eſt ſciendum; quod poſitiones debent oriri, & formari ex tenore libelli, & non aliter.Alex.conſ.166. vol.6. & Specul.tit.de poſition. Et quod differunt poſitiones, & interrogationes, quia poſitiones aſſertiuè fiunt,illæ verò

inter-

interrogatiuè; poſitiones a parte, interrogationes à iudice. gl.hic, quæ circa poſitionum declarationem latè ſe extendit.

Cap. 2. Si poſt.

SI reus iuſſus, poſitionibus reſpondere recuſat, vel ſi contumaciter recedit, habebuntur pro confeſſatis.

QVIA tam ille, qui recuſat obedire iuſſis ſuperioris, quam ille, qui citatus contumaciter ſe abſentat, ipſum ſuperiorem contemnere videtur. c.2.extr. de dol. & cont. & c.rurſus. 11.q.3. Et quoniam ſuperior debet inobedientiam omnem vlciſci, ne nil obedientia prodeſſe videretur humilibus, ſi contemptus contumacibus non obeſſet. c.1. extr. de poſtul. præl. & quia quis eſt puniendus in eo, in quo peccauit. c. litteras. extr. de temp. ord. Ideo in pœnam iſtius inobedientis, ius interpretatur, vt eius taciturnitas, & contumacia habeatur pro conſenſu, & quod in eius præiudicium intelligatur, ſe eſſe confeſſum illa, ad quæ tunc reſpondere tenebatur. vt in tex. & l. de ætate. §. qui tacuit. ff. de interrog. act.

SECVS, ſi priuſquam ſic iuſſus eſſet, contumax fuerat, nam tunc procedetur contra eum, tanquam contra contumacem.

QVIA qualificata cauſa qualificatum producit effectum. l. generaliter. C. de epiſc. & cler. Et quoniam ante iuſſum ſibi factum de reſpondendo poſitionibus, non poteſt dici, quod ſpecificè circa illas talis fuerit inobediens, ſed bene circa alia, ad quę citabatur. gloſ. penul. hic. & pœna debet eſſe commenſurabilis delicto. S. Thom. par. 3. q. 52. art. 1. Ideo ſi antequam reſpondere ſic iuſſus fuerit, reum contumaciter abeſſe contingat, tunc pro confeſſo non debet haberi, ſed eſt alias contra eum, tanquam contra contumacem (pro vt ratio dictauerit) procedendum. vt in tex. & gloſ. fin. hic. Et ſic compelletur reſpondere per excommunicationem, miſſionem in poſſeſſionem, captionem pignorum, mulctam, & his ſimilia. c. tuæ. & c. quoniam. extr. vt lit. non cont. & l. vnic. ff. ſi quis ius dic. non obtemp.

Liber Secundus. Titulus XIX.

DE PROBATIONIBVS.

In Decretal. Cap. 1. Ex epiſtolæ.

REVS actori ſua propria inſtrumenta edere non tenetur.



VIA actore non probante, qui conuenitur, & si nihil ipse præstat, obtinebit. l. qui accusare. C. de edend. Et quoniam neque iuris, neque æquitatis ratio permittit, vt quis contra se, & proprium commodum, instruat aduersarium. l. fin. C. d. tit. Ideo nulli dicendum est ea, quæ contra te sunt; apud temetipsum enim debes documenta requirere, in mediumque proferre. vt in tex. & l. nimis graue. C. de testib. Si tamen sit instrumentum, quo pars aduersa sit principaliter vsura, potest tam actor, quàm reus petere ab altero, sibi illud exhiberi; non vt instruat aduersarium ad probationem pro se præstandam, sed vt videatur, an sit talis charta, cui iudex debeat fidem habere, vel non. l. 1. §. fin. ff. de edend. Et sic, licet actor non possit petere instrumentum à reo ad probandã suam intentionem, potest tamen illud petere ad suam replicationem adiuuandam. l. fin. & ibi glos. C. de edend. Reus verò potest petere ab actore instrumentum, etiam ad suam exceptionem fundandam. d. l. fin. nam reus ad libitum actoris conuenitur, & non potest ita venire paratus, sicut actor, qui appensatè venit. glos. in d. l. fin. Item rei sunt fauorabiliores, cum tractent de se defendendo, actores verò de impugnando, & acquirendo. l. fauorabiliores. ff. de reg. iur Item instrumenta sunt regulariter penes actorem, qui habet pinguius ius. c. contingit. de fid. instr. ideo reo in hoc facilius subuenitur. l. non est. C. de edend. Instrumentum verò commune vtrique, reus quoque edere tenetur, etiam ad fundandam intentionem actoris. c. G. perpetuus. de fid instr. quia tunc edit illud, non vt suum proprium, sed vt instrumentum ipsius actoris. l. prætor ait, & ibi glos. ff. de edend. & l. procurator. C. eod. Sed quæritur, si actor non potest petere à reo instrumentum ad suam intentionem fundandam, vt dictum est superius, cur potest ab eo ad id petere confessionem, faciendo positiones, quibus reus tenetur per verbum, credit, vel non credit, respondere? c. 2. de confess. in 6. Respond. quod respectu confessionis partis, non potuit actor venire paratus, cum illa non sit in sua potestate; sed respectu instrumenti, sic; cum potuerit à principio sibi præcauere; & ideo est sibi imputandum, si non fuit diligens. Io. Andr. in c. 1. de confess. in 6. Vigilantibus enim, non dormientibus iura subueniunt. c. vigilanti. de præscript. Fiscus tamen est priuilegiatus, vt, licet ipse sit actor, teneatur tamen reus edere propria instrumenta ad suam intentionem fundandam. l. ne quisquam. ff. de edend. & hoc in ciuili; nam in criminali non tenetur priuata persona edere contra se, etiam fisco; quia valde durum esset in criminali exigere probationes de domo rei. Bartol. in l. 2. §. diuus. ff. de iure fisc. Et de editione à fisco, vel contra eum fienda, distingue, vt not. in d. l. 2. & l. in fraudem. §. neque. d. tit.

Cap.

Cap. 2. Sicut.

ACTOR, qui plenè probauit, non debet compelli iurare.

QVIA actore plenè probante, venit reus condemnandus. l. qui accusare. C.de edend. Et quoniam superfluis remedijs, maxime in alterius præiudicium, non est vtendum.l.hæc stipulatio. §.diuus.ff.vt legat.nom.cau.Deus enim, & natura nihil agunt frustra. Arist. 8. phisic. tex. 15. & ars in quantum potest imitatur naturam. Arist.2. phisic. tex. 78. Ideo cum aliquis intentionem suam fundauerit instrumentis, aut testibus, non est compellendus iurare,ita quod si iuramentum subire noluerit, fides probationibus non adhibeatur;cum tunc demum ad huiusmodi suffragium sit recurrendum,cum aliæ legitimæ probationes deesse noscuntur. vt in tex. & c. etsi Christus. de iureiur. Et similiter non est reus compellendus iurare,si actor nihil probauit.c.fin. de iureiur. quia sicut actore plene probante, est reus condemnandus, ita eo prorsus deficiente, venit absoluendus d.l.qui accusare. Sed actore semiplene probante, seu præsumptionem habente, est locus delationi iuramenti. d.c.fin. Quando autem dicatur esse semiplenè probatum, vide Alex.conf.32.lib.1.

Cap. 3. Ex literis.

IN communi iudicio probant actor, & reus.

QVIA commune iudicium tale est, vt in eo vtraque persona habeat vices duorum, videlicet, actoris, & rei; nam quilibet agit,& conuenitur. l.iudicium,la 2. ff.fin.regund. Et quoniam actori incumbit onus probandi.l.qui accusare. C.de edend.Ideo cum ille, qui est reus, gerat etiam personam actoris,hinc inde testes possunt produci ad cognitionem iudicis instruendam; quibus examinatis, iudex,quos præcellere intellexerit, ad fidem sibi faciendam admittat. vt in tex. & l. inter.§.qui.ff.famil.erciſc. vnde in hoc iudicio quilibet debet probare de possessione, & iure suo; & sic differt à singularibus, & simplicibus iudicijs, in quibus reus non tenetur aliquid probare,nisi velit.c.1.de ord. cogn.& l.circa.ff.de probat.

ET si pariter probant, reus absoluitur.

QVIA promptiora sunt iura ad absoluendum, quàm ad condemnandum.vt in tex. nam melius est propter misericordiam reddere rationem, quàm propter crudelitatem; vbi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax; si Deus benignus, vt quid sacerdos eius austerus vult apparere? c. alligant. 26. q.7. Et quoniam vnusquisque præsumitur bonus, nisi probetur malus. c. vnic. de scrut. in ord. fac. Ideo si ambarum partium testes sint æque idonei, possessoris testes præferuntur. vt in tex.& l. Arrianus.ff.de act.& oblig.

NISI

NISI fauorabilem cauſam foueat actor.

QVIA fauor ſpecialis præfertur generali. c. 1. de reſcript. Et quoniam ſunt aliquæ cauſæ, quæ propter earum excellentiam, & commune bonum, quod ſequitur ex eis, eſt deſiderandum, vt habeant effectum, puta, cauſa matrimonij, libertatis, dotis, & teſtamenti. c. fin. de re iudic. Ideo in iſtis cauſis ſpecialiter priuilegiatis receditur à generali regula, vt reus abſoluatur, ſi pariter probat cum actore; & ſtatuitur, vt ſententia pro actore feratur, ſi in eis habeat probationes æquales cum reo. vt in tex. & l. inter pares. ff. de re iudic.

Cap. 4. Propoſuiſti.

NON creditur marito aſſerenti, etiam cum iuramento, vxorem ſe cognouiſſe, ſi vxor per matronas atteſtantes per ipſius corporis aſpectum, probat contrarium.

QVIA probatio integra præfertur probationi minus integræ. c. fin. de iureiur. & l. admonendi. ff. eod. Et quoniam teſtimonium, quod fertur per matronas in hoc inſtructas, quæ deponunt aliquam eſſe virginem, quia eam viderunt, & inſpexerunt in locis, vbi deprehenditur virginitas, & inuenerunt illam eſſe talem, eſt regulariter plena probatio. infr. c. cauſam. & l. 1. ff. de ventr. inſpic. (licet oculus, & manus obſtetricum quandoque fallantur. c. nec aliqua. 27. q. 1.) iuramentum verò vnius, præſertim habentis in cauſa intereſſe, non eſt integra probatio. c. licet vniuerſis. de teſtib. & l. iuſiurandi. C. eod. Ideo iuramento puellæ, & teſtimonio illarum ſeptem mulierum fides eſt potius adhibenda, quàm iuramento viri. vt in tex. & c. continebatur, & ibi gloſ. de deſp. impub.

Cap. 5. Tertio loco.

SINGVLARES de vniuerſitate poſſunt ad commodum vniuerſitatis reprobare inſtrumentum falsò confectum nomine vniuerſitatis.

QVIA propter defectum teſtium, ſurgentem ex natura rei, admittuntur etiam teſtes non omnino integri. c. ſi teſtes. 4. q. 3. & l. conſenſu. §. ſuper. C. de repud. Et quoniam ea, quæ fiunt in collegio, ſiue vniuerſitate, non poſſunt probari per extrinſecos, qui ad illam non interueniunt. c. cum dilectus, & ibi gloſ. de elect. & l. 1. ff. quod cuiuſque vniu. nom. Ideo licet illi de collegio ſint aliquantum ſuſpecti propter intereſſe, quod habent in cauſa collegij; tamen attento, quod non agitur principaliter de cauſa ſingulorum, ſed de cauſa vniuerſitatis, quæ differt à cauſa ſingulorum. c. fin. de his, quæ fi. à ma. part. cap. & regulariter in iure attenditur id, quod principaliter agitur, non quod in conſequentiam venit. l. 1. ff. de auctor. tut. & quod alij teſtes, qui non

habeant

habeant intereſſe, in tali cauſa haberi non poſſunt; in aliorum teſtium defectum ipſi de vniuerſitate ad teſtificandum in fauorem ipſius admittuntur. vt in tex. & c. veniens, il 2. & ibi gloſ. de teſtib. Et quia falſitas inſtrumenti poteſt probari per teſtes. cap. cum Ioannes. de fid. inſtrum. (debet tamen iudex conſiderare præſumptiones, & qualitates vtriuſque partis ad pronunciandum, quodnam ſit præferendum, nam quædam ſunt, quæ melius probantur per teſtes, & quædam melius per inſtrumenta. gloſ. hic. & l. 3. §. hoc ergo. ff. de teſtib.) ideo tales teſtes contra illud inſtrumentum teſtificari poſſunt, vt in tex. & Authent. de inſtrum. caut. & fid. §. ſi vero tale. coll. 6.

Cap. 6. Iurauit.

VBI agitur de matrimonio contrahendo, probato impedimento, & publicatis atteſtationibus, alij teſtes ſuper defectum impedimenti, admittendi non ſunt.

QVIA ſi vir, & mulier contraherent in gradu prohibito, committerent peccatum. c. non debet. de conſang. & affinit. Et quoniam ſi poſt didicita teſtificata poſſet ſuper eiſdem articulis, vel directè contrarijs, fieri noua teſtium productio, ſæpe committeretur illorum ſubornatio. Clem. 2. de teſtib. & Authent. eod. §. quia verò. coll. 7. Ideo, licet ſuper matrimonio iam contracto admittantur teſtes, etiam publicatis atteſtationibus, vt euitetur peccatum, quod in illo eſſet, ſi validum diſſolueretur, vel ſi nullum confirmaretur. c. cum in tua, & c. ſeries. de teſtib. in matrimonio tamen contrahendo, in quo eſt probatum impedimentum, & à quo poteſt recedi ſine peccato, eſt obſeruanda iuris regula generalis, vt, poſt publicatas atteſtationes, non fiat ſuper eo teſtium noua productio. vt in tex. & c. fraternitatis. de teſtib. Et vide ad hæc Concil. Trid ſeſſ. 24. cap. 2. & 5. de reform. matr.

Cap. 7. Poſt ceſſionem.

SI per literas ordinarij probatur quis excommunicatus, à procuratione repellitur.

QVIA literis ordinarij tanta fides adhibetur, vt eis ſit ſtandum, donec contrarium probetur. vt in tex. & c. 1. de treug. & pac. Et quoniam excommunicatio maior non ſolum ſeparat à perceptione ſacramentorum, ſicut facit minor, ſed etiam à communione fidelium. c. ſi quem. de ſent. excom. vnde excommunicatus maiori non eſt capax interueniendi in iudicio pro alio, nec etiam pro ſe, niſi in ſui præiudicium, vt reus. c. intelleximus. de iudic. & c. 1. de except. in 6. Ideo vbi per literas ordinarij conſtat, quod aliquis taliter excommunicatus, fuerit conſtitutus procurator, vt perſona illegitima, & incapax talis officij, eſt à iudicio reijciendus. vt in tex. & c. decernimus. de ſent. excom. in 6.

Cap.

Cap. 8. In præsentia.

SI rogatus restituere totam hæreditatem, eo sine liberis decedente, intret monasterium, euanescit fideicommissum.

QVIA summa est ratio, quæ pro religione facit. l. sunt. ff. de relig. & sumpt. & illam ingredi volentibus est fauendum. c. licet. de regular. cum ibi in vita contemplatiua, quæ est optima pars, quam elegit Maria, Deo inseruiamus. c. nisi. de renunt. Et quoniam si illi, qui ingrediuntur monasterium, per huiusmodi conditionem, si decesserit sine liberis, &c. tenerentur ad hæreditatis restitutionem, ab ingressu religionis homines sæpe retraherentur, & illa postposita, potius quærerent habere filios ex matrimonio, vt ab hæreditatis restitutione liberarentur. Bart. in Authent. ingressi. C. de sacr. san. eccl. Ideo ne per hoc religioni præiudicetur, in eius fauorem statuitur, vt talis conditio in hoc casu pro non apposita habeatur, & ille censeatur absque fideicommisso hæres liberè institutus. vt in tex. & Authent. de sanctiss. episc. §. sed & hoc præsenti. coll. 9.

ET hæreditas applicatur monasterio.

QVIA ingredientes monasteria, se, suaq. dedicant Deo. d. Authent. ingressi. Et quoniam per huiusmodi dedicationem, & professionem ipse monachus mortuus est mundo, & amittit dominium bonorum suorum, & si de ipsis ante ingressum, seu professionem non disposuit, illud transit in monasterium. c. quia. 19. q. 3. & Authen. de monach. §. illud quoque. coll. 1. Ideo monasterium debet habere bona, quæ habebat monachus, quando est professus. vt in tex. & Authen. si qua mulier. C. de sacr. san. eccl.

NEC ad inualidandum ingressum sufficit probare minorem ætatẽ tempore ingressus, si ex aduerso geminatus probetur ingressus.

QVIA qui probat, debet clare probare, alias succumbit. c. inter. de fid. instrum. Et quoniam qui probat minorem ætatem in primo ingressu, non per hoc probat illam in secundo. vt in tex. nam non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse. l. neque. C. vnde legit. Et qui fundat se super ætate maiori, vel minori, habet probare, quod est suæ intentionis causa. l. de ætate. ff. de minor. & glos. in c. presbyter. dist. 78. nisi iudex ex aspectu transfundat onus probandi in alium. l. minor 25. annis ex aspectu. ff. de minor. Ideo isti, qui fundant exceptionem super minori ætate, quam non probant, succumbunt. vt in tex. & c. 2. de transl. episc. Sed dices; quare monasterium obtinuit, cum non probauerit maiorem ætatem, super qua se fundabat? Respond. quod non se fundabat principaliter super maiori ætate; sed super ingressu, & oblatione, quam probauerat. vt in tex. ætas autem allegabatur implicitè

ad

ad actum, quæ præsumitur probato actu, sicut & aliæ solemnitates intrinsecæ præsumuntur interuenisse. Innoc.in c.innotuit. de eo, qui ord. furt.susc.& Bart.in l.sciendum.ff.de verb.oblig.

Cap. 9. Licet.

SI actor, & reus in interdicto retinendæ possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat.

QVIA duo in simul eandem rem, & eodem modo in solidum possidere non possunt. vt in tex. contra naturam quippe est, vt cum aliquid ego teneam, tu quoque id tenere videaris; non enim magis eadem possessio apud duos esse potest, quàm vt tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.l.possideri. §.ex contrario. ff. de acquir.possess. Et quoniam qui semel probatus est possessor, semper præsumitur possidere, nisi contrarium probetur.c.cum ad sedem, & c.fin. de restit. spol. Ideo probatio anterioris possessionis, quæ postea per aliam aduersarij probationem non inualidatur, facit præsumere primum esse verum, & legitimum possessorem; & alium esse inuasorem, & violentum detentorem. vt in tex.& l.fin. C.vnde vi.

TITVLO maximè iustificatam.

QVIA qui ostendit titulum suæ possessionis, patet, quod nec vi, nec clam, nec precario possidet.l.1.ff.vti possid. Et quoniam qui potiora iura habet, obtinet in hoc interdicto. Instit. de interdict.§.retinendæ. Ideo licet in interdicto, vti possidetis, non sit necesse probare titulum. 2.q.5.§.1. est tamen titulus multum vtilis, quia, data paritate probationum, obtinet is, qui meliorem titulum probat; vnde testes sui præferuntur super possessione, tanquam deponentes verisimiliora, ex quo habet titulum concurrentem cum dictis eorum.vt in tex. & Bart.in l.Celsus.ff.de vsucap.

VEL meliores probationes respectu possessionis adduxit.

QVIA iudex debet sententiare secundum allegata, & probata. l. illicitas. ff. de offic. præsid. Et quoniam in hoc interdicto non est necesse probare titulum. d.§.retinendæ. Et validiores probationes sunt minus validis præferendæ.c.fin.de iureiur. Ideo si alter se possidere probauit per meliores testes, vel instrumenta, ipse solus obtinebit, & pro eo sententia pronuntiabitur. vt in tex. & c. sæpe. de restit. spol. Si verò probationes per omnia sunt æquales, fertur sententia contra eum, qui in iudicio prouocauit, & absoluetur prouocatus, qui tenet locum rei. sup.c.ex literis.

Cap. 10. Per tuas.

SI qui nominent aliquem filium, & ita communiter reputatur, non creditur poſtea alteri eorum iuranti contrarium.

QVIA nimis indignum eſt, vt quod ſua quiſque voce dilucidè proteſtatus eſt, in eundem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare. l.generaliter. C.de non num.pec.Et quoniam per nominationem parentum, & communem aliorum, præſertim vicinorum, reputationem, probatur filiatio. c.Michael,& ibi gloſ. de fil.presb. & l.ſi vicinis.C.de nupt. Illa namque probatur præſumptiuè, nam plenè, ſaltem ex parte patris, probari non poteſt. l. Lucius. ff. de condit. & demonſtr. mater autem certa eſt. l.quia. ff.de in ius voc. Et ſicut ad præſumendum matrimonium non ſunt neceſſaria inſtrumenta nuptiarum, ita, & multo magis, ad probationem filiationis non eſt neceſſarium inſtrumentum natiuitatis, ſed ſufficit,quod quis probetur natus ex ea, cum qua dicitur eſſe legitimum matrimoniũ, & in domo,vicinis ſcientibus. d. l.ſi vicinis. Ideo ex quo talis eſt probatus filius eo modo, quo ſufficit probare, à tali probatione poſtea per aſſertionem alterius parentum, licet iuratam, recedere non licet. vt in tex.& l.filium. ff.de his, qui ſunt ſui, vel ali.iur. aliàs enim ſequeretur abſurdum, quòd parentes poſſent ad eorum beneplacitum filios proprios ab eorum cura, & ſucceſſione repellere, negando filiationem proprio iuramento. cap. tranſmiſſæ. qui fil. ſint leg.& l.fin. ff.de probat. cum potius filiationi ſit fauendum, vt in dubio, quod filio commodius, & honorabilius eſt, attendatur. l. miles. §.defuncto.ff.de adulter.

Cap. 11. Quoniam.

IVDEX debet habere notarium, vel duos viros idoneos, qui ſcribant acta iudicij.

QVIA contra falſam aſſertionem iniqui iudicis, innocens litigator quandoque non poterat veram negationem probare; cum negantis factum per rerum naturam nulla ſit directa probatio. vt in tex.& c.ſuper hoc. de renunt. Et quoniam iniuriæ inde naſci non debent, vnde iura naſcuntur. l. meminerint. C. vnde vi. Et integritas præſidentium eſt ſalus ſubditorum. c.miramur. diſt.61. Ideo ne falſitas veritati præiudicet,aut iniquitas præualeat æquitati, ſtatuitur, vt tam in ordinario iudicio, quàm in extraordinario, iudex ſemper adhibeat, aut publicam (ſi poteſt habere) perſonam, aut duos viros idoneos, qui fideliter vniuerſa iudicij acta conſcribant, videlicet, citationes, dilationes, recuſationes, exceptiones, petitiones, reſponſiones, interrogationes, teſtium depoſitiones, inſtrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, concluſiones, & cætera,quæ occurrerint, competenti ordine conſcribenda, loca deſignando,

do, tempora, & perſonas ; Et omnia ſic conſcripta partibus tribuantur, ita quod originalia penès ſcriptores remaneant, vt ſi ſuper proceſſu iudicis fuerit ſuborta contentio, per hoc poſſit veritas declarari ; quatenus, hoc adhibito moderamine, ſic honeſtis, & diſcretis deferatur iudicibus, quod per improuidos, & iniquos, innocentium iuſtitia non lædatur. vt in tex.& c.vt debitus. de appellat. Et hæc intellige, niſi ſit modica cauſa, nam tunc nulla ſcriptura requiritur, nec reſpectu ſententiæ, nec reſpectu proceſſus, ſed creditur ſimplici informationi iudicis. Authent. niſi breuiores. C. de ſent.ex breu. recit. & ibi Bart. & Auth.vt iud.ſine quoq. ſuffr.§.neceſſitatem.coll.2. nam ſi in iſtis modicis creditur relationi nuncij.l.ea quidem. C.de accuſat.& not.in c.cum parati. de appellat. fortius eſt credendum aſſertioni iudicis. c. ſi quis cum clerico, & ibi gloſ.11.q.1.& gloſ.in c.1.de lib. obl. Et idem dic in criminibus leuibus. l. leuia. ff. de accuſat. Quæ autem dicatur cauſa leuis ; dic, eſſe hoc arbitrarium reſpectu qualitatis perſonarum,& cauſæ. vt not. in d.Auth. niſi. & gloſ.in c.fin.de re iud.in 6.

ALIAS, ſi quid difficultatis emerſerit, per ſuperiorem punietur.

QVIA per timorem pœnæ eſt prouidendum, ne iudex inique procedendo, poſſit partibus obeſſe.c.ſacro. de ſent. excom. & l. ſancimus.C.de iudic. Sed quoniam conſtitutio, quando continet aliquid non propter ſe principaliter, ſed ad finem alicuius mali euitandi, tranſgreſſores non illaqueat ad pœnam, ſi finis, ad quem principaliter tendit conſtitutio, non violetur; Et idem dic reſpectu peccati mortalis, dummodo conſtitutio non contemnatur. Abb.hic. n.6. & Archid. in c.vtinam. diſt.76. Ideo (cum acta iudicij hic mandentur deſcribi, ne innocens lædatur) ſi conſtitutio iſta non ſeruatur, non punitur iudex, ſi nulla difficultas ex omiſſione conſtitutionis emergat; quaſi tunc ceſſet finis huius conſtitutionis; ſed bene punitur, ſi illa emerſerit. vt in tex.& not.Innoc.in c.quia plerique.de immunit.eccl.

NEC creditur ei ſuper proceſſu, niſi in quantum per acta, vel aliàs per legitima documenta conſtabit.

QVIA ſolemnitates in aliquo actu neceſſariæ, non præſumuntur interueniſſe, vbi ius dicit formam eſſe probandam, vel præcipit interuenire ſcripturam, niſi probentur. Innoc. in c.innotuit. de eo, qui furt.ord.ſuſcep. Et quoniam maior præſumptio debiliorem tollit. infr.e. cauſam. Ideo licet regulariter, propter officium, & auctoritatem iudicis, præſumatur, quod iudex proceſſerit iuſtè, donec probetur contrarium. c. in præſentia. de renunt. ſi tamen non appareat, eum adhibuiſſe perſonas hic requiſitas ad ſcribendum acta iudicij, pro ipſius proceſſu non eſt præſumendum, niſi quatenus in cauſa legitimis conſtiterit documentis. vt in tex. & gloſ. fin. hic. Fruſtra enim legis

implorat

implorat auxilium, qui committit in legem. c.bonæ, il 1. de elect. & l. auxilium. ff.de minor.

Cap. 12. Ad noſtram.

SI probari poteſt reum deliquiſſe, eius probatio, quod non deliquerit, non eſt admittenda.

QVIA in iudicijs eſt prouidendum, vt veritas facti habeatur. c.ſi teſtes. 4. q. 3. Et quoniam veritas melius probatur per affirmatiuam, quàm per negatiuam; cum negantis factum, per rerum naturam nulla ſit directa probatio. ſup.c.prox. Ideo quamdiù poteſt ex aduerſo probari affirmatiua, non debet quis admitti ad probandam negatiuam. vt in tex. & c.accedens.de accuſat. Vnde ei, qui dicit, incumbit probatio, non ei, qui negat. l.2 ff.de probat. Tamen ſi poſtea, probato crimine, vellet reus probare negatiuam indirectè, audiretur.c.ex tenore, & c.ſeries. de teſtib. Sed contra probationem teſtium, non admittitur eius purgatio. gloſ. hìc. Et ſic diſtingue, quod aut, apparente probatione ſuper affirmatiua, reus vult negatiuā probare per ſuum iuramentum, & aliorum compurgatorum iurantium ſolùm de credulitate iuxta formam. c.quoties. §.porrò. de purg.can. & non debet admitti. vt in tex. quia iſta non eſt ſufficiens probatio, vbi poteſt conſtare de veritate per legitimas probationes. d c. accedens. & de ſimon. c. de hoc. aut vult probare negatiuam indirectè per teſtes deponentes non de credulitate, ſed de veritate, & tunc debet admitti. d.c.ex tenore. & c.ſeries. & gloſ. in c.clerici. diſt. 81. & in hoc caſu non loquitur hic tex. Abb. hìc. quandoque, & tertio non apparent legitimæ probationes ſuper affirmatiua, ſed contra reum eſt vehemens ſuſpicio, vel infamia, ſeu graue ſcandalum, & tunc admittitur, & etiam exigitur purgatio per iuramentum compurgandi, & aliorum compurgatorum, iuxta formam d. §. porrò, & c. inter. eod. tit. debent tamen compurgatores eſſe honeſti. c. conſtitutus. d. tit. de purg. can. & c. presbyter, & ibi gl. 2. q. 5.

Cap. 13. Cum caulam.

FINES diœceſum probantur per libros antiquos, adminicula, teſtes, & famam.

QVIA in factis antiquis, in quibus agitur de modico præiudicio, ſufficiunt probationes non plenæ; & ſi ſint plures, quæ per ſe ſeparatim non prodeſſent, ſimul vnita iuuant. gloſ. in c. ſolemnitates, il 1. de conſecr. diſt. 1. & Innoc. in rubrica, de conſecr. eccl. vel altar. Et quoniam eſt modicum præiudicium, an vnus Epiſcopus, vel alter habeat ſub ſua cura aliquem locum. c. cum apoſtolica. de his, quæ ſi. à præl. Ideo in talibus eſt procedendum ſecundum diuiſiones, quæ per libros antiquos, vel alio modo melius probantur per teſtes, & famam, & per alia quæcunque adminicula. vt in tex. & gloſ. in c. ſanè,

il 2.

il 2.24.q.2. licet aliàs in cauſis magni præiudicij, non quilibet liber antiquus ad probationem faciendam ſit admittendus. c. inter. de fid. inſtr. nec ſcripturæ ſculptæ in aliqua columna, vel lapide, credatur. l. monumentorum. C. de relig. & ſumpt. fun. quamuis adminiculentur ſecundum qualitatem loci, vbi reperiuntur, & ſecundum quantitatem præiudicij, de quo agitur. d. c. ſanè. & ſimiliter eſt dicendum de teſte de auditu, & de fama; cum aliàs per ſe ſufficienter non probent. c. tam literis. de teſtib. Et in quantum dictum eſt, quod diuerſæ ſpecies probationis, quæ per ſe non ſufficiunt, coniunguntur, & immiſcentur ad faciendam plenam probationem; Dic in cauſis magni præiudicij hoc procedere, ſi probationes imperfectæ tendant ad vnum; ſiue iſtæ probationes ſint eiuſdem generis, vt in duobus teſtibus, ſiue ſint diuerſi generis, vt vnus teſtis cum fama. iuxta not. in c. veniens. infr. tit. prox. & l. 3. ff. de teſtib. Si vero tendant ad diuerſa, tunc in cauſis magni præiudicij non coniunguntur, & non probant, vt eſt exemplum in pluribus teſtibus ſingularibus. Alexand. conſ. 21. lib. 4. & Roman. conſ. 7. & 91.

Cap. 14. Cauſam.

POSSVNT reprobari matronæ, per quas virginitas probatur.

QVIA poteſt eſſe, quod in virginitatis cognitione iſtæ matronæ fuerint deceptæ; cum manus obſtetricum, & oculi ſæpè fallantur. c. nec aliqua. 27. q. 1. & l. 1. ff. de ventr. inſpic. Et quoniam ad habendam negotij veritatem ſunt recipiendæ probationes actoris, & rei, vt qui in cauſa melius probauerit, ſententiam in ſui fauorem obtineat. ſup. c. licet. & de teſtib. c. in noſtra. Et omnia, quæ cauſam contingunt, & per quæ iudex poſſit melius inſtrui, ſunt diligenter inquirenda. c. exhibita. de iudic. & cap. iudicantem. 30. q. 5. Ideo licet ex vna parte fuerint examinatæ matronæ deponentes aliquam eſſe virginem, poterunt per aliam partem iſtæ reprobari, & aliæ honeſtiores, & plures aſſerentes contrarium, in iudicio produci. vt in tex. & c. fraternitatis. de frigid. & & malefic.

Cap. 15. Cum bonæ.

ACTA, etiam litis ordinatoria, facta coram primis iudicibus, fidem faciunt coram ſecundis.

QVIA ex quo huiuſmodi acta non reuocantur in dubium per partes, contra ea probando, præſumuntur iuridicè facta. c. in præſentia. de renunc. & l. fin. C. de teſtib. Et quoniam probationum copiæ eſt fauendum. Authent. de teſtib. §. ſancimus. coll. 7. Ideo ſtatuitur, vt atteſtationes in vno iudicio receptæ fidem faciant in eadem cauſa, & inter eaſdem perſonas etiam coram alio iudice. vt in tex. & c. cauſam, quæ. il 1. de teſtib.

In Clement. Cap. vnic. Literis.

VERBA literarum Apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plenè probant, si super illis gratia, vel intentio Papæ fundatur.

QVIA Papa gerit in terris vices Christi, dicente Domino Petro, & in eo etiam successoribus; Pasce oues meas. Io. cap. 21. Et eo ipso, quod ad tantæ dignitatis apicem est promotus, sanctus reputatur. c. non nos. dist. 40. Et quoniam si contra talia eius verba admitteretur probatio, verteretur in dubium sinceritas Papæ, & videretur, quod posset arguide falso. Zabar. hic. Ideo propter magnitudinem, & excellentiam eius auctoritatis, huiusmodi verbis plene est credendum. vt in tex. & c. cum à nobis. ext. de testib. Si verò talia verba narratiua sunt super facto alieno, faciunt fidem. c. post cessionem. ex. de probat. sed admittitur probatio in contrarium. Abb. hic. nam in facto alieno Papa potest probabiliter ignorare, & in illo sic enarrando, errare. c. 1. de constit. in 6. qui error non præsumitur in facto proprio. c. ab excommunicato. ext. de rescript. Si autem intentio Papæ non fundatur super talibus verbis narratiuis, tunc non probant. c. si Papa. de priuileg in 6. quia illa non sunt expressa à Papa ad aliquid affirmandum, vel negandum, sed ad alium finem. d. c. si Papa. vnde vltra eius intentionem non debent operari. c. sedulo. dist. 38.

Liber Secundus. Titulus XX.

DE TESTIBVS, & attestationibus.

In Decretal. Cap. 1. Placuit.

PRETIO non debent testes ad testificandum induci.

QVIA testes debent deponere veritatem, quam sciunt, pro vtraque parte, absque aliqua passione, & interesse, ne humanum iudicium peruertatur, vel ad minus eorum dictum de mendacio suspectum reddatur. c. si tetes. §. item testium. 4. q. 3. Et quoniam si testes reciperent pretium pro testimonio, præsumerentur corrupti, & contra veritatem deponere; cum cito violetur auro iustitia. c. pauper.

per.11.q.3.Ideo teſtes non ſunt pretio conducendi. vt in tex. & infr. c. quoties. vnde ſi quis ob denunciandum, remittendumvè teſtimonium, dicendum, vel non dicendum, pecuniam acceperit, poteſt accuſari de falſo.l.1.ff.ad leg.Corn. de falſ. nam,etiam alio non probato, præſumitur corruptus. Bart. in l.diuus.ff.de re iudic. pro expenſis tamen factis in itinere, & ſtando, teſtibus licitè datur pecunia. c. ſtatutum, in fin. de reſcript. in 6.& d.c. ſi teſtes. §. venturis. cum officium ſuum nemini debeat eſſe damnoſum. l.2.§.1.ff.ad Velleian. & proprijs ſtipendijs nemo militare teneatur.c.1.de ſepult.

QVIS QVE fidelis ad teſtificandum induci poteſt, niſi probetur indignus.

QVIA edictum de teſtibus eſt prohibitorium, vt quilibet admittatur, niſi per legem expulſus reperiatur. l.1.ff.de teſtib.Et quoniam quilibet præſumitur dignus, niſi in contrarium aliud oſtendatur. c.fin.de præſumpt.& l.non omnes.§.à barbaris.ff.de re milit.Ideo quiſque in teſtem admittitur,niſi per aliquem defectum ſit à iure reprobatus. vt in tex.& l.3.ff.de teſtib.

NVLLVS teſtimonium dicat, niſi ieiunus.

QVIA teſtes debent iurare de dicenda veritate. infr. c. quoties. & l.iuriſiurandi. C.eod.Et quoniam decens eſt,vt qui in ſanctis audet iurare, hoc faciat ieiunus,cũ omni honeſtate,& timore Dei. c.honeſtum. 22.q.5.Ideo ſtatuitur,vt nullus dicat teſtimoniũ,niſi ſit ieiunus. vt in tex.& c.placuit.4.q.3. Tamẽ hoc,quod dicitur de iuramento,& de teſtimonio præſtando à ieiunis,eſt potius de honeſtate, quam de neceſſitate.gloſ.hic.& in d.c.honeſtum.(niſi aliud induceret conſuetudo,quæ eſſet,vt lex,ſeruanda. Abb.hic.& c.fin.de conſuet.) cum nullum tempus impediat conſilium ſanæ mentis.l.non minorem. C.de tranſact.

Cap. 2. In nomine.

NVLLA eſt receptio teſtium facta contra non citatum.

QVIA ſi teſtes reciperentur, parte non citata, viderentur recepti ad fauorem tantùm producentis, & in odium alterius partis abſentis. Authent.de teſtib. §. fin. coll.7. Et ipſa pars abſens priuaretur facultate,qua poteſt iuſtas exceptiones opponere contra teſtes, & facere, ne examinentur. infr. c. ex parte. & c. cum cauſam. Et quoniam teſtium receptio adinuenta eſt propter probationes, ne quid facti lateat iudici pro iuſta ferenda ſententia.d.Authent. §.1. & debent eſſe communes, & deponere facti veritatem pro vtraque parte, & non pro vna tantum. c.non ſanè.14.q.5.& ad hoc debent iuramento adſtringi. infr. c.fraternitatis. Et vbi agitur de alicuius intereſſe, ſemper ille in iudicio eſt citandus. l.de vnoquoque. ff. de re iudic. Ideo admonen-

dus eſt ſemper aduerſarius, vt veniat ad audiendos teſtes, alias examinatio facta non valet. vt in tex. & l. iudices. C. de fid. inſtr. Sed cum dicitur, quod pars eſt citanda ad audiendos teſtes, & ad videndos eos deponere ſuper cauſa. vt in tex. non eſt ita intelligendum, vt ipſæ partes audiant teſtes, cum deponunt dictum ſuum; nam in ſecreto, & ſigillatim ſunt recipiendi. infr. c. venerabilis. & l. nullum. C. eod. Sed intelligitur, quod debent videre, & audire eos iurantes. gloſ. hic. dicta verò ipſorum poterunt videre, & audire poſt atteſtationum publicationem. Specul. de teſtib. §. nunc tractandum. Teſtis autem videtur recipi, & deponere, quando iurat; nam actus depoſitionis refertur ad tempus iuramenti. l. ſi quando. C. eod. Si verò pars citata noluerit venire, & non ex ineuitabili quadam neceſſitate venire non poſſit, teſtimonia ita valent, tanquam ſi non ex vna parte conſiſterent, ſed etiam ipſa præſente, facta fuiſſent. vt in tex. quia abſens contumaciter, in ſui præiudicium, habetur pro præſente; & actus, eo abſente, explicatus, perinde valet, ac ſi, eo præſente, factus fuiſſet. c. 2. de dol. & cont. & c. fin. de arbitr. in 6.

Cap. 3. Quoniam.

MVLIER teſtificatur contra clericum, cum de crimine agitur.

QVIA cum edictum de teſtibus ſit prohibitorium, quilibet admittitur ad teſtificandum, niſi per iura reperiatur excluſus. vt not. ſup. in c. 1. & l. 1. ff. eod. Et quoniã laici, ſiue vir, ſiue mulier, prohibentur teſtificari contra clericum tunc tantum, cum de crimine criminaliter agitur. infr. c. de cętero. & gloſ. in c. forus. de verb. ſign. Ideo ſecus eſt, vbi agitur de crimine ciuiliter. vt in tex. ſiue tunc agatur per viam denunciationis, ſiue exceptionis, ſiue inquiſitionis. infr. c. tam literis. In quibus autem caſibus mulier non poſſit eſſe teſtis, puta in teſtamento. Inſtit. de teſtam. §. teſtes. & in cauſa criminali criminaliter mota, ſiue contra clericum, ſiue contra laicum, niſi in illis caſibus, in quibus admittuntur ad teſtificandum etiam infames. not. gloſ. in c. mulierem. 33. q. 5. & Specul. de teſte. §. 1. ver. item, quod eſt mulier.

Cap. 4. In omni.

VBI agitur ad correctionem de peccato impediendo, principalis perſona admittitur in teſtem.

QVIA quando agitur ad correctionem, non tractatur de commodo, vel incommodo ipſius denunciantis, nec de damno, vel intereſſe alterius externi, ſed tantũ de ſalute ipſius corrigendi; & non agitur ad illius pœnam, ſed ad pœnitentiam ſalutarem. c. multi. 2. q. 1. Et quoniam ratio, cur quis regulariter non poſſit in iudicio in eodem facto eſſe actor, & teſtis; eſt, quia dubitatur, ne propter proprium intereſſe deuiet à veritate dicenda. cap. fin. eod. in 6. & cap. 1. 4. q. 3. Ideo

quando

quando agitur ad correctionem pro peccato impediendo, cum non ſit periculum, quòd actor mentiatur, & cum de animæ fauore tractetur, non exigitur diſtinctio inter teſtem, & actorem. vt in tex. & c. præterea. de ſponſal. & ſic ſufficiunt probationes, quæ aliàs eſſent minus plenæ. gloſ. in d. c. multi. vnde in omni negotio principalis perſona dicens veritatem de re ſibi nota, tunc rectiſſime habenda eſt pro teſte; cui adhibito vno, efficiuntur duo teſtes, adhibitis duobus, efficiuntur tres. vt in tex. & c. præcipuè. 11. q. 3. Quod patenter oſtendit Dominus, cum dicit: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum; quod ſi te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos teſtes, vt in ore duorum, vel trium, ſtet omne verbum. Matth. cap. 18. Et idem Dominus affirmat dicens: Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet de me Pater. Ioan. cap. 8. Et in lege veteri ſcriptum eſt; quod duorum hominum teſtimonium verum eſt. Deuteronom. cap. 17.

Cap. 5. Quoties.

QVANDO aliqui volunt ſeparari propter conſanguinitatem, illa debet probari per duos, vel tres teſtes de ipſa conſanguinitate.

QVIA illi teſtes potius recipi debent, qui veritatem facti, de quo agitur, melius ſciunt. c. ſi teſtes. 4. q. 3. & l. ſi filium. C. de liber. cauſ. Et quoniam vnuſquiſque ſuam genealogiam, cum teſtibus, & chartis, tum etiam ex recitatione maiorum, ſcire laborat. c. videtur. qui matr. accuſ. poſſ. Ideo quòd parentes, fratres, & cognati vtriuſque ſexus, in teſtificatione ſuorum ad matrimonium coniungendum, vel dirimendum, admittantur, tam antiqua conſuetudine, quàm legibus approbatur. vt in tex. & c. conſanguineos. 35. q. 6. Secus autem eſt, vbi ageretur de aliquo facto externo probando; nam tunc propter intereſſe, quod conſanguinei habent in cauſa, eorum teſtimonium redditur ſuſpectum, vt eis minus credatur. infr. c. in literis. & 3. q. 5. c. 1.

QVOD ſi conſanguinei non ſuperſunt, debet probari per meliores, & antiquiores illius loci.

QVIA vbi agitur de antiquitate probanda, eam præſumuntur melius ſcire antiqui, quàm iuniores. c. fin. & ibi gloſ. de offic. Archid. & l. ſi chorus. ff. de legat. 3. Et quoniam ab illis eſt requirenda veritas, quibus eius lux potius aſſiſtit. l. presbyteri, & ibi Bald. C. de epiſc. & cleric. Ideo ſi talis conſanguinitas non poteſt per conſanguineos probari, eſt curandum, vt probetur per duos, vel tres teſtes de ſenioribus, & melioribus eiuſdem loci. vt in tex. & d. c. conſanguineos. Et ſi non poſſunt haberi ſenes, in eorum defectum ſunt admittendi iuuenes, ſicut in conſanguineorum defectum extranei admittuntur. Abb. hic.

QVI iurabunt, quòd non odio, vel amore, vel aliquo commodo, quod habuerint, vel quod habent, vel quod habituri sint, ad hoc iuramentum accedunt.

QVIA quatuor modis humanum iudicium peruertitur; timore, dum metu poteſtatis alicuius, veritatem loqui pertimeſcimus; cupiditate, dum præmio alicuius animum corrumpimus; odio, dum contra quemlibet aduerſarium molimur; amore, dum amico, vel propinquo contendimus præſtare auxilium. c. quatuor. 11. q. 3. vnde verſus.

Amor, odium, cenſus, rectos ſolent peruertere ſenſus. gloſ. ibidem. Et quoniam teſtes debent deponere facti veritatem pro vtraque parte. c. ſi teſtes. 4. q. 3. Ideo qui teſtificantur ſuper conſanguinitate, debent iurare, quod ſuper tali facto non deponunt propter aliquam paſſionem, vel intereſſe, ſed pro ſola veritate inducti. vt in tex. & infr. c. in literis.

ET ſicut ipſi dicunt, rei veritatem accepiſſe à maioribus ſuis, & credere ita eſſe.

QVIA teſtimonium de auditu, vel de credulitate, regulariter non valet. l. in ſumma. §. idem Labeo, & ibi glo. ff. de aqua pluu. arc. & Specul. de teſte. §. opponitur. Teſtes enim propriè debent deponere de his, quæ ipſi ſuo ſenſu percęperunt, non de his, quæ audierunt eſſe percępta ab alijs. infr. c. cum cauſam. & debent teſtificari ſic eſſe, vel non eſſe: non autem de credulitate, quæ deponit in modum, quòd res aliter ſe habere poteſt. l. teſtium. C. de teſtib. & Authent. de hæred. & falcid. §. hinc. & ibi gloſ. ver. & vidiſſe. Sed quoniam in his, quæ non poſſunt ſciri, niſi per credulitatem, teſtis probat, ſi dicit; ſcio quantum poſſum, vel quantum humana fragilitas noſſe ſinit. c. vnic. de ſcrut. in ord. fac. & Bald. in d. l. teſtium. Ideo ex quo tales teſtes non deponunt directè ſuper ipſo facto, ſed ſuper coniecturis, debent adiungere iuramentum de credulitate, quæ adijcit ad teſtificationem de auditu. vt in tex. & infr. c. licet, il 2. & c. præterea. vt ſic, quæ ſingula non proſunt, cum tendant ad perficiendum vnum totum, ſimul vnita iuuent. l. inſtrumenta, & ibi gloſ. C. de probat.

Cap. 6. Inſuper.

PRAELATVS, & clerici, qui cauſam eccleſiæ non curant, teſtificari poſſunt in ea.

QVIA cauſa eccleſiæ, non eſt cauſa ſingulorum ipſius eccleſiæ. c. ſuper, & ibi gloſ. 14. q. 2. & c. epiſcopus. §. qui. 12. q. 2. cum damnum, vel lucrum non pertineat ad eos nomine proprio, ſed ad eccleſiam; licet ſecundario, & in conſequentiam, etiam eis proueniat emolumentum. c. biduum. §. palàm. 2. q. 6. Et quoniam non debemus attende-

tendere ad id, quod venit in conſequentiam, ſed ad id, quod principaliter fit. l. 1. ff. de auctorit. tutor. nec eſt veriſimile, quod quis velit deierare propter iura communia conſeruanda, cum ſoleat negligi quod communiter poſſidetur. l. 2. C. quand. & quib. quart. pars deb. Ideo licet in re propria dicendi teſtimonia, omnibus iura ſubmouerint facultatem. c. ſi teſtes. §. omnibus. 4. q. 3. non tamen per hoc prohibentur prælati, & clerici, quin in cauſa ſuæ eccleſiæ teſtificari poſſint. vt in tex. & infr. c. cum nuncius. ſicut ob eandem rationem non prohibentur ſinguli de vniuerſitate, à ferendo teſtimonio in cauſa illius. l. in tantum. ff. de rer. diuiſ. Et legatarij admittuntur in teſtes ſuper validitate teſtamenti. Inſtit. de teſtam. §. legatarijs. ſi tamen pro aduerſa parte producuntur teſtes in contrarium, qui nec ſecundario haberent intereſſe in cauſa, eis eſſet plus credendum, conſiderata tamen qualitate ſingulorum. d. c. ſuper. Si autem prælatus, vel clerici curarent illam cauſam, in ea teſtificari non poſſent. vt in tex. quia iam declararunt ſe habere affectionem ad cauſam: & propter laudem, & honorem, quem inde expectant, vincendo: & vituperium, quod timent, perdendo, eſſent ſuſpecti, ne de facili mentirentur. c. fin. eod. in 6. & Rot. decil. 154. & 373.

Cap. 7. Ex parte.

SI probatio exceptionis oppoſitæ contra teſtem productum, non admittitur, antequam dictum teſtis recipiatur in caſu, in quo admitti debuit, licitè appellatur.

QVIA iudex, qui non vult admittere probationem ſuper exceptione probabili, grauat ipſum excipientem, & erga illum reddit ſe ſuſpectum. c. paſtoralis. de except. & gloſ. hic. Et quoniam à quolibet grauamine, de iure canonico, poteſt appellari. c. vt debitus. de appellat. & coram ſuſpecto iudice non eſt quis cogendus litigare. c. ſuſpicionis. de offic. deleg. Ideo ſufficit probare hoc ſolum grauamen coram iudice appellationis, vt ipſe valeat poſtea procedere ſuper principali, & non remittat cauſam ad iudicem, à quo fuit appellatum. vt in tex. & c. interpoſita, & ibi gloſ. de appellat.

Cap. 8. Si qui.

IVDEX mittere debet examinatorem diſcretum ad teſtes recipiendos, qui ad eum commodè venire non poſſunt.

QVIA articulus receptionis teſtium eſt delegabilis. Clem. vnic. de offic. deleg. cum in eo non cenſeatur electa induſtria perſonæ iudicis. gloſ. ibidem. Et quoniam ad habendam facti veritatem, teſtium fides eſt diligenter examinanda. cap. ſi teſtes. 4. q. 3 & regulariter non eſt decens, ipſum iudicem ire ad domum teſtium. c. mulieres. de iudic. in 6. Ideo ſi qui teſtium valetudinarij ſunt, & ſenes, vel debilitate confecti, aut paupertate depreſſi, ità quod non poſſint ad iudicis

præsentiam adduci, ad ipsos recipiendos ipse iudex personas idoneas, & discretas mittere debet. vt in tex. & l. ad personas. ff. de iureiur. Et hoc, quando testes sunt in loco iudicis, & excusantur, vt non veniant ad eius præsentiam; si verò personæ sunt absentes, habet iudex aliud remedium, scilicet, vt scribat iudici loci, vt eos recipiat, & eorum dicta sibi sigillata remittat. c. constitutus. de fideiussor. & Authent. de testib. §. & quoniam. coll. 7. Sed hoc in ciuilibus tantummodo causis; nam in criminalibus testes apud iudicem repræsentandi sunt, & cum res exegerit, tormentis subijciendi. l. apud, la 2. C. de fid. instrum.

Cap. 9. Sicut.

RETRACTANDA est sententia, si constat eam fuisse latam ad dictum corruptorum testium.

QVIA si talis sententia non retractaretur, dictum huiusmodi testium haberet effectum, & reprobatæ probationes in detrimentum iustitiæ adaptarentur. c. 2. & ibi glos. de purgat. vulg. & l. falsam. C. si ex fals. instrum. Et quoniam hoc esset iniquum, & inde nascerentur iniuriæ, vnde iura debent oriri. c. licet, & ibi glos. de offic. ordin. & c. cum venerabilis. de except. & daretur fides periuro, & falso; cui non est credendum, & debet puniri. c. si testes. § item testium. 4. q. 3. Ideo testium corruptorum dictum, cum sint periuri, non est aliquatenus admittendum; & exceptio falsi potest etiam post sententiam opponi, vt illa retractetur, & non transeat in rem iudicatam: ex quo constat iudicem per illas falsas probationes fuisse deceptum, & iniuste pronunciasse. vt in tex. & l. 1. & 3. C. si ex fals. instrum.

Cap. 10. Veniens.

SOCIVS criminis, & muneris, non testificatur.

QVIA qui confessus est, vel conuictus de crimine in iudicio, effectus est infamis. c. 1. de confess. & infr. c. testimonium. & si tali criminoso crederetur contra alios, sæpe diceret sibi esse socios aliquos potentes, vt cum illis ipse facilius liberaretur, vel nominaret aliquos sibi odiosos, vt simul cum ipso punirentur. l. fin. C. de accusat. Et quoniam non est habenda fides infamibus. c. qui sine. 3. q. 7. testis enim debet esse vita innocens, & integer actu, vt præsumatur dicere veritatem. c. forus. de verb. sign. Et in criminalibus requiruntur probationes indubitatæ, & luce meridiana clariores. l. sciant. C. de probat. Ideo criminosus contra alium testificari non potest, & nulli de se confesso aduersus alium in eodem crimine est credendum. vt in tex. & l. quoniam. C. de testib.

ETIAM in crimine simoniæ.

QVIA

QVIA licet ſimonia ſit de criminibus enormibus, & exceptis, in quorum odium admittuntur ad teſtificandum etiam ſocij criminis, cum ciuiliter agitur. c.1.de teſtib.in 6.& c.ſi quis Papa.diſt. 79. Tamen quoniam ſocius criminis, & muneris eſt factus magis infamis, quàm ſocius criminis tantum. gloſ.in c.1.de confeſſ. vbi explicat, quando quis dicatur ſocius criminis, & muneris. Ideo tali eſtminus credendum, & propter eius maiorem infamiam, non admittitur in teſtem etiam in hoc enormi crimine. vt in tex.& c. nemini.15.q.3.

ET vnius teſtimonium non ſufficit ad condemnationem.

QVIA vbi agitur de præiudicio alterius, probationes debent eſſe neceſſario concludentes. c. in præſentia. de probat. præſertim in criminalibus. l. fin. C. de probat. Et quoniam vox vnius, cenſetur vox nullius quo ad plenam probationem faciendam. l.iuriſiurandi.C.de teſtib. Et eſt de iure diuino, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Matth.cap.18. nam cum reus ſit vnus, qui negat, probabilius eſt, quod dicant veritatem illi duo, qui non habent intereſſe, quam reus ſolus;& iſta probabilis certitudo regulariter ſufficit in actibus humanis: quæ nō cenſetur eſſe ſufficiens per vnum teſtem tantum. S.Tho.2.2. q.7. art.2. Ideo licet dictum vnius faciat præſumptionem.l. Theopompus,& ibi gl.de dot.prel.non tamen facit plenā probationem, quæ requiritur, vbi agitur de intereſſe alicuius,præſertim quando agitur ad pœnam. vt in tex. & l.maritus. C.de quæſtion.

Cap. 11. Cauſam.

ATTESTATIONES in vno iudicio receptæ fidem faciunt in eadem cauſa, & inter eaſdem perſonas coram alio iudice.

QVIA per atteſtationes legitimas fit res manifeſta,& veritas facti habetur.c.cum olim. de verb.ſign. Et quoniam in vnoquoque iudicio attenditur veritas, quæ ſemper & vbique eſt vna. c.quoniam. de probat.& l.fin.C.de teſtib. Ideo ex quo ipſi litigantes citati non oppoſuerunt in priori iudicio contra atteſtationes, cum poſtea in alio iudicio ſuper eadem cauſa, nō tractetur de maiori præiudicio eorū,præſumitur, eos nihil obijcere poſſe, & ſe illis atteſtationibus acquieuiſſe. vt in tex.& l.mortuo.ff.de iudic. Probationes verò factæ in ciuili, non faciunt fidem in criminali, licet faciant aliqualem preſumptionem. l.ſi quis,& ibi gloſ. C.ad leg. Iul. de vi publ. quia in criminali requiruntur clariores probationes, cum agatur de maiori preiudicio, & de pœna corpori infligenda. l. ſciant. C. de probat. & multa fortaſſe actor, vel reus oppoſuiſſent contra teſtes,ſi credidiſſent,quod ad tantum preiudicium adducerentur. Bart. in l. cum lite. ff.iudic.ſolu. Secus eſt in confeſſione propria, quę probat in vtroque iudicio.Innoc. in c. per inquiſitionem. de elect. nam in illam non cadit excuſatio. l.generaliter.C.de

non

non num. pecun. Inter perſonas autem omnino extraneas nunquam faciunt fidem: cum ipſæ non fuerint auditæ, licet etiam inter ipſas faciant aliqualem præſumptionem iuxta teſtium qualitatem. Bart. in l. à ſententia. ff. de appellat. & Alex. in l. de vnoquoque. ff. de re iudic.

Cap. 12. Cum nuncius.

CLERICI non ſunt à ferendo teſtimonio in cauſa eccleſiæ ſuæ, ſine rationabili cauſa repellendi.

QVIA qui dicit teſtimonium in cauſa eccleſiæ, vel vniuerſitatis, pro nullo de eccleſia, vel vniuerſitate, hoc principaliter facit, ſed pro eccleſia, & vniuerſitate intelligitur teſtificari, licet in conſequentiam etiam ipſi particulares ex cauſa reportent commodum. c. ſuper. 14. q. 2. Et quoniam in iure conſideratur id, quod principaliter agitur, non quod in conſequentiam venit. cap. cum voluntate. de ſent. excom. Ideo cum clerici in cauſa eccleſiæ, non teſtificentur in re propria, non ſunt propter eorum intereſſe ab illius teſtificatione repellendi. vt in tex. & ſupr. c. inſuper. Ex rationabili autem cauſa bene poſſent repelli, puta, ſi quis eſſet excommunicatus, criminoſus, periurus, infamis, & ſimilia. Abb. hic. quia huiuſmodi defectus prohibent teſtificari etiam laicos, & illos, qui in cauſa nullo modo habent intereſſe. infr. c. teſtimonium. Ideo multo magis debent impedire clericos, qui habent in cauſa ſecundarium intereſſe, & quibus facultas teſtificandi plus arctatur, quàm laicis. c. quamquam. 14. q. 2.

Cap. 13. Super eo.

CRIMEN nunc probatum, repellit teſtem aliàs de illo crimine non damnatum.

QVIA in idoneitate teſtificandi, eſt inſpicienda innocentia, & integritas vitæ, non autem ſolum externa criminis publicitas, & exiſtimatio. c. forus. de verb. ſign. cum non ſit præſumendus fidelis erga homines, qui Deo infidelis exiſtit. cap. non poteſt. 2. quæſt. 7. Et quoniam de iure canonico dicuntur criminibus implicati non ſolum, qui per ſententiam ſunt damnati, vt conſiderantur de iure ciuili. l. athletas. ff. de his, qui not. infam. & l. 3. ff. de teſtib. ſed etiam illi, qui non ſunt emendati, & in præſenti ſunt criminoſi. infr. c. teſtimonium. Ius enim canonicum magis attendit, quod eſt in veritate pro animarum ſalute; ius verò ciuile plus conſiderat, quod eſt in opinione, pro publica ciuitatis quiete. Abb. in c. filius. de teſtam. Ideo licet ſecundum ius ciuile, ſolum criminoſus damnatus, & infamatus, à teſtimonio repellatur. d. l. athleta. ſecundum ius canonicum tamen repellitur, ſiue iam ſit condemnatus, ſiue tunc criminoſus eſſe probetur. vt in tex. & c. ſi teſtes. 4. quæſt. 3.

Cap.

Cap. 14. De cætero.

LAICVS in criminali non teſtificatur contra clericum.

QVIA in cauſa criminali criminaliter mota agitur de maiori prę-iudicio, quàm cum ciuiliter agitur; cum in illa tractetur de imponenda pœna, & ſæpe de corpore vſque ad mortem inclu-ſiue affligendo. l. qui ſententiam. C. de pœnis. in ciuili autem agitur ſolum de bonis externis, & ad ſolutionem, in quantum quis facere poteſt. c.odoardus. de ſolution. & l.is, qui. ff.de ceſſion.bonor. Et quoniam vbi maius periculum vertitur,cautius eſt agendum. c.vbi. de elect.in 6. Et laici non ſunt eiuſdem conuerſationis cum clericis,& oppidò eis infeſti exiſtunt; quippe cum vita eorum,& conuerſatio debeat eſſe ſecreta, & à laicorum actibus remota, nec ab eis impeti debent etiam, qui eorum caſtitatem, & grauitatem nolunt imitari, maximè cum eos nolunt recipere in ſuis accuſationibus.c.laicos.2.q.7.& c.beatus.6.q.1. Et inſidiator bona ſæpiſſimè ſolet conuertere in malum,& in electis ponere maculam.2.c.7.c.1. Ideo licet in ciuili, vel in criminali cauſa ciuiliter mota,laicus, & etiam mulier,admittantur ad teſtificandum contra clericos. ſupr. cap. quoniam. non tamen ſunt admittendi, quando contra illos agitur criminaliter. vt in tex.& c.cum P. de accuſat. Sicut nec clerici admittuntur in teſtes contra laicos in cauſa, in qua ſanguinis pœna venit imponenda.c.teſtimonium. 11.q.1. & c.1. & ibi gloſ. diſt.51. Sed quoniam ita fauendum eſt clericis, ne per falſa teſtimonia damnentur, vt tamen eis delinquendi impunitas ex probationum inopia non concedatur,ne malus, vt bonus reputetur.c.quamquam.14.q.2. Ideo licet regulariter laicus non admittatur in criminali ad teſtificandum contra clericum. vt in tex. vbi tamen crimen clerici non poteſt probari, niſi per laicum, in ſubſidium admittitur ad teſtificandum etiam laicus. Abb. hic. nam vbi veritas aliter haberi non poteſt, admittuntur teſtes, qui aliàs eſſent inhabiles.infr. c.veniens. & de elect.c.cum dilectus. & hoc præſertim, quando ex numero,& qualitate teſtium,non ſit præſumptio, quod velint dicere falſum.c.in fidei.de hæret. in 6. & vbi non poteſt ad teſtificandum haberi vera probatio, admittitur præſumptiua. de præſumpt.c.tertio loco. & c.literis. Secundo limita hoc cap. vt non procedat,quando delictum clerici dicitur notorium,nam tunc laicus admittitur in teſtem. c. cum dilectus. de purg. can. Tertio limita,vt laicus admittatur ad probandam infamiam contra clericum. Io.Andr.infr.in c.tam literis,& Specul.de teſte.§.1.num. 30. ſicut & ad indicium aliter faciendum, licet regulariter non admittatur ad plenam probationem. Innoc. ſupr. in c. quoniam, quod indicium poteſt eſſe ſufficiens ad torturam. Bart. in l. capite. ff.de adulter. Quarto limita, vt procedat, quando agitur de crimine criminaliter,vt dictũ eſt ſuperius; ſecus ſi ciuiliter.d.c. quoniam, nam tunc admittitur,

etiam

etiam si agatur ad priuationem beneficij.c.per tuas. de simon. Quinto limita,vt laici admittantur in exceptis criminibus. glos.hic. vt est crimen hæresis, simoniæ, & læsæ maiestatis.glos.in d.c.cum P. de accusat. Sed de hoc dic,vt not.in d.c.per tuas, & d.c.in fidei. Et respectu accusationis clericorum,dic, vt not.in d.c.cum P. & 2.q.1.c.in primis.

ACCVSAT tamen pro sua,vel suorum iniuria.

QVIA qui in iudicio prosequitur iniuriam sibi,vel suis illatam, apparet, quod non mouetur ex eo, quod ipse fuerit alteri infestus, sed quia ab illo ipse fuit offensus. c.illud,& ibi glos. dist.23. Et quoniam est prouidendum,ne innocens opprimatur,& ne delinquens transeat impunitus. c. licet. de simon. Et modicum præiudicium fit, si quis admittitur ad accusandum; nam ad dictum accusatoris nulla fit condemnatio,nisi adsint legitimæ probationes; sed ad dictum testium, proceditur ad condemnandum. c.fin. & ibi glos. qui matr. accus.poss. Ideo laicus non prohibetur clericum accusare,si suam,vel suorum iniuriam (quæ pro sua existimatur) in iudicio prosequatur,licet vbi criminaliter agitur,contra illum in testem regulariter non admittatur.vt in tex.& c.omnibus.4.q.6.

Cap. 15. In causis.

IN causis ecclesiasticis, & ciuilibus, possunt fieri tres productiones testium.

QVIA sicut fauendum est facultati probandi, vt facti veritas habeatur. l.1. ff. de testib. ita est effrænata testium multitudo euitanda, ne sub probationis prætextu, lites nimium protrahantur.infr.c.vltra.& de dol. & cont.c.finem.& ne per tot testium varietatem,potius confusio,quàm dilucidatio in causa generetur. infr.c.significauerunt. Et quoniam in ore duorum, vel trium, stat omne verbum. Matth. cap.18. Ideo regulariter conceduntur tres testium productiones, cum sufficiens testium numerus tunc habeatur, etiam si vnus tantum qualibet vice fuerit productus. vt in tex. & Authent. de testib. §. quia vero.coll.7.

QVARTA autem non admittitur absque solemnitate legali.

QVIA ex iterata toties productione est præsumptio, quod is, qui producit, fuerit percunctatus dicta testium, & quia fortè illi non probabant,sit inductus ad alios producendos,illos prius subornando. glos. in d. c. vltra. Sed quoniam aliquando post tertiam productionem deteguntur noui testes, & ipse producens non est in aliqua culpa,vt ei probandi facultas sit angustanda.d.Authent.in d.§.quia, Ideo exigitur ab eo iuramentum purgatiuum illius præsumptionis,quæ habebatur contra eum,quod testificata didicerit: & ex causa conceditur ei

tur ei quarta productio. vt in tex.& d.c.vltra,vbi ponitur forma huius iuramenti;Quinta verò & vltra non datur,ne ſit proceſſus in infinitum. Authent. at qui ſemel.C.de probat.

ET ſuper dictis teſtium, poſt ipſorum publicationem poteſt publicè diſputari.

QVIA teſtes poſt præſtitum iuramentum, ſunt ſecreto examinandi, vt veritatem liberius dicant. infr. c. venerabili. & l.nullum. C.eod. Sed quoniam cauſarum merita, partium aſſertione panduntur.l.2. C.ſi per vim. Ideo poſtquam teſtium dicta fuerint recepta,& publicata (cum non ſit amplius periculum de illorum ſubornatione) per partium diſceptationes,eſt à iudice audiendum, an per illos ſic plene probatum, & ſic an veritas facti, ſuper quo eſt ſententia ferenda, clarè habeatur: vt reus abſoluendus, vel condemnandus exiſtat.vt in tex.& Authent.de teſtib.§.fin.

Cap. 16. Cum tu.

SI quis probat actum geſtum poſt appellationem, & aduerſarius probat, quod ante,præfertur prima probatio.

QVIA teſtes, ſi fieri poteſt, ſunt ad concordiam reducendi,ne de periurij reatu notentur: & ſi non ad literam,ſaltem quo ad ſpiritualem intellectũ.c.in ſcripturis. 8.q.1. & l.ſtipulatio iſta. §.hæc. ff.de verb.oblig. Et quoniam poteſt eſſe, quod pluries fuerit appellatũ. vt in tex.Ideo eſt facienda benigna interpretatio,vt teſtes per geminationem actus reducantur ad concordiam: vt illi, qui dicunt eſſe appellatum ante ſententiam, intelligantur de appellatione primo interpoſita, & illi, qui dicunt eſſe appellatum poſt ſententiam,intelligantur de appellatione ſecundo interpoſita,cum vtrunque eſſe poſſit. vt in tex. & c.cum Ioannes.de fid.inſtrum.

ET actus iudicatur non tenere.

QVIA appellatio legitima ſuſpendit iudicis iuriſdictionem.c.ſi a iudice. de appellat. in 6. Et quoniam ex defectu iuriſdictionis, actus eſt nullus.c.paſtoralis.de offic.ordin. Ideo geſta à iudice poſt legitimam illam primam appellationem, nullius ſunt effectus. vt in tex. & l.1.ff.ad Turpilian.

NISI ſecundus probet, quod ante omnem appellationem.

QVIA benigna interpretatio pro concordia teſtium,eſt facienda in dubio. vt in tex. ſed in claris non eſt opus coniecturis, nec à proprio ſignificatu verborum, eſt in illis recedendum. c. nihilominus

minus,& ibi glos.3.q.9. & c. ad audientiam. de decim. Et quoniam qui omne dicit,nihil excludit. c. solitæ. de maior. & obed. Ideo qui probat actum gestum ante omnem appellationem,clarè probat illum gestum tempore,quo iudex habebat iurisdictionem; & sic quod actus tenet. vt in tex. & cap. in præsentia. de probat. vnde eius probatio validior alteri debiliori, & incertæ venit præferenda. cap. proposuisti. de probat.

Cap. 17. Fraternitatis.

IN causa appellationis, super nouis capitulis tantum testes noui, & veteres producuntur.

QVIA non minus in appellationibus, quàm in principali causa, subornatio est timenda. Clem.2. eod. Et quoniam si super antiquis capitulis, & articulis,in quibus in prima instantia fuit facta productio, & publicatio testium, possent recipi testes in causa appellationis, esset timendum, ne videns se succumbere, fuerit inductus ad testes in sui fauorem subornatos producendũ.gl. in c.si testes. §.fin.4. q.3. qui timor cessat, quando fit productio super capitulis nouis, de quibus cogitari non potuit.l.per hanc. C.de tempor. appellat. Et in causa appellationis possum non oppositum opponere,& non probatum probare,dummodo faciat ad causam c.cum Ioannes.de fid.instrum. Ideo in ea licet producere testes super nouis capitulis, non autem super antiquis. vt in tex.& d.l.Clem.2.

IVRAMENTO secundum morem prius recepto.

QVIA testi non iurato non adhibetur fides, nisi à partibus ei fuerit iuramentum remissum. infr. cap.tuis. & l.iurisiurandi. C. eod. vt enim veritas magis eliciatur, & propter iuramenti terrorem quis à deponendo falsum magis se abstineat, fuit introductum, vt iuramentum de dicenda veritate, à teste requiratur.cap. hortamur. 3. quæst. 9. & S. Thom. 2. 2.quæst..70. artic. 4. Et quoniam iuramentum præstitum de dicenda veritate super vno articulo, non extenditur ad alium, nisi fuerit iuratum de illa dicenda super tota causa. cap. præterea. infr. tit. prox. Ideo testis, qui in prima instantia iurauit de dicenda veritate super vno articulo, vt probet in causa appellationis super alio articulo, debet iterum iurare. vt in text. & infr. cap. de testibus.

Cap. 18. Intimauit.

QVI iurauit testimonium non dicere,testificari compellitur.

QVIA ferre testimonium,est munus publicum. l.si quando. C.eod. Et quoniam ab ijs,quæ sunt publici muneris, quis se subtrahere

non

non poteſt, nec per iuramentum poteſt eis renunciare; ſed ad illa compellitur etiam inuitus. c. ſi diligenti. de for. compet. iuramentum enim non debet eſſe vinculum iniquitatis; nec obligat contra ius introductum in publicum fauorem. c. quanto. & c. ad noſtram, il 3. de iureiur. Ideo iuramentum præſtitum de non præbendo teſtimonium contra aliquem, non impedit, quo minus ille ductus in teſtem, teneatur contra illum ferre teſtimonium. vt in tex. & infr. c. conſtitutis, il 1.

SI teſtificationes publicatæ non ſunt.

QVIA qui vult producere teſtes ſuper capitulis antiquis poſt atteſtationes publicatas, præſumitur, quod velit producere illos ſubornatos, ex eo, quod videat, per iam productos ſe ſuccumbere. ſup. c. prox. Et quoniam fraudibus eſt obuiandum. c. plerunque. de reſcript. Ideo ſi dicta teſtium iam productorum, ſint publicata, nec ipſi, nec alij, quamuis dicantur de non teſtificando iuraſſe, vlterius ſunt ſuper eiſdem articulis recipiendi. vt in tex. & infr. c. cum veniſſet.

Cap. 19. Cauſam, quæ.

PVBLICATIO, vel renunciatio teſtium in certis capitulis, non præiudicat volenti teſtes producere in alijs.

QVIA ratio, propter quam prohibetur, ne teſtes recipiantur poſt publicatas atteſtationes, ſuper antiquis capitulis, vel directe contrarijs, eſt ſuſpicio ſubornationis, quæ timetur, ex eo, quod quis viderit ſe ſuccumbere per teſtes iam productos ſuper illis. ſup. c. fraternitatis. Et poſt renunciationem prohibentur produci, vt ſit litium finis, & ne detur regreſſus ad fauorem, cui ſponte quis renunciauit. infr. c. cum veniſſet. Et quoniam ex diuerſis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. & cauſa limitata limitatum producit effectū. l. in agris. ff. de acquir. rer. domin. Ideo publicatio, vel renunciatio reſtricta ad certa capitula, in alijs articulis non præiudicat. vt in tex. & Authent. atqui ſemel, & ibi Bart. n. 3. C. de probat.

Cap. 20. Perſonas.

A teſtimonio repellitur, ſimili morbo laborans.

QVIA cum teſtes habeant deponere veritatem pro vtraque parte, debent carere ſuſpicione falſitatis, ne illam deponant magis pro vna, quam pro altera. c. ſi teſtes. 4. q. 3. Et quoniam ille, qui ſimili morbo cum aliqua parte laborat, eſt ſuſpectus, ne deponat ſolùm in fauorem illius, ex cuius commodo etiam ipſe, qui ſimilem habet cauſam, vtile conſequeretur. c. repellantur. de accuſat. Ideo ſicut ſimilitudo cauſæ repellit iudicem à iudicando. c. cauſam, quæ. de iudic. ita reddit ſuſpectum, & repellit teſtem à teſtificando. vt in tex. & l. quoniam. C. eod. & licet facilius repellatur iudex, quàm teſtis, quia facilius habentur

tur illi, quam iſti.c.cum R. & ibi gloſ.de offic.deleg. tamen in effectu, propter affectionem, & intereſſe, quod teſtes habent in cauſa, etiam ipſi redduntur ſuſpecti, vt ad faciendam plenam probationem non admittantur. vt in tex. licet ad aliqualem præſumptionem poſſint admitti, conſiderata qualitate cauſæ, & perſonarum, iuxta l.3.ff.eod.& Specul. de teſte. §.1.ver.item quod habet.

Cap. 21. Iudæi.

CHRISTIANVS contra Iudæum, in teſtem admittitur.

QVIA Iudæi Chriſtianis ſubiacere debent, à quibus pro ſola humanitate fouentur, non autem cum eis ſunt æqualiter comparandi. vt in tex.& c.cum ſit.de Iudæis. Et quoniam vbi ratio eſt diuerſa, etiam ius debet eſſe aliter conſtitutum. l.illud. ff. ad leg.aquil. Ideo licet Iudæi non teſtificentur contra Chriſtianos, ſicut nec alij infideles. ſup.c 1.& c.ſi hæreticus. 2.q.7. non tamen eſt paritas ſeruanda, vt nec Chriſtiani contra eos in teſtes recipiantur. vt in tex.& c.conſtituimus. 3.q.5. Et ſi diceres; In iudicijs eſt paritas ſeruanda. c.2. de mut. petit. ergo videtur, quod ſicut Chriſtiani non recipiunt contra ſe Iudæos in teſtes; ita nec ipſi contra Iudæos recipi debeant. Reſpond. quod æqualitas iſta, quæ requiritur in iudicijs, reſpicit perſonas actoris, & rei, vt regulariter non liceat vni, quod non licet alteri. c. non licet. de reg.iur.in 6. Sed non reſpicit perſonas teſtium; aliàs ſequeretur, quod fide dignus, qui non recipit contra ſe criminoſum, vel excommunicatum in teſtem.infr.c.teſtimonium.nec ipſe contra illum in teſtimonium recipi poſſet; quod eſſet abſurdum. Clem.1.& ibi gloſ.infr.eod.

Cap. 22. Super eo.

TESTIMONIVM matris eſt ſuſpectum, vbi filia petit in virum aliquem ſe maiorem.

QVIA mater videtur tunc teſtificari, non propter facti veritatem deponendam, ſed propter incrementum, & honorem, quem ex huiuſmodi matrimonio diligit filiæ ſuæ. vt in tex. Et quoniam illi ſunt admittendi in teſtes, à quibus veritas ſine falſi ſuſpicione poſſit haberi. l.3. ff.de teſtib. Ideo in tali caſu teſtimonium matris, tanquam ſuſpectum, eſt reijciendum. vt in tex.& infr.c. in literis. Vbi autem eſſet æqualitas perſonarum, vel etiam modica excellentia, quia tunc ceſſat ſuſpicio falſitatis, & conſanguinei melius ſciunt eorum genealogiam, quàm extranei, in matrimonio coniungendo, vel diſiungendo, ex ipſius coniugij prærogatiua, quia fauorabilis res eſt, ipſi parentes congruè admittuntur in teſtes.c.videtur.qui matr.accuſ.poſſ. & c.conſanguineos. 35. q. 6. licet in criminalibus cauſis, & contractibus pater non recipiatur pro teſte in cauſa filij, nec filius in cauſa patris. d.c.videtur. & l.teſtis idoneus.ff.de teſtib.

ET

ET ad dictum ſolius matris de impedimento deponentis, impeditur matrimonium.

QVIA præſumptio non eſt modica, quod tales linea conſanguinitatis ſe attingant, quos mater alterius, eos eſſe conſanguineos confitetur. vt in tex. Et quoniam conſanguinei intra quartum gradum, contrahere matrimonium prohibentur, & de facto contrahendo, peccant. c. non debet. de conſang. & affinit. Et vbicunque agitur ad impediendum peccatum, nec diminuitur ius alterius, ſufficit dictum vnius. gloſ.infr.in c.nuper.& 2.q.1.c.multi. Ideo ſi matrimonium non eſt contractum, aſſerente matre alterius, ipſos eſſe conſanguineos, non debent tales coniungi. vt in tex.& c.præterea, il 2.de ſponſal.

SED contractum non diſſoluitur.

QVIA vbi agitur de præiudicio alterius, in nulla cauſa ſufficit dictum vnius. infr. c.prox.& ſup.c.veniens. Et quoniam in matrimonio contracto agitur de intereſſe ipſorum coniugum, qui acquiſiuerunt ius inter ipſos, alter in alterum. cap. quemadmodum. de iureiur. Cum mulier ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed vir; & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 7. Et quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Marc. cap. 10. Ideo ſi matrimonium eſt iam contractum, non debet ſine plurium teſtium dicto, qui cum iuramento de legitimo impedimento deponant, inualidum declarari. vt in tex. & cap. de illo. de eo, qui cogn. conſang. Tolerabilius eſt enim aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè, contra ſtatuta Domini ſeparare.infr.c.licet, il 2.

Cap. 23. Licet, il 1.

AD deciſionem cauſæ, maximè pro parte Iudæi, non ſufficit regulariter minus teſtimonium, quàm duorum, probatæ vitæ, & laudabilis conuerſationis.

QVIA iuxta illud Domini dictum; In ore duorum, vel trium teſtium, ſtat omne verbum. Math. cap. 18. Et licet quædam ſint cauſæ, quæ plures, quàm duos exigant teſtes; nulla eſt tamen cauſa, quæ vnius teſtimonio, quamuis legitimo, terminetur. vt in tex. (quod intellige, vbi agitur de alterius præiudicio. ſup. cap. prox.) Et quoniam Iudæus non debet gaudere maiori prerogatiua, quàm Chriſtianus. ſup. cap. Iudei. Ideo non eſt licitum alicui Chriſtiano, & multo minus crucis Chriſti inimico, vt cauſę ſuę, vnius tantum teſtimonio, quaſi legitimo, finem imponat. vt in tex. & ſup.cap. in omni.

Cap. 24. In literis.

NON ſunt idonei teſtes, quos actor de familia ſua produxit.

QVIA eos teſtes ad veritatem iuuandam adhiberi oportet, qui omni gratiæ, & potentatui, fidem religioni iudiciariæ debitam præponere poſſint. l.eos. C.eod. Et quoniam illis de familia quis poteſt imperare, ratione patriæ, vel dominicæ poteſtatis. l. præſenti. C.de his, qui ad eccl.confug. Et ex affectu, quem habent erga patremfamilias, ſunt ſuſpecti, ne irati nocere cupiant, & læſi vlciſci velint. c. accuſatoribus.3.q.5. Ideo cum illi de familia non ſint liberi teſtes, & ſit ſuſpicio, ne deponant falſum, & deierent in fauorem ipſius patrisfamilias, non ſunt in teſtimonium admittendi. vt in tex. & l. penult.ff.eod.

Cap. 25. Cum veniſſet.

DONEC atteſtationes fuerint publicatæ, & eis renunciatum, produci poſſunt teſtes.

QVIA ius indulget tertiam teſtium productionem, & ex cauſa quartã, vt probandi copia, nec nimis reſtringatur in præiudicium veritatis, nec nimium dilatetur, ad litem fraudulẽter protrahendam.infr.c.vltra. & Authent.de teſtib.§.quia vero.coll.7.Et quoniam indultum à iure beneficium nemini eſt auferendum.l.4.§.ſi quis. ff.de re iudic. Ideo ſi dictæ productiones non impediuntur per atteſtationum publicationem, vel partium renunciationem, non ſunt à iudice partibus denegandæ. vt in tex. & ſup.c.in cauſis.

POSTEA verò non, ſuper eodem capitulo.

QVIA qui vult producere teſtes poſt publicationem iam productorum, præſumitur, quod velit eos producere ſubornatos, poſtquam vidit ſe ſuccumbere per iam productos. ſup. c.fraternitatis. Et qui vult illos producere poſt renunciationem factam, vult habere regreſſum ad ius, quod à ſe ſponte abdicauit. c.poſt.de renunc.& l.ſi quis. C.de pact. Et quoniam fraudibus eſt obuiandum. c.plerunque. de reſcript. Et remittentibus actiones ſuas, non eſt poſtea recurſus dandus ad eas. l. quæritur. §. ſi venditor. ff.. de ædilit edict. Ideo poſt atteſtationum publicationem, vel renunciationem factam teſtium productioni, non poſſunt vlterius à parte teſtes produci, quamuis de iure aliàs produci potuiſſent. vt in tex.& Clem.2.infr.eod.

SED ſuper alio ſic.

QVIA ex diuerſis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Et quoniam actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. l.non omnis. ff. ſi cert.pet.Ideo ex quo publicatio, vel renunciatio

nunciatio est restricta ad certum articulum, non est dilatanda ad alium. vt in tex.& sup.c.causam.

Cap. 26. Series.

POTEST reus producere testes ad probandum contrarium eius, quod actor probauit.

QVIA causarum merita, partium assertione panduntur. l. 2. C.si per vim, vel al.mod. Et illa pars est præferenda ad sententiam in sui fauorem obtinendam,quæ melius intentionem suam probauit.inf. cap. in nostra. Et quoniam fauore rei est inductum,vt ipse non cogatur ad probandum; sed quod probet actor, si velit consequi, quod intendit. l.qui accusare. C.de edend. Et inducta ad fauorem, non sunt retorquenda in læsionem.l. quod fauore. C. de legib. Ideo licet reus non sit cogendus suam innocentiam probare, sed actore non probante, ipse debet absolui. §.non solùm. Institut. de legat. tamen si etiam ipse velit producere testes, per quos prætendat suam intentionem melius probare, quàm actor probet suam, eius probatio est per iudicem admittenda. vt in tex.& l.circa.ff.de probat.

SI publicatio attestationum non est facta.

QVIA post attestationum publicationem, est præsumptio, quod ille, qui vidit se succumbere per testes iam productos, velit producere alios subornatos,ad confusionem, non ad dilucidationem veritatis. sup. c.fraternitatis. Et quoniam fraudibus est obuiandum. c. plerunque. de rescript. Ideo sibi imputet reus, si intra tempus permissum suos testes non produxit. vt in tex.& Clem.2.eod.

CONSVETVDINE non obstante.

QVIA consuetudo irrationalis est dicenda abusus; & non est sequenda, sed extirpanda. c. fin. de consuet. Et quoniam huiusmodi consuetudo esset prohibitiua dilucidationis veritatis,& tolleret reo propriam defensionem. vt in tex. & glos. hic. Ideo per illa m non debet reus prohiberi, quin testes ad sui fauorem producere possit. vt in tex.& l.inter pares.ff.de re iudic.

Cap. 27. Præterea.

CARNALIS copula probatur per conueniens testimonium de visu.

QVIA illæ probationes magis stringunt,quæ sunt aptiores, & verisimiliores negotio, de quo agitur.l. 3. ff.de testib. Et quoniam actus carnalis non potest à testibus magis strictè, & necessariò percipi,quàm per visum. glos.in c.dixit.32.q.1. Ideo vbi datur testimonium de visu, non requiruntur alia adminicula ad probandam

copulam carnalem. vt in tex.& c. tertio loco. de præsumpt. Sed per talem sensum inducitur violenta præsumptio de tali facto. c. literis. de præsumpt.

IDEM in testimonio auditus, quod adminicula, & fama coadiuuant.

QVIA diuersæ species probationum, quæ singulæ non prosunt, simul iunguntur, quando tendunt ad vnum finem, vt faciant probationem perfectam. c. cum causam. de probat. Et quoniam testis de auditu, & fama separatim, carnalem copulam sufficienter non probant. infr. c. tam literis. Ideo simul vnita cum alijs adminiculis possunt facere in tali actu probationem plenam. vt in tex. & l. capite. ff. de adulter. de qua tamen non potest dari certa regula, sed circunspectus, & discretus iudex ex argumentis, & testimonijs, quæ rei aptiora esse comperit, motum animi sui confirmabit. Bart. in d. l. capite.

Cap. 28. Cum à nobis.

VNIVS iudicis verbo non creditur.

QVIA licet quædam sint causæ, quæ plures, quàm duos exigant testes, nulla est tamen causa, quæ vnius tantum testimonio, quamuis legitimo, terminetur. sup. c. licet. In ore enim duorum, vel trium, stat omne verbum. Matth. cap. 18. Et quoniam qui omne dicit, nihil excludit. l. Iulianus. ff. de legat. 3. Ideo dictum vnius, quantæcunque fuerit auctoritatis, etiam si præsidialis curiæ honore præfulgeat, vbi vertitur præiudicium alterius, habetur pro dicto nullius, vt ex illo quis non iustificetur, neque condemnetur. vt in tex. & l. iurisiurandi. C. de testib. licet faciat præsumptionem, & literis iudicis ordinarij sit standum, donec contrarium probetur. c. post cessionem. de probat.

SCRIPTVRAE verò eius per testes reprobari possunt.

QVIA non præsumitur pro iudicis processu, nisi quatenus in causa legitimis constiterit documentis. cap. quoniam. de probat. Et quoniam eulogia ex mala fide quandoque scribuntur. l. diuus, la 2. ff. de custod. & exhib. reor. Ideo contra iudicis scripturam, etiam si habeat testium subscriptionem, admittitur contraria validiorum testium probatio. vt in tex. & l. cum precibus. C. de probat.

FALLIT hoc in Papa.

QVIA Papa gerit in terris vices Domini nostri Iesu Christi, dicente Domino, Petro, & in eo etiam eius successoribus; Pasce oues meas. Ioan. cap. 21. Et quoniam eo ipso, quod ad tantæ dignitatis apicem est promotus, sanctus reputatur. c. non nos. dist. 40. Ideo

propter

propter magnitudinem, & prærogatiuam dignitatis, eius verbis plenè eſt credendum. vt in tex. & Clem. literis. de probat.

Cap. 29. De Teſtibus.

TESTI ſuper dilatoria inducto, non creditur ſuper principali.

QVIA teſtis, qui iurauit dicere veritatem ſuper dilatoria exceptione, non per hoc iurauit illam dicere ſuper tota cauſa, ſeu principali. l.fin. C.qui legit.perſon.hab. ſtand. in iud. Et quoniam non valet dictum teſtis deponentis ſine iuramento. infr.c.tuis. Ideo ſi teſtes ſint inducti ad exceptionem dilatoriam ſolummodo probandam, cum ſuper ea tantum iurauerint dicere veritatem, non debent per hoc ſuper principali audiri, ne deponant non iurati. vt in tex. & infr.c.veniens.

NEC cogitur deponere.

QVIA ſi inductus ſuper dilatoria probanda, compelleretur deponere ſuper principali, reſultaret in proceſſu contrarietas; nam dilatoria indicat non eſſe procedendum in principali. c. fin. de except. & c.inter. de re iudic. vnde ſi ſimul deponeret ſuper principali, fieret proceſſus, vbi iam inducebatur teſtis ad probandum, quod non deberet eſſe proceſſus. c. exhibita. de iudic. Et etiam iuris ordo turbaretur, nam exceptio dilatoria debet proponi, & probari ante litem conteſtatam; ſed teſtes ſuper principali non ſunt regulariter ante litis conteſtationem recipiendi.c.quoniam. vt lit.non cont.Et quoniam huiuſmodi abſurda, & inconuenientia in iure ſunt euitanda. c.fin.de ord. cogn. Ideo talis, qui ſolùm iurauit teſtimonium dicere ſuper exceptione dilatoria, non eſt cogendus deponere, nec eſt audiendus ſuper negotio principali.vt in tex.& l.ſi quis libertatem. §.fin.ff.de petit. hæred.

SECVS, ſi ſuper peremptoria: tunc enim cogi poteſt, vt iuret deponere ſuper toto.

QVIA cum dilatoria cohæreat principali, & cum lis iam ſit conteſtata, quando deponitur ſuper peremptoria. c. quoniam. vt lit.non cont. tunc ceſſant illa inconuenientia, quæ reſultabant,quando teſtis, qui iurauit ſuper dilatoria, volebat induci ſuper principali. l.peremptorias. C.ſent.reſcind.non poſſ. Et ex tali depoſitione, nullũ aliud abſurdum ſequitur in cauſæ cognitione. Abb.hic. Et quoniam teſtis debet deponere veritatem, quam ſcit, pro vtraque parte, licet ab vna tantum fuerit inductus. ſup. c. fraternitatis. Ideo ex quo pars aduerſa approbat teſtes pro ſe ſuper exceptione peremptoria, debet illos recipere contra ſe etiam ſuper toto negotio principali. vt in tex. & l.ſi quidem.C.de exception.

Cap. 30. Conſtitutus.

DICTA teſtium non ſunt ad petitionem tertij publicanda.

QVIA nulli dicenda ſunt ea, quæ contra te ſunt; ſed apud ſemetipſum vnuſquiſque propria documenta requirere debet. c. 1. de probat. Et quoniam ſi dicta teſtium ad petitionem tertij publicarentur, eſſet præiudicium ipſis partibus, quæ amplius teſtes producere ſuper illis articulis non poſſent. ſup. c. fraternitatis. Ideo licet tertius comparens pro ſuo intereſſe, admittatur ad iudicium. l. ſi ſuſpecta. ff. de inoffic. teſtam. non tamen poteſt petere, vt atteſtationes principaliter receptæ inter partes contendentes, ipſis contradicentibus, aperiantur, & publicentur. vt in tex. & c. hæc quippe, & ibi gloſ. 3. q. 6.

ET is, qui produxit teſtes coram certis iudicibus, non poteſt ad eundem effectum, coram iudicibus alijs illos producere.

QVIA ſi illi teſtes poſſent de nouo produci, eſſet periculum, ne ſubornati, & corrupti deponerent falſa, diuerſa à primis. Bart. in l. eos. ff. de falſ. Et quoniam atteſtationes in vno iudicio receptæ fidem faciunt in eadem cauſa, & inter eaſdem perſonas, etiam coram alio iudice. c. fin. de probat. Ideo ijdem teſtes non ſunt in eadem cauſa iterùm producendi ſuper eodem articulo, & inter eaſdem perſonas, licet contingat iudicum mutatio; ſed ſatis eſt, quod ſemel fuerint producti; & ex quo atteſtationes eorum non ſunt deperditæ, debent corã iſtis ſecundis iudicibus produci. vt in tex. & infr. c. ſignificauerũt.

SED illorum atteſtationibus debet eſſe contentus.

QVIA ex quo talis non oppoſuit contra eas in primo iudicio, præſumitur illis acquieuiſſe, & nihil obijcere potuiſſe. ſup. c. cauſam, il 1. Et quoniam quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt. c. quod ſemel. de reg. iur. in 6. Ideo huiuſmodi atteſtationibus, tanquàm ritè factis, & approbatis, ipſæ partes ſtare tenentur. vt in tex. & l. ſi quis. C. eod.

Cap. 31. Præſentium.

PVBLICATIS atteſtationibus, non opponitur in perſonas teſtium.

QVIA ex quo pars citatur ad videndum iurare teſtes, & præſens non excipit contra perſonas eorum, illos approbare videtur. ſup. c. ex parte Adæ. Et quoniam, poſt atteſtationum publicationem, eſt præſumptio, quod quis velit eos malitiosè reprobare, & obijcere falſa, quaſi prouocatus, poſtquam vidit eos non depoſuiſſe ſecundum ſuam voluntatem. ſup c. fraternitatis. Et cum ſemel approbatum reprobari non poſſit. l. Pomponius. ff. de negot. geſt. & malitijs ſit obuian-

obuiandum.c.plerunque.de reſcript,Ideo talis obiectio in perſonas regulariter tunc reprobatur . vt in tex. & Clem. 2.eod.

TRES caſus excipit ; primum , ſi poſt publicationem iurat , quod malitiosè ad hoc non procedit .

QVIA per huiuſmodi iuramentum tollitur præſumptio, quæ erat, vt malitiosè obijceret.c.paſtoralis.de except. non enim eſt facile credendum, quod quis ſit ſuæ ſalutis immemor, & velit falſum iurare. c.ſancimus. 1.q.7.& cum ſimus in dependentibus à conſcientia, iuramentum eſt legitima probatio ; nam alia maior in huiuſmodi occultis haberi non poteſt.c.ſi verò.de ſent.excom.Et quoniam probationum facultati eſt fauendum. Authent.de teſtib. §.ſancimus. Et in iudicijs eſt veritas indaganda. c. ſi teſtes. 4. q. 3. Ideo in tali caſu oppoſitio contra teſtes, eſt per iudicem admittenda.vt in tex.& infr.c.fin.

SECVNDVM , ſi ante publicationem fuit proteſtatus , quod volebat teſtes poſt publicationem reprobare .

QVIA ceſſante cauſa , ceſſat effectus. c. cum ceſſante. de appellat. Et quoniam quando quis proteſtatur ante publicationem , quod velit teſtes reprobare , ceſſat præſumptio , quod illos reprobet , ex eo,quod viderit, ipſos ad ſui fauorem non depoſuiſſe ; quæ erat præſumptio malitiæ,propter quam prohibebatur contra eos opponere.ſup. c.fraternitatis. Ideo talis proteſtatio operatur effectum , vt poſt eam poſſit quis , publicatis atteſtationibus , in perſonas teſtium opponere . vt in tex.& Bald.in d.c.paſtoralis. col.2.

TERTIVM , ſi, proteſtatione non facta, vult nunc probare , quod de nouo didicit , quæ nunc obijcere vult .

QVIA quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. l.de ætate. §.ex cauſa.ff.de interrogat. act.Et quoniam ignorantia facti excuſat.c.ignorantia.de reg.iur.in 6.Ideo cum ei non poſſit imputari, cur prius in teſtes non obiecerit iſta , quæ ignorabat,nunc ad illa obijcienda debet admitti . vt in tex.& l.ſi quis.C.eod.

Cap. 32. In noſtra.

SI actoris , & rei, teſtes contraria deponunt , fidem ſibi non derogant, ſed præualent digniores , & veriſimiliora deponentes.

QVIA partium aſſertione,cauſarum merita panduntur.l.nec imperiale . C. ſi per vim , vel alio mod. Et quoniam iudex non ad vnam probationis ſpeciem , debet ſuam cognitionem allegare , ſed ex ſententia animi ſui oportet eum exiſtimare,quid aut credat, aut parùm probatum ſibi opinetur . l. 3.ff.de teſtib.Ideo non debet iudex ſe adſtringere ad ea,quæ dicunt vnius partis teſtes , & aliorum dicta in-

conſiderarè reſpuere; ſed ipſis hinc inde diligenter circunſpectis, ad validiores, & probabiliores adhærere. vt in tex. & l. eos. C. de teſtib. Oppoſita enim iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt. Ariſt. in prædicam. cap. de oppoſit.

ET ſi in cæteris eſt paritas, præfertur numerus.

QVIA verisimilius eſt, quod plures ſciant veritatem, quàm pauciores. cap. licet. de probat. Et eſt potius facienda interpretatio benigna, ne tot teſtes de periurio notentur. ſup. c. cum tu. Et quoniam, quod verisimilius eſt, in iudicijs eſt ſequendum. c. afferte. de præſumpt. Et in dubijs benigniora ſunt præferenda. l. ſemper. ff. de reg. iur. Ideo ſi teſtes vtrinque producti, eiuſdem honeſtatis, & exiſtimationis exiſtant, teſtimonium plurium debet prævalere, vt in tex. & c. ſi teſtes. 4. q. 3. licet vbi cætera ſunt paria, ſententia feratur pro reo. cap. inter. de fid. inſtrum. niſi in quatuor caſibus, ſcilicet, in cauſa matrimoniali, liberali, dote, & teſtamento. c. ex literis. de probat. & l. inter. ff. de re iudic.

Cap. 33. Tam literis.

AD probanda impedimenta electi; laici, & fœminæ admittuntur.

QVIA quando opponitur crimen, ſiue irregularitas, in modum exceptionis contra clericum ciuiliter, licet agatur de crimine, non agitur criminaliter. ſup. c. quoniam. Et quoniam edictum de teſtibus eſt prohibitorium, vt quilibet ad teſtificandum admittatur, niſi per iura reperiatur excluſus. l. 1. ff. eod. Et laici, ſiue vir, ſiue mulier, prohibentur ſolùm teſtificari de crimine contra clericum, cum criminaliter agitur. ſup. c. de cætero. & de verb. ſign. c. forus, & ibi gloſ. Ideo in hoc caſu, in quo ad probanda impedimenta electi, agitur ciuiliter in modum exceptionis; tam vir, quàm mulier, niſi aliud eis obſiſtat; poſſunt contra clericum teſtificari. vt in tex. & c. ex eo. 15. q. 3.

ET teſtes de auditu, & fama ſufficienter non probant.

QVIA teſtis debet deponere de eo, quod eſt geſtum, vel dictum in præſentia ſua, & quod proprio ſenſu veraciter percepit, vt veritas facti habeatur, & neceſſariò concludat. c. inquiſitionis. §. quæſiuiſti. de accuſat. Et quoniam ea, quæ deponuntur percepta ex auditu alieno, & ex fama, non deponuntur percepta ſenſu proprio, & ſæpe ſunt falſa. c. ſuper eo. de eo, qui cogn. conſ. & l. in ſumma. §. idem Labeo, & ibi gloſ. ff. de aqua pluu. arc. Ideo tales, qui deponunt ea, quibus non interfuerunt, non ſunt propriè teſtes, nec ſufficienter probant. vt in tex. & l. teſtium. C. eod.

Cap.

Cap. 34. Cum olim.

IN cauſa liberali contra contumacem, etiam lite non conteſtata, teſtes recipi poſſunt.

QVIA cauſa libertatis eſt fauorabilis. l diffamari. C. de ingenu. man. eſt enim libertas de iure naturali primæuo. Inſtit. de iur. nat. §. ius autẽ. Et contumax eſt odioſus. c. prout de dol. & cont. qui enim refugit iudicium, apparet, cum eſſe de ſua iuſtitia diffiſum. c. Chriſtianis. 11. q. 1. Et quoniã vbi cauſa fauorabilis ſuadet, receditur à communi regula iuris, & aliquid ſpecialiter ſtatuitur, l. ſcire. §. ſufficit. ff. de excuſat. tut. & contumacia eſt punienda, ne quis de inobedientia glorietur, & cæteri ſimile exemplum in detrimentum iuſtitiæ, & ſuperioris, ſequantur. c. veritatis. de dol. & cont. Ideo licet ſit regula communis, vt, lite non conteſtata, ad teſtium receptionem non procedatur. vt lit. non cont. per totum. ſunt tamen aliquæ cauſæ ſpeciales, & fauorabiles, in quibus à dicta regula receditur. c. quoniam. d. tit. vt lit. non cont. inter quas eſt cauſa libertatis contra contumacem. vt in tex. & c. cauſam. de dol. & cont.

Cap. 35. Ex tenore.

PVBLICATIS atteſtationibus, admittitur aduerſarius ad probandum contrarium, ſi ante publicationem ſuper hac probatione contraria inſtrui non potuit.

QVIA in tali caſu non poteſt parti imputari, cur id non probauerit ante publicationem, cum aduerſarius ſuum articulum clare non ſpecificauerit; ſed bene ipſi aduerſario eſt ſua obſcuritas imputanda. infr. c. penult. & ibi gloſ. fin. & ex quo aduerſarius non potuit prius ſuper tali caſu inſtrui, non præſumitur, quod modo velit per teſtes ſubornatos probare. gloſ. fin. hic. & gloſ. penult. in c. ſi teſtes. 4. q. 3. Et quoniam vbi parti non poteſt imputari, probationis copia non eſt ei ſubtrahenda. infr. c. penult. Ideo ſicut debita ſpecificatio aduerſarij repellit, poſt atteſtationum publicationem, probationem directè contrariam. infr. Clem. 2. ita indebita eius ſpecificatio cauſat, vt illa admittatur. vt in tex. & Ioan. And. in addit. Specul. de teſte. §. ſæpe.

Cap. 36. Significauerunt.

IN DVLGENDA eſt in cauſa quarta productio teſtium, petita cum ſolemnitate legali.

QVIA poſt tertiam productionem deteguntur aliquando noui teſtes, quos pars, abſque ſua culpa, prius producere non potuit. infra c. penult. Et ſine culpa, non eſt probationis copia alicui anguſtanda. Authent. de teſtib. §. ſancimus. coll. 7. Sed quoniam ex iterata toties productione eſt præſumptio, quod producens fuerit percuncta-

cunctatus dicta testium, & quia fortè illi non probabant, fit inductus ad producendos alios subornatos. supr. c.in causis. Ideo prius exigitur ab eo iuramentum huius præsumptionis purgatiuum, & postea conceditur ei ista productio. infr. c. penult. & Authent.in d.tit.§.quia verò.

CAVSA legitima non refragante.

QVIA testium effrænata multitudo, vt litium sit finis, est restringenda.infr.c.prox.& l.1.ff.eod. Et quoniam ex hac causa, & ne altera pars indebitè in iudicio vexetur, potest iudex denegare etiam tertiam, & secundam testium productionem.c.cum dilecti. de dol.& cont. & l.nonnunquam. ff.de iudic. Ideo multo fortius ad effrænandam testium multitudinem, potest quartam productionem denegare. vt in tex. & Authent.in d.§.quia verò.

ALIAS legitimè appellatur.

QVIA iudex, qui sine iusta causa priuat aliquem beneficio sibi à iure indulto, indebite illum grauat. Authent.de iudicib.§.oportet. coll.6. Et quoniam de iure canonico potest à quolibet grauamine præsenti, vel præterito, etiam per interlocutoriam illato, appellari.cap. cum cessante.de appellat. Ideo ex quo ius indulget parti hanc quartam testium productionem cum solemnitate legali petitam, si iudex sine iusta causa illam denegat, legitimè appellatur. vt in tex.& c. pastoralis. de except.

Cap. 37. Cum causam.

DILIGENTER examinandi sunt testes.

QVIA ius oritur ex facto.l.si ex plagis. §.in cliuo. ff.ad leg.aquil. Et quoniam ad facti veritatem non facile peruenitur, nisi circunstantiæ omnes diligenter perquirantur. c.occidit.23.q.8. Et veritas sæpius exagitata, magis splendescit in lucem. c.graue. 35. q.9. Ideo iudicantem oportet cuncta rimari.c.iudicãtem.30.q.5. Et diligenter testes examinare, de singulis circunstantijs prudenter inquirendo, de causis videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, & certitudine, cuncta plene conscribere faciens. vt in tex.& l.3. ff.eod.

ET puniendi, qui eos impediunt.

QVIA qui præstat in causa impedimentum veritati, grauiter peccat, & pro hoc potest excommunicari. supr.c.tam literis. Vterq. enim reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; nam & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.c.quisquis.11. quæst.3. Et quoniam iudicis iurisdictio ad omnia se extendit, sine quibus causa expediri non potest.c.præterea.de offic.deleg. & l.2.ff.de iurisd.

iuriſd.omn.iud. Ideo ſi teſtes, quos pars ad perhibendum teſtimonium veritati duxerit producendos, quis præſumpſerit impedire, iudex debet illum compellere ab huiuſmodi præſumptione ceſſare. vt in tex. & c.1.de offic.deleg.

ET ipſorum teſtium multitudo eſt per iudicem refrænanda.

QVIA ſuperflua teſtium multitudo potius confundit proceſſum, quàm adaperiat veritatem; & inutiliter vexat iudicem, partem, & teſtes.l.1. ff.eod. Et quoniam iudex non debet nimium in vna cauſa immorari, ne per illam cæteræ negligantur.c.cum ſit.de appellat. Et partes non debent vltra modum grauari laboribus, & expenſis.c.finem.de dol.& cont. & cauſa teſtificandi, non debent homines diu à ſuis negotijs auocari. l.ſed ſi quis. ff. quemad. teſtam. aper. Ideo licentia producendi teſtes, eſt per iudicem moderanda, & ad ſufficientẽ numerum teſtium coarctanda; vt eum ſolum teſtium numerum euocari patiatur, quem ad habendam veritatem, putauerit eſſe neceſſarium. vt in tex.& d.l.1.ff.eod.

Cap. 38. Veniens, il 2.

ATTESTATIONES receptæ in ſummario, fidem non faciunt in plenario iudicio.

QVIA in iudicio ſummario exigitur leuior probatio, quam in plenario; cum in ipſo agatur de modico præiudicio; vnde in eo non fit litis conteſtatio. Clement.ſæpe.de verb.ſign. Et quoniam vbi maius periculum vertitur, cautius eſt agendum. c. vbi. de elect. in 6. Ideo vbi atteſtatio eſt ſufficiens in ſummario, non eſt per hoc perfecta probatio in iudicio plenario. vt in tex.& infr. c.cum in tua. licet etiam in eo præſumptionem faciat. Innoc.hic. Sicut probatio facta in cauſa ciuili, non eſt neceſſario concludens in criminali.c.1.eod.in 6.

ET illarum publicatione non obſtante, ijdem, vel alij teſtes ſuper eiſdem capitulis recipi poſſunt.

QVIA cauſa non eſt ſine legitimis probationibus terminanda. ſupr.c.prox. Et quoniam probationes factæ in iudicio ſummario, non ſufficiunt in plenario. vt dictum eſt ſuperius. Ideo publicatio atteſtationum iudicij ſummarij, non debet obſtare in plenario. vt in tex. & infr.c.cum cauſa. Vnde. c.fraternitatis, & ſimilia, quæ dicunt publicationem obſtare, debent intelligi, quando atteſtationes ſunt receptæ ad eundem finem, & ſunt ſufficientes in vtroque iudicio. gloſ.hic. ſicut ſimile dicitur de effectu ſententiæ. l. cum quæritur. ff. de except. rei iudic.

Cap.

Cap. 39. Tuis.

RELIGIOSI etiam, ad teſtificandum non admittuntur abſque iuramento.

QVIA iuramentum exigitur à teſte, vt ipſius timore magis incitetur ad dicendam veritatem. c. ex literis. de iureiur. & S. Thom. 2.2.q.70.art.4. Et quoniam ob id eſt regula generalis, vt in alterius præiudicium, nullius teſtimonio credatur, niſi iuratus depoſuerit. c. ſi teſtes. 4.q.3. Et qui omne dicit, nihil excludit. l. Iulianus. ff. de legat. 3. Ideo ſiue teſtis ſit religioſus, ſiue non, debet de dicenda veritate in iudicio iurare. vt in tex. & infr. c. nuper.

NISI à partibus remittatur.

QVIA iſtud iuramentum in partium fauorem principaliter præſtatur. gloſ. hic. & c. etſi Chriſtus. de iureiur. Ipſarum enim intereſt, ne in cauſa veritas occultetur. c. non ſanè. 14.q.5. Et quoniam fauori pro ſe principaliter introducto, quilibet renunciare poteſt. c. ad apoſtolicam. de regular. Ideo à partibus poteſt hoc iuramentum teſtibus remitti. vt in tex. & l. fin. C. de fideicom.

Cap. 40. Dilecto.

DELEGATVS neceſſarius in teſtem, remouetur à iudicando, & alius ſubrogatur.

QVIA in eadem cauſa non poteſt quis eſſe iudex, & teſtis. c. forus. de verb. ſign. Et quoniam facilius reperiuntur centum iudices, quàm vnus teſtis. gloſ. in c. cum R. de offic. deleg. hinc eſt quod facilius recuſatur iudex, quàm teſtis. d. c. cum R. Et probationũ copię eſt fauendum. l. ne quid. §. de his. ff. de incend. ruin. & naufr. Ideo ne probationis facultas detrahatur, melius eſt, vt quis remoueatur ab officio iudicandi, ad quod alter idoneus poteſt inueniri, quam ab actu teſtificandi, in quo alter ſufficiens teſtis, vt eſt ille, qui eſt neceſſarius, non poteſt ad perficiendam probationem reperiri. vt in tex. & l. curent. ff. eod.

Cap. 41. Significauit.

NE probationis copia pereat, citato aduerſario, recipiuntur, & publicantur teſtes, quos reus induxit.

QVIA cum reus ſit poſſeſſor, non poteſt agere, nec poteſt alios cogere ad agendum. l. vnic. C. vt nemo inuit. & ſic non poteſt ad ad libitum producere teſtes poſt litem conteſtatam, iuxta diſpoſitionem. c. quoniam. vt lit. non cont. Et quoniam, niſi ſibi prouideretur de hoc remedio, per quod teſtes recipiantur, & eorum dicta perpetuò valitura, lite non conteſtata, publicentur; poſſet ius ſuum deperire per mortem

mortem teſtium, qui iuris ſui ſunt conſocij. vt in tex. Ideo vbi reus timet, ne proceſſu temporis, probationis copia valeat deperire, poteſt quandocunque producere teſtes, & eorum dicta in publica facere redigi monumenta. vt in tex. & d.cap.quoniam. Futuris enim caſibus prudenter eſt occurrendum. l. ſi quis domum. ff. locati. Et vt ſalua ſit rerum probatio, diligenter eſt curandum. cap. ſi teſtes. §. ſi res. 4. quæſt. 3. ſed quia vbi agitur de præiudicio abſentis, ad illum eſt ſemper citatio præmittenda. l. de vnoquoque. ff. de re iudic. ideo etiam in hoc caſu eſt citanda pars, contra quam tales teſtes producuntur. vt in tex. & ſupr. cap. 2.

Cap. 42. Cum cauſam.

SI materia antiqui capituli repetitur, aliquo addito, quod ſubijcitur neceſſitati probandi, poſſunt teſtes etiam antiqui, publicatis atteſtationibus, produci.

QVIA ratione adiuncti iſta eſt noua materia, licet habeat incluſam partem de antiqua. vt in tex. & gloſ. hic. Et quoniam in iure eſt attendendum, quod principaliter fit, non quod in conſequentiam venit. c. cum voluntate. de ſent. excom. Ideo licet ſuper articulis antiquis non poſſit fieri noua teſtium productio, poſt atteſtationum publicationem. ſupr. c. fraternitatis. ſecus eſt, quando productio eſt neceſſaria propter aliquid, quod ſit adiunctum ipſis articulis antiquis. vt in tex. & gloſ. in d.c. fraternitatis.

Cap. 43. Albericus.

RECIPIVNTVR, & publicantur teſtes, qui interfuerunt ſententiæ, vbi per ſcripturam de ſententia non apparet.

QVIA licet de ſolemnitate ſubſtantiali ſententiæ diffinitiuæ ſit, quod pronuncietur in ſcriptis, alias nomen ſententiæ non meretur habere. cap. fin. de re iudic. in 6. & cap. in primis, in fin. 2. quæſt. 1. exceptis breuibus cauſis, & maximè vilium perſonarum. l. fin. C. de ſent. ex breuic. recit. non tamen eſt neceſſe, quod illa ſcriptura ſit publica, ſed ſufficit priuata manu, puta, iudicis ſcripta. l. hac lege. C. d. tit. licet poſtea, vt faciat fidem, oporteat, quod notarius redigat illam in publicis ſcriptis. cap. quoniam. de probat. Et quoniam in ore duorum, vel trium teſtium, ſtat omne verbum. Matth. cap. 18. Ideo acta iudicij, in ſcriptis publicis non redacta, poſſunt per teſtes, qui ſententiæ interfuerunt, probari, & in publicam ſcripturam per notarium redigi. vt in tex. & d. cap. quoniam. Ad quam publicationem faciendam, ſunt vocandi illi, quos negotium tangit. ſupr. cap. ſignificauit.

Cap.

Cap. 44. Cum in tua.

PVBLICATIS attestationibus, possunt produci testes super eodem articulo, vel directè contrario, qui prius fuerunt producti in iudicio summario, seu extra iudicium.

QVIA modus agendi in iudicio summario, est diuersus ab illo, qui est in plenario. Clem. sæpe. de verb. signif. & probationes receptæ in illo, non faciunt fidem in isto. supr. cap. veniens, il 2. Et quoniam ex diuersitate modi agendi, excluditur timor, qui habetur, ne quis velit post publicationem attestationum, producere testes subornatos. supr. c. cum causa. Et probationum copia non est sine legitima causa, coarctanda. infr. cap. penult. Ideo in hoc casu non obstant illa iura, quæ propter periculum subornationis prohibent, post publicatas attestationes, eorundem testium, vel aliorum productionem; & sic remanet libera facultas ad illos producendos. vt in tex. & supr. cap. ex tenore.

Cap. 45. Constitutis, il 1.

EXCOMMVNICARI possunt, qui partem impediunt in testibus producendis.

QVIA occultare veritatem in alterius præiudicium in ciuili, est peccatum mortale. c. quisquis. 11. q. 3. quod intellige, quando quis inducitur ad testificandum. inf. tit. prox. c. 1. sicut etiam est in criminali, postquam officium testis, quis assumpsit. c. ne quis. 22. q. 2. Et quoniam pro peccato mortali potest quis excommunicari. c. nemo. & c. nullus. 11. q. 3. Et agentes, & consentientes pari pęna puniuntur. c. quantæ. de sent. excom. Ideo si quis testes in causa ciuili impedire præsumpserit, quominus testimonium perhibeant veritati, potest excommunicationis pœna innodari. vt in tex. & supr. c. tam literis. & S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1.

ET denuntiandi sunt testes, non teneri iuramento de veritate non dicenda.

QVIA tale iuramentum est illicitum, & temerarium, cum sit contra bonos mores, & nutritiuum peccati. sup. c. intimauit. Et quoniam iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis. c. quanto. de iureiur. Ideo per iudicem est denuntiandum, testes per illud iuramentum ad occultandam veritatem non teneri. vt in tex. & c. olim de accusat.

ET si consanguinei impediunt testes actoris de veritate non dicenda, punitur reus, de cuius voluntate hoc fieri præsumitur.

QVIA iniquam causam ostendit se fouere, & experiri debet iudicis auctoritatem à se delusam, qui defensionis copiam subtrahit aduersario. l. prouidendum. C. de postul. Et quoniam,

non

non eſt veriſimile,vt, eo inuito, talia fierent; & ob hoc non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, eo quod, ſi voluiſſet, potuiſſet prohibere. vt in tex. Et qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur. c. vt famæ. de ſent. excom. Ideo ipſa pars principalis poteſt conſtringi per impoſitionem pœnæ, vt faciat tale impedimentum ceſſare. vt in text. & infr.tit. prox.c.peruenit. Delictum autem factum per conſanguineos, ſeu amicos, quando præſumatur factum de voluntate illius, de cuius fauore agitur, vide Oldrad.conſil.92.incipien. Rex habebat.

Cap. 46. Conſtitutis,il 2.

QVI teſtificata non didicit, nec renunciauit teſtibus producendis ſuper antiquis articulis, ſeu capitulis, teſtes etiam aliàs productos producere poteſt.

QVIA cum talis ignoret, quid teſtes dixerint in prima productione, non eſt ſuſpicio, quod poſtea eos ſubornauerit ad aliquid addendum,vel emendandum ad priora teſtificata: ſicut ſuſpicandum eſt de illo,qui iam teſtificata didicit.ſup.c.veniens, il 2. & Authent. de teſtib. §.quia. coll. 7. Et cum non renunciauerit fauori ſuo in teſtibus producendis, non eſt ſibi imputandum, vt iure ſuo in tali caſu priuari debeat. ſup. c.cum veniſſet.Et quoniam probationum facultas non eſt indebitè anguſtanda. infr.c.penult. Ideo, niſi aliud legitimum obſtet, talis teſtium productio non eſt impedienda. vt in tex. & ſup.c. de teſtibus.

Cap. 47. licet, il 2.

PONIT Concilium duodecim requiſita, ſine quibus ad probandam conſanguinitatem,in cauſa matrimoniali non valet teſtimonium de auditu.

QVIA licet ex quadam neceſſitate, præter communem formam, olim fuerit inſtitutum in conſanguinitatis, & affinitatis gradibus computandis, valere teſtimonium de auditu, cum, propter breuem hominum vitam, teſtes de viſu deponere non valerent, vſque ad gradum ſeptimum computando. c.de parentela.35.q.6. & l. non facile. ff.de gradib. Tamen quoniam pluribus exemplis, & certis experimentis eſt compertum,ex hoc multa pericula contra legitima proueniſſe coniugia. vt in tex. Et hodie prohibitio contrahendi matrimonium, quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum non excedit. c. non debet. de conſang. & affinit. Ideo ſtatuitur, ne de cætero ſuper hoc recipiantur teſtes de auditu, niſi fortè perſonæ graues extiterint, quibus fides ſit meritò adhibenda, & ante litem motam teſtificata dicerint ab antiquioribus ſuis; non vtique ab vno, cum non ſufficeret ille, ſi viueret; ſed à duobus ad minus; nec ab infamibus, & ſuſpectis, ſed à fide dignis, & omni exceptione maioribus; cum ſatis videretur abſur-

absurdum, illos admitti, quorum repellerentur auctores; Nec tamen si vnus à pluribus, vel infames ab hominibus bonæ famæ acceperunt, quod testantur, tanquam plures, & idonei testes debent admitti; cum, secundum ordinem solitum iudiciorum, non sufficiat vnius testis assertio, etiam si præsidiali refulgeat dignitate; & actus legitimi sint infamibus interdicti. Testes autem huiusmodi proprio iuramento firmantes, quod ad ferendum testimonium in causa ipsa, odio, amore, timore, vel commodo non procedant, personas expressis nominibus, vel demonstratione, vel circumlocutione sufficienti designent, & ab vtroque latere singulos gradus clara computatione distinguant, & in suo nihilominus iuramento concludant, se accepisse à suis maioribus, quod deponunt, & credere ita esse. Sed nec tales sufficiant, nisi iurati deponant, se vidisse personas, vel saltem in vno prædictorum graduum constitutas pro consanguineis se habere. Tolerabilius est enim, aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè contra statuta domini separare. vt in tex. & sup. c. quoties.

Cap. 48. Per tuas.

POST publicationem, ad petitionem producentis, interrogari non debent testes.

QVIA quemadmodum propter timorem subornationis, noui testes prohibentur produci, post attestationum publicationem. sup. c. fraternitatis. ita propter eundem timorem prohibentur & antiqui repeti. Authent. de testib. §. quia. coll. 7. Ideo ad euitandum huiusmodi periculum, ad petitionem producentis, tunc non sunt aliquæ interrogationes faciendæ. vt in tex. & sup. c. constitutis, il 2. Iudex verò potest ex officio quandocunque, etiam post publicationem, testes interrogare, fortè quia deposuerunt obscurè, & clarius velit eos percunctari. c. cum Ioannes. de fid. instrum. & l. vbicunque. ff. de interrog. act. in ipso enim cessat iste timor, & ad iustè iudicandum, debet cuncta rimari. c. iudicantem. 30. q. 5.

NISI quando dolo, vel negligentia examinatorum, super omnibus capitulis interrogati non fuerunt.

QVIA dolus, vel negligentia iudicis, parti obesse non debet. c. vt debitus. de appellat. Et quoniam probandi copiæ est potius fauendum, quàm indebitè illa sit angustanda. Authent. de testib. §. sancimus. coll. 7. Ideo si iudex non examinauit testes, vt debebat, puta, quia pars postulasset à principio, illos super certis capitulis interrogari, & iudex id malitiosè, vel negligenter prætermisisset; non obstante attestationum publicatione, erunt ipsi testes super huiusmodi articulis, ad partis instantiam interrogandi. vt in tex. & cap. 2. eod. in 6.

Cap.

Cap. 49. Licet, il 3.

TESTES probatorios,& reprobatorios probatoriorũ reprobare licet.

QVIA vt veritas facti habeatur, & neque actor, neque reus per falſos teſtes iniuſtè opprimãtur,vtrique parti eſt in iudicio æqualiter ſubueniendum. c.2.eod.in 6.& l.eos.C.eod. Et quoniam, niſi liceret vni parti reprobare iniquos teſtes ab altera parte inductos, ſæpe veritati falſitas præualeret.ſup.c.preſentium.Ideo iudex debet recipere teſtes, quos contra perſonas productorum ſuper principali negotio, partes duxerint producendos; quos ſi rurſus pars altera, vel vtraque voluerit reprobare,contra illos ſunt probationes admittendæ. vt in tex.& c.licet.de probat.

SED reprobatorios reprobatoriorum, non licet.

QVIA ſi producendi quartos contra tertios, & ſic deinceps partibus licentia tribueretur, negotium diutius contingeret protelari. vt in tex.& infr.c.penult.Et quoniam infinitas eſt euitanda.l.vt inter.C.de ſacr.ſan.eccl.Et litium finis eſt procurandus.c.finem. de dol.& cont.& l.fin. ff.pro ſuo. Ideo tertia teſtium reprobatio non eſt admittenda. vt in tex.& d.c.2.in 6.

Cap. 50. Præſentata.

ATTESTATIONES receptæ per arbitrum, fidem faciunt in iudicio, ſi teſtes mortui ſunt.

QVIA acta geſta in vno iudicio,faciunt fidem in alio. l. geſta. C. de re iudic. Et quoniam coram arbitro, licet non ſit ſtrictè iudicium, ex quo arbiter non habet iuriſdictionem,ſed quandam notionem.l.1. C.de arbitr. nam partes compromittentes, cum ſint priuatæ perſonæ, non poſſunt dare iuriſdictionem non habenti. l.priuatorum. C.de iuriſd.omn.iud. eſt tamen coram eo quaſi iudicium; cum arbitria ſint redacta ad inſtar iudiciorum. l. 1. ff. de recept. arbitr. Et nimium graue eſſet, quod iſta acta, factum reſpicientia, perirent per mortem teſtium; cum per alios teſtes forſan non poſſent poſtea haberi. l.fin. C. de teſtib. Ideo licet de mero, & ſtricto iure, acta coram arbitro, non deberent valere, vt acta iudicialia; de æquitate tamen,vt ſalua ſit rerum probatio,& vt habeatur reſpectus ad communem partium conſenſum, quæ elegerunt arbitrum, vt quendam bonum iudicem, ſtatuitur, quod, ſi teſtes mortui ſint, eorum atteſtationes receptæ coram arbitro, faciant fidem etiam in iudicijs ordinarijs. vt in tex. & l. cum ante. C. de arbitr.

SI viuunt, eſt in optione illius, contra quem teſtes producti ſunt, an velit atteſtationes recipere, an teſtes de nouo deponere, etiam ſi atteſtationes publicatæ ſunt.

QVIA cum tales teſtes poſſint rurſus haberi, non eſt ita periculum, quod facti veritas pereat, ſicut eſt, quando mortui ſunt. ſup.cap. conſtitutis. Sed quoniam quilibet poteſt renunciare iuri pro ſe principaliter introducto. l.penult.C.de pact. Ideo in hoc caſu ius noluit cogere ad habendam fidem illis atteſtationibus, ſicut quando teſtes ſunt mortui; nec voluit illas reprobare, tanquam ſi non eſſent iuridicè factæ; ſed ſtatuit quoddam medium inter vtrunque, vt ſit in arbitrium partis, contra quam teſtes ſunt producti, an illis atteſtationibus ſtare velit. vt in tex. & l.fin. C.de teſtib.

Cap. 51. Nuper.

NON creditur teſti, etiam religioſo, qui ſine iuramento deponit.

QVIA in iudicijs eſt maximè inuigilandum, vt veritas facti habeatur, ne per ſententiã alicui damnum iniuſtè infligatur. c. ſi teſtes. 4.q.3. Ius enim oritur ex facto. l.ſi ex plagis. ff.ad leg. aquil. Et factum ex probationibus percipitur. ſup.c.licet. Et iuxta probata eſt ferenda ſententia. l.illicitas. ff.de offic. præſid. Et quoniam timore iuramenti, teſtes magis incitantur ad dicendam veritatem. c.hortamur. 3. q.9. Homines enim maximè abhorrent peccata, quæ ſunt contra Deum, quaſi grauiſſima, inter quæ eſt periurium; non autem ita abhorrent peccata, quæ ſunt contra proximum. S.Thom. 2. 2. q.70. art. 4. Ideo ad maiorem certitudinem teſtimonij, vbi vertitur præiudicium alterius, à quocunque teſte requiritur iuramentum. vt in tex. & ſup.c.tuis.

Cap. 52. Venerabili.

DILIGENTER examinandi ſunt teſtes.

QVIA iudex debet ſententiare ſecundum allegata, & probata. l.illicitas. ff.de offic. præſid. Et quoniam ad facti veritatem non facilè peruenitur, niſi circunſtantiæ omnes diligenter inquirantur. c.occidit. 23.q.8. Ideo vt iuſta ſententia feratur, oportet iudicantem cuncta rimari. c.iudicantem. 30. q.5. Et teſtium fidem diligenter examinare. vt in tex. & l.3. ff.de teſtib.

ET ſigillatim.

QVIA ſi plures ſimul examinarentur, vnus inſtrueret alium; & alter ſequeretur dictum alterius; & ita ex eorum colluſione non poſſet facile deprehendi, an verum, vel falſum, concorditer depoſuiſſent. l.minime, & ibi gloſ. ff.de legib. Et quoniam plures teſtes

exami-

examinantur, vt ex eorum depoſitione veritas facti percipiatur. ſup.c. licet, il 2.& S.Thom. 2.2.q.70. art.2. Ideo teſtes examinandi ſunt ſigillatim,& ſecreto. vt in tex.& l.nullum. C. de teſtib. Exemplo Danielis, qui ſic examinauit teſtes, qui accuſabant Suſannam. Daniel.cap.13.

ETIAM ſi agitur de vita; & miraculis alicuius canonizandi.

QVIA circa maiora vertitur maius periculum. c. miramur. diſt. 61. & ob id in eis cautius eſt agendum. c. quieſcamus. diſt. 42. Et quoniam canonizatio Sanctorum eſt maximum negotium, quod ſpectat ad ſolum Papam.c.vnic.& ibi gloſ.de reliq.& ven.ſanct.in 6. Et ad illam obtinendam non ſufficit vita ſine miraculis. Abb. hic. quod intellige ad finem canonizationis, non ad finē beatitudinis; nam ad eſſe ſanctitatis non requiruntur neceſſario miracula. d. c. vnic. in 6. ſed non debet quis canonizari, niſi etiam de miraculis conſtet, quia ſine illis ignoramus, an ficte vitam duxerit, & ſic an fuerit dignus ira, vel miſericordia. c.fin.de purg.can. Nec ſufficiunt miracula ſine vita; quia miracula fiunt quandoque per malos, non ex dono Dei; ſed arte Diaboli. c.teneamus. & c.prophetauit.1.q.1.& S.Thom.2.2.q.178.art. 2. Ideo nemo eſt canonizandus, niſi prius per diligens examen, ex depoſitione teſtium fide dignorum, clare conſtet de illius vita optima, & miraculis certis; vt vnum confirmet aliud. vt in tex.& d. c.vnic.in 6. & ibi gloſ. quæ latè tractat de canonizatione Sanctorum, quomodo ſit facienda.

Cap. 53. Cum clamor.

ITERVM examinandus eſt teſtis, qui obſcurè depoſuit, ex iudicis officio.

QVIA graue eſt, ſuper re incerta certam ferre ſententiam. cap. graue.11.q.3.Et quoniam iudicis non intereſt,quænam pars cauſam vincat.c.forus. de verb.ſign. & ei ſemper ſunt publicata dicta teſtium, ſiue per ſe receperit illa, ſiue per tabellionem. cap. cum Ioannes. de fid. inſtrum. Et ſic non cauſatur in eo timor ſubornationis propter atteſtationum publicationem, ſicut cauſatur in partibus. ſup. c.fraternitatis. Ideo quandocunque æquitas mouet iudicem, ex officio ipſe poteſt iterum examinare teſtes, qui depoſuerunt obſcurè; & iuxta animi ſui motum poteſt ipſos interrogare, etiam vbi proceſſit inter partes. vt in tex.& l.vbicunque.ff.de interrog.act.

Cap. 54. Teſtimonium.

PERSEVERANS in crimine, etiam in ciuili repellitur à teſtimonio.

QVIA iuſtitia, quæ eſt virtus eximia, non poteſt cum ſcelerato homine habere commercium. c. forus. de verb. ſign. Nec poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo extat infidelis. c.non poteſt. 2. q. 7. Et quoniam teſtes examinantur in iudicio, vt ab eis facti veritas ſincerè habeatur. l. 3. ff. de teſtib. Ideo non eſt credendum contra alios eis, qui criminibus implicantur; & tales non ſunt pro teſtibus adhibendi. vt in tex. & c.non eſt. 3. q. 11.

EMENDATVS verò, non infamis, admittitur in ciuili, & etiam in criminali mota ciuiliter.

QVIA cum renunciatur improbitati, ſtatim adipiſcitur virtus; egreſſus enim malitiæ, virtutis operatur ingreſſum; eodemq. ſtudio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur. S. Ambroſ. lib. 2. de Cain, & Abel. cap. 4. Sed quoniam actus legitimi ſunt infamibus interdicti. c. inter. de exceſſ. prælat. & l. vnic. C. de infam. lib. 10. Ideo licet emendatus de crimine non repellatur à teſtimonio, propter crimen præteritum; repellitur tamen, ſi ex crimine ſit per ſententiam iudicis, vel per euidentiam facti, infamis effectus; & non ſit in integrum poſtea ad famam reſtitutus. vt in tex. & infr. tit. prox. c. præterea. Licet enim per pœnitentiam animas ſaluare poſſimus, infamiam tamen abolere non poſſumus. c. Euphemium. §. hinc. 2. q. 3. Qui autem dicantur infames, & quomodo infamia irrogetur. vide c. infames. 6. q. 1. & c. infames. 3. q. 7. Emendatio verò de crimine poteſt probari per ſacerdotem parochum illius. glo. penult. hic. & c. in capite. diſt. 50.

FALLIT in periuro, qui in criminali repellitur.

QVIA qui ſemel deliquit in aliquo officio, eſt ſemper ſuſpectus in illo; & remanet grauata eius opinio, licet ipſe egerit pœnitentiam. c. quicunque. 6. q. 1. & l. ſi aliquid. C. de ſuſpect. arb. lib. 10. Et quoniam in criminali cauſa, propter maius periculum, quod vertitur de vita hominis, requiruntur probationes indubitatæ, & luce clariores. c. 1. de except. & l. ſciant. C. de probat. Ideo qui fuit periurus, licet poſtea ſit emendatus, non recipitur in teſtem in cauſa criminali criminaliter mota, ne in tam graue præiudicium alterius, idem crimen in teſtimonio ferendo incurrat. vt in tex. & c. teſtes. 2. q. 7. A quo etiam repellitur, in eius pœnam, vt puniatur in illo officio, in quo peccauit. c. literas. de ſuppl. negl. præl.

Cap. 55. Vltra.

QVARTA productio non eſt danda ſine ſolemnitate legali, de qua hìc.

QVIA cũ per tres productiones conceſſas potuerit pars ſufficienter, & abundanter probare, etiam ſi in qualibet productione tantùm

eantùm teſtem vnum produxerit. ſup. c.in cauſis; poſtea petendo aliam productionem, eſt præſumptio, quod hoc malitiosè faciat, vel quia velit nimium prolungare litem, & ad hoc effrenatam teſtium producere multitudinem. ſup.c.ſignificauerunt; vel quia ſit percunctatus dicta teſtium productorum, & videndo, quod illi pro ſe non probant, velit poſtea producere teſtes ſubornatos. infr. Clem. 2. Sed quoniam poteſt tamen eſſe, quod per ipſum non ſteterit,quin teſtes in alijs tribus productionibus adduxerit, ſed ex legitimo impedimento, & ex difficultate teſtes habendi. c.anteriorum, & ibi gl.ver.vitium.2.q.6. Et quando per aliquem non ſtat, ſibi non eſt imputandum.l.fin.C.de condit.inſert. Et probationum copia non eſt iniuſtè anguſtanda. Authent. de teſtib. §.ſancimus.coll.7.Et cum in dependentibus ab animo,ſtetur iuramento. ſup. c. præſentium. Ideo vltra tertiam productionem non debent teſtes produci in cauſa, niſi præſtito ab eo, qui hoc poſtulat, iuramento, quod neque per ſe, neque per alium teſtificata ſubtraxerit, vel fuerit percunctatus; neque per dolum, aut artem aliquam,quartam productionem expoſcat; ſed quia quos deſiderat de nouo producere, prius habere nequiuit. vt in tex.& Authent.de teſtib.§.quia.coll.7.

Cap. 56. Non debet.

ACCVSATVS criminaliter, non admittitur in teſtem contra alium in cauſa criminali, ſua accuſatione pendente.

QVIA in cauſa criminali, teſtes debent eſſe abſque vlla infamia, vel ſuſpicione, vel manifeſta macula.c.1. de excep. & c. teſtes. 2. q. 7. Propter periculum enim, quod in illa vertitur de vita hominis, requiruntur probationes indubitatæ, & luce clariores. l.ſciant. C.de probat. Et quoniam cum aliquis accuſatus eſt de crimine, ſtatim eſt grauata eius opinio, & non eſt integri ſtatus. c. omnipotens. de accuſat.& l.reum. C.de procur. Ideo non debet quis ad teſtificandum in criminalibus admitti, pendente accuſatione de crimine contra ipſum; cum etiam accuſati (niſi prius ſe probauerint innocentes) ab accuſatione, ac ſuſceptione ordinum repellantur.vt in tex.& c. tantis.diſt.81. In cauſa verò ciuili admittitur.gloſ. ſup. in c.veniens. il 1. quia in ea non agitur de tam graui præiudicio, ſicut in criminali. ſup.c.teſtimonium. Et ob id ſtatur probationibus minus claris. c.ſicut.de probat. & l.addictos.C.de appellat.

NISI in exceptis criminibus.

QVIA in odium talium criminum, quæ ſunt de maioribus, ne remaneant impunita, facilius minus idonei teſtes admittuntur. c.tanta. de ſimon.& c.1.hoc tit.in 6.Et quoniam ex eo,quod quis eſt accuſatus, non ſtatim apparet eum eſſe criminoſum, licet eius fama facti interim ſit diminuta.cap.ſciſcitantibus.15.q.8. Ideo accuſatus

non repellitur in talibus tanquam criminosus, & malæ famæ, sed in eis ad testificandum admittitur. vt in tex. & c. per tuas. de simon. Quæ autem sint crimina excepta, not. Specul. in tit. de accusat. in fin. Sunt enim crimen hæresis. c. vergentis. de hæret. Crimen læsæ maiestatis. c. si quis. 6. q. 1. & crimen simoniæ. c. licet Hely. de simon. Sed vbi appareret, testem esse criminosum, & vilem, tunc non esset admittendus etiam in exceptis criminibus, nisi contra illum, qui est malæ famæ, & etiam tunc non esset ei credendum, nisi cum alijs adminiculis. c. cum P. de accusat. & c. in primis. 2. q. 1.

In Sexto. Cap. 1. Mediatores.

SOCIVS in crimine simoniæ admittitur in testem, si sit socius criminis tantum, & agatur ciuiliter.

QVIA simonia est vnum de maioribus criminibus, in quorum detestationem admittuntur testes non vsquequaque idonei. c. tanta. de simon. Et quoniam quando agitur ciuiliter, non tractatur de tam graui præiudicio, sicut quando agitur criminaliter. ext. c. testimonium. Et ille, qui est socius criminis tantum, non est ita infectus, sicut ille, qui est socius criminis, & muneris. ext. c. veniens, il 1. Ideo mediatores, per quos scelus simoniæ plerunque committitur, ad testimonium contra sceleris eiusdem auctores, in detestationem criminis, admittuntur, si ciuiliter agatur, & emolumentum exinde non fuerint assecuti. vt in tex. & c. si quis Papa. dist. 79.

ALIAS non.

QVIA in causa criminali requirùntur probationes indubitatæ, & testes nulla infamia laborantes. c. 1. ext. de except. & l. sciant. C. de probat. Et quoniam socius criminis est effectus infamis. c. 1. ext. de confess. Et infamibus, & criminosis regulariter non est credendum. c. neganda. 3. q. 11. Ideo etiam in hoc crimine, propter graue præiudicium, quod vertitur, quando criminaliter agitur, non est talium testificatio tunc admittenda, licet admittatur, quando agitur ciuiliter. vt in tex. & c. nemini. 15. q. 3.

Cap. 2. Præsentium.

ABBAS debet iurare in animam suam, & fratrum, vel maioris partis conuentus, ex consensu ipsorum, de veritate dicenda in causa conuentus.

QVIA

QVIA cum in tali cauſa Abbas non habeat liberam adminiſtrationem ſine conuentu, eius confeſſio, vt eſt abbas tantum, non poteſt præiudicare eccleſiæ.c.1. ext.de his, quæ fi. à ma.par.cap. Et quoniam cum parte aduerſa æqualiter non procederet, ſi præiudicare non poſſet, ſicut illa per confeſſionem ſibi præiudicat.c.1.ext. de procur. Et in iudicijs æqualitas eſt ſeruanda. c.in iudicijs. infr.de reg. iur. Ideo Abbas, qui in tali cauſa interuenit in iudicio,debet iurare de veritate dicenda, in animam ſuam, vt prælatus,& in animas fratrum, vt procurator. vt in tex. & c. 4.& ibi gloſ.penult.diſt.22. Debet autem iurare in animas fratrum, non in animam conuentus. gloſ.ver.conuentuum. quia conuentus, ſicut vniuerſitas, non habet animam. c. Romana. §.fin.infr.de ſent.excom.

SI per iudicem fuerit admiſſa poſitio continens plures articulos, debet ipſe iudex ſigillatim, & ſeparatè interrogare ſuper quolibet articulo in poſitione contento.

QVIA poſitio habens plura membra, in vno falſa, in alio poteſt eſſe vera. l. ſi is, qui. §. vtrum. ff. de reb. dub. Et quoniam per interrogationem factam coniunctim ad illa membra, non aperiretur via ad habendam diſtinctam reſponſionem pro certa veritate illorum. l.vbi. §.qui id.ff.de verb. oblig. Et interrogationes fiunt ſuper poſitionibus, vt rei certa veritas habeatur. gloſ. ver.interrogatoria. Ideo in tali caſu debet iudex ſuper quolibet articulo poſitionis, non autem ſuper poſitione in generali, partem interrogare. vt in tex. & l. certum. ff.de confeſſ.

§. Teſtes.

TESTES producendi ad reprobandos teſtes partis alterius in cauſa principali productos, ſunt in poſitionibus nominatim exprimendi cum ſpecificatione criminum, quæ per ipſos contra teſtes reprobandos probari intenduntur.

QVIA ſi ille, qui dat poſitiones, non exprimeret, per quos teſtes earum ſingulas probare intendat: & crimina, quæ intendit obijcere, non ſpecificaret, poſſet ſub tali generalitate variare, & committere fraudes,ad protrahendum negotium in infinitum.ſup.de elect.c.vt circa, & de reſcript.c.2. Et quoniam fraudibus eſt obuiandum. c. plerunque. ext.de reſcript.Et litium finis eſt procurandus. c.finem. ext.de dol.& cont. Ideo in poſitione, ſunt teſtes producendi, & crimina alijs teſtibus obijcienda, ſpecificè nominandi. vt in tex. & l. de ætate. §. quod autem. ff. de interrog. action. Vnde poſitio eſt hoc modo facienda. Talis intendit probare talem teſtem adulterum, pro eo, quod talem vxorem talis, publicè in ſuam tenuit concubinam; Et hoc proba-

re vult per tales teſtes N.N. & ſic de ſingulis. gloſ.hìc. ver.nomina, & gloſ.in c.1.ſup.de confeſſ.

PARS facit interrogatoria teſtibus productis contra ſe, & dantur ſuper articulis ab alia parte propoſitis, & formantur ſecundum circunſtantias cauſæ, & perſonarum productarum.

QVIA per huiuſmodi interrogationes, quæ fiunt teſtibus, magis elucidatur veritas, & an eorum dicta ſimul concordent, melius deprehenditur. ext. cap. per tuas. Et per ipſas inſtruitur examinator, ſuper quibus debeat teſtes interrogare. l.penult.ff.de interrog.act. Et quoniam ad facti veritatem non facilè peruenitur, niſi circunſtantiæ omnes diligenter inquirantur. c. occidit.23. q.8. Et probationum copiæ eſt fauendum. Authent.de teſtib. §.ſancimus.coll.7.Ideo pars, contra quam fit examinatio teſtium, eſt admittenda ad formanda contra illos interrogatoria. vt in tex.& d.c.per tuas. Vnde de conſuetudine cauſarum eſt, quod is, qui teſtes producit, dat articulos, quos probare vult; is autem, contra quem inducuntur, dat interrogationes, ſuper quibus teſtes interrogentur; Iudex verò debet recipere articulos, & interrogationes pertinentes, & tales admittere; impertinentes autem non debet admittere, ſicut nec probationes impertinentes. Archid. hìc. Et ſi aliqua iſtarum examinationum neceſſaria, fuerit in aliquo articulo omiſſa, iteratò debet fieri, non obſtante teſtium publicatione. d. c. per tuas. Ideo, datis articulis, petit pars terminum ad danda interrogatoria, quæ fiunt hoc modo; Si dixerit teſtis, verum eſſe, quod primo intentionis articulo continetur, quæratur ab eo, quomodo ſcit, & ſi ibi erat præſens, & ad quid ibi erat, & ſi ipſe vidit. Item quo anno, & die id factum fuit. Item in quo loco, qua domo, qua parte domus, qui ibi erant præſentes, & ſimilia. gloſ.hìc. ver.interrogatoria. Et hæc interrogatoria, de iure, & de conſuetudine non dantur parti aduerſæ; ne poſſet ſuper ipſis inſtruere, & ſubornare ſuos teſtes; ſed iudex per ſe, vel per aſſeſſorem examinat illa, reſecando ſuperflua, & impertinentia. Specul. de teſte. §.iam de interrogatorijs. Et etiam ſi à parte non dentur iudici dicta interrogatoria facienda teſtibus, tamen adhuc ipſe iudex debet ex officio teſtes interrogare, prout ſibi, ad habendam veritatem, magis fuerit viſum opportunum. Bald.in l.1.§.ſi curatores.ff.de magiſtr.conuent.

§. Si verò.

CVM pars vult reprobare teſtes reprobatorios ſuorum probatoriorum, exigitur ab ea iuramentum, quod ad hoc ex malitia non procedat.

QVIA

QVIA cum primi eius teſtes probatorij fuerint reprobati per iſtos partis aduerſæ, poſtea præſumitur, quod ipſa ex malitia producat alios teſtes ad reprobandum illos, quaſi prouocata velit vlciſci. gloſ.penult. hic. Et quoniam in dependentibus ab animo, ſtatur iuramento. ext. cap. præſentium. Ideo ad auferendam illam præſumptionem exigitur à parte hoc iuramentum, quod ad tales teſtes producendos ex malitia non moueatur, & huiuſmodi eius iuramento creditur. vt in tex.& ex.c.penult.

COLLEGIVM poteſt iurare, & reſpondere poſitionibus per alium.

QVIA eſſet difficile, vt omnes de collegio in cauſa iurarent,& poſitionibus reſponderent. l.vnic.ff.de libert.vniuerſ. Et quoniam collegium in cauſa vniuerſitatis cenſetur quaſi vna perſona.l.municipes. ff. ad municip. Ideo conceditur illis de collegio, vt poſſint per alium hoc iuramentum præſtare, ſicut conceditur cuilibet alio particulari. vt in tex.& c. fin. ſup. de confeſſ. licet per ſe iurare poſſent, ſi vellent. Authent.principales. §.hoc etiam. C.de iur.cal.

Cap. 3. Romana.

ADVOCATVS, vel procurator principalis cauſæ, in cauſa appellationis teſtificari non poteſt.

QVIA licet cauſa appellationis ſit diuerſa quo ad quid à cauſa principali.c.2.ſup.de iur.cal.propter alium iudicem,& etiam propter alium procuratorem,& aduocatum,qui frequenter in ipſa mutantur.c.non iniuſtè.ext.de procur.& c.ſi autem.2.q.6. Tamen quoniã mutatio inſtantiæ litis non in totum variat litem,ex quo eſt eadem cauſa, & ſunt eædẽ perſonæ principales.c.ſtatutum.2.q.6. & tam procurator, quam aduocatus principalis cauſæ,reputant ſibi ad honorem,etiã cauſæ appellationis victoriam,& ad dedecus ſuccumbentiam illius.l.fin.C. de aſſeſſor.cum cauſa appellationis ſit quidã riuulus deſcendens à cauſa principali.l.vnic. C.ne lic.in vna,ead.cauſ. Et tã aduocatus,quàm procurator eſt domino obligatus de dolo,& contumacia. l. in re mandata. C.mand.& l.non eſt ignotum. C.de adminiſtr. tut. Ideo tanquam ſuſpectus, & habens affectionem in cauſa, is,qui appellantis procurator, vel aduocatus in priori iudicio fuit,in appellationis cauſa non recipitur in teſtem. vt in tex.& l.fin.ff.de teſtib. Teſtes enim debent ſuſpicione falſitatis carere. c. teſtes.2.q.7.

IVRAMENTVM autem (præſumptione faciente pro appellante) ſibi deferri non debet,niſi iudici videatur.

QVIA licet requiratur, quod ſit præſumptio pro vna parte, vt à iudice iuramentum in defectum probationis deferatur. extr. de iureiur. cap. fin. Tamen quoniam iudex non cogitur illi, ſiue actori, ſiue

ſiue reo, pro quo eſſet præſumptio, tale iuramentum deferre; ſed eſt arbitrarium ipſi iudici, cui illud deferat, inſpectis perſonarum, & cauſæ circunſtantijs, ne tali deferretur, qui forteſſe deieraret.d.cap. fin.Ideo in huiuſmodi iuramenti delatione debet interuenire cauſæ cognitio, vt illi potius deferatur, qui deierare non præſumatur; vt ſi ſit reus, contra quem erat aliqua præſumptio, per tale iuramentum ab eo præſtitum, illa præſumptio auferatur; ſi ſit actor, qui ſemiplene probaſſet, ſic iurando plene probet, & obtineat. vt in tex. & l.admonendi. ff.de iureiur. Et in tali actu requiritur partis citatio, ex quo de eius intereſſe tractatur.Rot.deciſ.289.quæ incipit. Item licet quo ad taxationē.

In Clement. Cap. 1. Cum Iudæi.

PER teſtes Chriſtianos conuinci poſſunt Iudæi, & Saraceni, non obſtantibus contrarijs priuilegijs Regum, & Principum.

QVIA Principes non poſſunt priuilegiare contra ius naturale, aut canonicum, maximè in his, quæ ſunt in opprobrium fidei Chriſtianæ. Clem. paſtoralis. §.cęterum.de re iudic. & c.generali.25.q.1. Et quoniam huiuſmodi priuilegium, vt fideles non teſtificentur contra infideles, ne dum eſt iuri contrarium, ſed & Chriſtianæ religioni opprobrioſum eſt quam plurimum, & aduerſum. vt in tex. Principes autem aliqui ſic priuilegiabant propter magnum lucrum, quod ab iſtis infidelibus capiebant. c.quanto. extr.de vſur. Ideo Chriſtiani non poſſunt per aliquod priuilegium contrarium impediri, quin teſtificentur contra infideles. vt in tex. & c. Iudæi. extr. eod. licet ipſi infideles teſtimonium contra Chriſtianos ferre non poſſint. extr. cap.1. cum non præſumatur homini eſſe fidelis, qui Deo infidelis exiſtit.cap.ſi apud. 23.q.5. Per exceptionem tamen criminis poſſent etiam Chriſtiani à teſtificando ab ipſis infidelibus repelli. gloſ. hic. quia legitima defenſio non eſt alicui, etiam infideli, ſubtrahenda. cap. cum inter. extr.de except.

QVIBVS ſi vtantur, ſubtrahitur illis Chriſtianorum commercium.

QVIA licet de ijs, qui foris ſunt, non iudicet eccleſia, vt eis pœnam ſpiritualem infligat.c.iudæi, il 2.& ibi gloſ.extr. de iudæis. & c.multi.2.q.1. iudicat tamen eos, & punit, exigente iuſtitia, & fidei defenſione, in quantum pœna eſt temporalis; eos directè, vel indirectè coercendo. c. poſt miſerabilem. de vſur. & c. gaudemus, & ibi gloſ. de diuort. Ad Papam enim præcipue ſpectat propulſare iniurias, quæ fidei Chriſtianæ infliguntur. c.diſplicet.23.q.4. Et quoniam non modi-

modica eſt pœna; eſſe inter homines, & hominum carere conſortio. l. hi, qui ſanctam. C. de apoſtat. Ideo exhortantur Principes, ne huiuſmodi priuilegia concedant; quod ſi illa conceſſerint, prohibetur iſtis infidelibus per ſubtractionem commercij Chriſtianorum, ne illis vtantur; & Chriſtiani ſi noluerint in tali caſu ab illorum communione abſtinere, poterunt excommunicari. vt in tex. & c. etſi Iudæos. ext. de Iudæ. Quando autem Iudæi, & alij infideles puniantur per eccleſiam, & quando per Principes ſæculares, vide Anchar. conſ. 15. & Innoc. in c. quod ſuper. ext. de vot. & vot. redempt.

Cap. 2. Teſtibus.

PVBLICATIS atteſtationibus, teſtes produci non poſſunt (etiam in cauſa appellationis) ſuper eiſdem articulis, vel directè contrarijs.

QVIA poſt atteſtationum publicationem, pars potuit videre teſtium depoſitiones; & quando vult tunc producere teſtes de nouo, eſt præſumptio, quod hoc faciat ex eo, quod viderit, ſe non ſufficienter probaſſe per iam productos, & timetur, ne producat eoſdem, vel alios per ipſam ſubornatos. extr. c. fraternitatis. Et quoniam non minus in appellationibus, quam in principali cauſa ſubornatio eſt timenda. vt in tex. Ideo teſtibus ritè receptis, & eorum atteſtationibus publicatis, ſicut non licet ſuper eiſdem, vel directè contrarijs articulis, alios, vel eoſdem teſtes in principali cauſa producere, ſic non debet in appellationis cauſa licere. vt in tex. & Authent. de teſtib. §. quia verò. coll. 7. Eſt autem eadem ratio prohibendi ſuper eiſdem articulis, & ſuper articulis directò contrarijs. vt in tex. quia contrariorum ea eſt diſpoſitio, vt, cognito vno, cognoſcatur & reliquum. Inſtit. de his, qui ſunt ſui, vel ali. iur. §. 1. & Ariſt. 2. de generat. tex. 32.

Liber Secundus. Titulus XXI.

DE TESTIBVS cogendis, vel non.

In Decretal. Cap. 1. Cauſam.

IN cauſa ciuili, monendi, & inducendi ſunt teſtes ad teſtificandum.

QVIA



VIA ad iudicem ſpectat ſuccurrere parti auxilium petẽti, ne indebitè ab alia opprimatur. l. illicitas. §. ne potentiores. ff. de off. preſid. Et curare, vt peccata euitẽtur. c. 1. de offic. ordin. Et quoniam vterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; ille, quia prodeſſe non vult, iſte, quia nocere deſiderat. c. quiſquis. 11. q. 3. Ideo teſtes à partibus in ſuarum aſſertionum teſtimonium inuocatos, ne veritatem occultent, debet iudex monere, & ad teſtificandum inducere. vt in tex. & l. ſi quando. C. de teſtib. Vbi verò quis tacet veritatem non in damnum proximi, ſed potius ad ipſius proximi commodum, puta, in cauſa criminali, ne fratris crimen propaletur. c. ſi peccauerit. 2. q. 1. tunc tacere veritatem non eſt peccatum, ſi adhuc officium teſtis, quis non aſſumpſit. c. ne quis. 22. q. 2. & S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. & ob id in criminali teſtes regulariter non compelluntur. infr. c. dilectorum. licet etiam ibi in ſubſidium, quando veritas aliter haberi non poteſt, ne crimina remaneant impunita, poſſit teſtibus fieri compulſio. infr. c. peruenit, il 2.

ET ſi ſe ſubtrahant odio, gratia, vel timore, compelluntur.

QVIA qui monitus non vult teſtificari, præſumitur, quod velit veritatem malitioſe occultare. infr. c. ſuper eo. Et videtur iudicem irreuereri, & contemnere. c. veritatis. de dol. & cont. Et quoniam teſtificari eſt munus publicum, quod quis à ſe non poteſt ſubtrahere. l. 2. ff. ſi quis caut. Et ſuperiori quiſque debet, in ſpectantibus ad officium eius, obedire. c. 2. de maior. & obed. Ideo illi, qui ad teſtificandum moniti, ſine rationabili cauſa ſe ſubtrahunt, ſunt per cenſuram eccleſiaſticam à ſuperiore compellendi. vt in tex. & infr. cap. peruenit, il 1.

Cap. 2. Cum ſuper.

VBI teſtimonium eſt neceſſarium, compellendi ſunt teſtes ad illud ferendum, etiam per ſuſpenſionis, excommunicationis, & depoſitionis ſententiam.

QVIA tacere veritatem in alterius præiudicium, vbi quis inducitur in teſtem, eſt peccatum mortale. c. 1. de crimin. falſ. Et vbi veritas aliter haberi non poteſt, quis poteſt cogi ad teſtificandum, etiam ſi aliter de non ferendo teſtimonio ſuper tali facto, eſſet priuilegiatus. c. quanquam. 14. q. 2. Et quoniam propter peccatum mortale poteſt excommunicatio ferri. c. nullus. 12. q. 3. Et curare debent magiſtratus, vt ſalua ſit rerum probatio. l. curent. ff. de teſtib. Ideo ſi teſtimonium alicuius eſt neceſſarium in cauſa, ſiue ille ſit priuilegiatus de non teſtificando, ſiue non; poteſt à iudice, per illam cenſuram eccleſiaſticam, quam ipſe viderit eſſe magis conuenientem, ad teſtificandum

dum compelli. vt in tex. & infr. c. peruenit, il 2. Pœna enim, quod pro culpa sit infligenda, & quod nullus sine culpa debeat puniri, dictat ius naturale, sed determinare pœnam secundum conditionem personæ, & culpæ, est iuris positiui. S. Thom. par. 3. q. 52. art. 1. in addit. Et vbi à iure non est certa pœna statuta, sed dicit contrauenientem alicui actui esse puniendum, intelligitur pœna relicta ad arbitrium superioris. c. de causis. ff. de offic. deleg.

Cap. 3. Super eo.

TESTIS, qui timore aduersæ partis se subtrahit, testificari compellitur, etiam in criminali.

QVIA quisquis metu cuiuslibet potestatis, veritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem, quàm Deum. c. quisquis. 11. q. 3. Et quoniam aliquem per aduersarij potentiam, in iudicijs opprimi, non est ferendum. l. nec quicquam. §. fin. ff. de offic. proconsul. Ideo licet in criminalibus testificari quis regulariter non cogatur, nisi cum veritas aliter haberi non potest. infr. c. peruenit, il 2. in odium tamen partis, quæ voluit, inijciendo testibus timorem, probationes aduersario subtrahere: vt ipsa puniatur in eo, in quo deliquit, etiam in criminali testes tunc compelluntur testificari, siue veritas possit per alios haberi, siue non. vt in tex. & infr. c. dilectorum. sicut testes etiam compelluntur, si se à testificando malitiosè subtrahant. inf. c. cum contra, & c. peruenit, il 2.

Cap. 4. Peruenit, il 1.

COMPELLVNTVR testes etiam in criminali, quos accusatus malitiosè accusatori subtraxit.

QVIA nemo debet aduersario instrumenta (quorum appellatione etiam testes continentur. l. 1. ff. de fid. instrum.) subtrahere. l. nec quicquam. §. fin. ff. de offic. proconsul. Et quoniam ille, qui ea surripit, ostendit iniquam à se litem foueri, & auctoritatem iudiciariam a se delusam debet experiri. c. infames. §. si quis autem. 3. q. 7. & l. prouidendum. C. de postuland. Ideo ad detegendum tantæ fraudis, & calliditatis commentum, statuitur, vt testes, quos aduersario quis nixus est subtrahere, ad testificandum in quacunque causa, siue ciuili, siue criminali, compellantur. vt in tex. & c. constitutis, il 1. supr. tit. prox.

Cap. 5. Peruenit, il 2.

SI res aliter probari non potest, etiam in causa criminali compellendi sunt testes.

QVIA interest reipublicæ, ne crimina remaneant impunita. c. vt famæ. de sent. excom. & l. ita vulneratus. ff. ad leg. aquil. Et quoniam vtilitas publica est præferenda priuatæ. l. fin. C. commun. de legat.

Ideo

Ideo licet regulariter quis non cogatur teſtificari in criminali, ne nimiũ facilè in alterius infamiã proſilire videatur. ſup. c. 1. & S. Thom. 2. 2. q 70. art. 1. vbi tamen veritas aliter elici non poteſt, etiam in criminali ad teſtificandum compellitur. vt in tex. & infr. c. dilectorum.

Cap. 6. Cæterum.

SVPER conſanguinitate probanda, cogendi ſunt teſtes.

QVIA cum agitur de conſanguinitate probanda, ſiue ſit cauſa matrimonialis, ſiue hæreditaria, vel alia huiuſmodi, tractatur de præiudicio partis. Abb. hic. Et quoniam ſupprimere veritatem in præiudicium alterius, odio, vel gratia, cum quis deducitur in teſtem, eſt tam contra ius ſcriptum, quàm contra conſuetudinẽ actibus vtentium approbatam. vt in tex. & ſupr. c. 1. & teſtificari eſt munus publicum, à quo non poteſt quis ſe ſubtrahere. l. 2. ff. ſi quis caut. Ideo iudex poteſt in tali cauſa cogere teſtes, ad perhibendum teſtimonium veritati. vt in tex. & ſupr. c. ſuper eo. Et ſi quis monitus non vult teſtificari, eo ipſo præſumitur contra ipſum, vt ſtatim poſſit compelli. gloſ. hic. & l. ſi quis. §. planè. ff. de petit. hæred.

Cap. 7. Præterea.

TESTIS ſynodalis, qui coram ordinario ſuper matrimonio depoſuit, non compellitur iurare ſuper eo coram delegato.

QVIA iſti teſtes, per iuramentum præſtitum in ſynodo ratione eorum officij, adſtringuntur ad denunciandum epiſcopo, ſiue alteri eius miſſo, quicquid in eorum parochia fieri perpenderint contra Dei voluntatem, & publicum bonũ Chriſtianitatis. c. epiſcopus. 35. q. 6. Et quoniam generale eſt in omnibus officialibus, qui iurant aliquod officium exercere, vt illud iuramentum ſe extendat ad totum tempus, quo durant in officio, ſiue coram ordinario, ſiue coram delegato, cauſa tractetur. Hoſt. hic. ſiue illi ſint teſtes, vt hic. ſiue ſint iudices. vt in c. venientes. de iureiur. & Authent. iuſiur. quod præſt. §. & æquus. coll. 2. ſiue ſint tabelliones, vel nuntij. vt in cap. illud. de præſumpt. & cap. ad audientiam. de præſcript. ſicut & iuramentum calumniæ extenditur ad omnia, quæ in cauſa contingunt. C. de iuram. calumn. Authent. in hoc iuramento. & ſicut is, qui ſemel tulit teſtimonium in cauſa, non debet iterum compelli ad teſtificandum coram alio iudice, niſi in defectum probationum; & hoc, ne incurrat inimicitias, & ne forte incidat in contrarietatem. c. fin. de probat. Et cum ſine cauſa neceſſaria non ſit iurandum. cap. etſi Chriſtus. de iureiur. Ideo ex quo iuramentum iſtorum teſtium, præſtitum in ſynodo coram epiſcopo, ſe extendit etiam ad cauſam tractandam coram delegato, qui epiſcopi perſonam repræſentet, non debent compelli ad illud iterum præſtandum coram ipſo delegato. vt in tex. & c. ſicut olim. de accuſat.

PRO-

PROPTER ſuperuenientem infamiam, teſtis ſynodalis à teſtimonio repellitur.

QVIA huiuſmodi teſtes debent eſſe maturiores, honeſtiores, & veraciores viri totius parochiæ, vt eis de alienis peccatis ſine exceptione credatur. c. epiſcopus. 35. q. 6. Et quoniam infamia repellit etiam cæteros à teſtificando. c. teſtimoniũ. ſup. de teſt. Ideo multo magis debet repellere iſtos. vt in tex. & c. infamibus. de reg. iur. in 6.

POTEST tamen, ſi errauerit, in continenti, non ex interuallo, dictum ſuum corrigere.

QVIA correctio dicti facta in continenti, cenſetur ineſſe actui eiuſdem depoſitionis, & rationabiliter facta eſſe præſumitur. c. fin. de confeſſ. & l. error. C. de iur. & fact. ignor. ſed facta ex interuallo, timetur facta per ſubornationem partis. c. fraternitatis. ſup. tit. prox. & Authent. de teſtib. § quia verò. coll. 7. Et quoniam ſicut probationis copia, ſine rationabili cauſa, non eſt arctanda. d. Authent. §. ſancimus. ita vbi falſitas timetur, illa non eſt admittenda. c. penul. d. tit. prox. Ideo in his teſtibus admittitur correctio prioris dicti, ſi illa fiat in continenti, non autem, ſi fiat ex interuallo. vt in tex. & c. per tuas. ſupr. tit. prox. Sed licet non valeat correctio facta ex interuallo, & primo dicto tunc ſit ſtandum. vt in tex. & c. ſicut. ſupr. tit. prox. per iſtud tamen ſecundum dictum debilitatur fides, quæ erat adhibenda primo. Io. Andr. hic. Quando autem dicatur aliquid fieri in continenti, vel ex interuallo. not. in c. quia propter. de elect. & in l. continuus. ff. de verb. oblig.

Cap 8. Super his.

CVM de fama, vel vitio falſitatis inquiritur, cogendi ſunt teſtes.

QVIA inquiſitio non fit regulariter, niſi contra infamatum. c. qualiter, il 1. de accuſ. Et quoniam quando teſtis deponit contra infamatum, non poteſt dici, quod nimis citò proſiliat contra illum, ita, quod eius famę videatur eſſe detractor. c licet Hely. de ſimon. ſicut videtur ille, qui in cauſa criminali deponit contra non infamatum, quando alij teſtes non deeſſent contra illum. ſup. c. 1. & c. peruenit, il 2. Ideo ex quo in tali caſu ceſſat reſpectus detractionis, & adeſt vtilitas publica, vt crimina non remaneant impunita, coguntur teſtes tunc præbere teſtimonium veritati. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap. 9. Cum contra.

TESTES, qui ſe ſubtrahunt, etiam in criminali cogendi ſunt.

QVIA teſtificari eſt munus publicum, à quo non poteſt quis ſe ſubtrahere. l. 2. ff. ſi quis caut. Et quoniã teſtes, qui ſe ſubtrahunt, gratia,

gratia, odio, vel timore, videntur velle, quod falsitas prævaleat veritati, & quod publicum bonum (de quo agitur in causa criminali) postponatur priuato. sup. c. super eo. Ideo licet in criminali regulariter quis testificari non cogatur. infr. c. prox. vbi tamen quis se malitiosè à testificando subtrahit, potest ad ferendum testimonium, etiam in criminali compelli. vt in tex. & sup. c. peruenit, il 1. sicut etiam quando veritas aliter haberi non potest. sup. c. peruenit. il 2. & quando à parte dolosè subtrahitur. d. c. super eo.

Cap. 10. Dilectorum.

TESTES in ciuili nominati, testificari compelluntur.

QVIA qui nominatur in testem in ciuili, si à testificando se subtrahat, peccat, celando veritatem in præiudicium alterius. sup. c. 1. Et quoniam iustæ probationum copiæ est fauendum. Authent. de testib. §. sancimus. coll. 7. Et iudex debet prouidere, vt peccata euitentur. c. 1. de offic. ord. & inuigilare, ne vna pars ab alia indebitè opprimatur. l. illicitas. ff. de offic. præsid. Ideo testes, qui fuerint nominati, præterquam super criminibus (si se gratia, odio, vel timore subtraxerint) per censuram ecclesiasticam sunt compellendi, veritati testimonium perhibere. vt in tex. & l. si quando. C. de testib.

SED in criminali regulariter non coguntur.

QVIA si occultetur veritas, vbi tractatur de condemnatione alicuius, nulli ex hoc speciale damnum nascitur; vel si immineat periculum accusatori, non est curandum, quia ipse in hoc periculum sponte se ingessit. S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. Et quoniam si quis indifferenter in criminali testificari cogeretur, sæpe in alterius infamiam homines prosilirent, & detractores deuenirent. c. ex merito. 6. q. 1. Ideo regulariter quis non cogitur ad testificandum in causa criminali. vt in tex. & sup. c. 1. licet in quibusdam casibus cogatur etiam in illa. vt not. sup. in c. prox. & c. super eo.

Cap. 11. Venerabilis.

AD detegendam veritatem coniurationis, coguntur socij.

QVIA in defectum probationum, cum, scilicet, ex negotij, seu criminis natura, non potest haberi probatio legitima, admittitur probatio illegitima, & aliàs insufficiens. c. tanta. de simon. & l. penult. C. de hæret. Et quoniam crimen coniurationis est maxime odiosum, & solet cum astutia inter coniurantes occultè tractari, vt postea simul vniti in alicuius damnum prorumpant. c. coniurationum, & seq. 11. q. 1. Ideo licet ille, qui eodem infectus est crimine, contra alium regulariter testificari non possit. c. personas. sup. tit. prox. cũ ei, tanquam infami, non sit credendum. c. 1. de confess. & c. forus. de verb. sign. in odium

odium tamen conspirationis, seu coniurationis, & propter difficultatem, quæ est detegendi illam per alios testes, admittuntur, & compelluntur etiam socij ad perhibendum in ea testimonium veritati. vt in tex. & c.si quis cum militibus.6.q.1.

ETIAM iurati.

QVIA iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis. c.quanto. de iureiur. Et quoniam tale iuramentum est de re illicita, & non potest seruari sine interitu salutis æternæ. c.si verò. de iureiur. Ideo non obligat: & illi, qui sic iurarunt, denunciandi sunt, per illud non teneri. c.constitutis, il 1.sup.tit.prox. licet ad cautelam possit eis absolutio fieri. vt in tex.& c.veniens, il 1.sup.tit.prox.

Liber Secundus. Titulus XXII.

DE FIDE INSTRVMENT.

In Decretal. Cap. 1. Si scripturam.

INSTRVMENTI exemplum non solemniter sumptum, fidem non facit absque originali.

QVIA ex huiusmodi exemplis non solemniter sumptis, satis, abundèq. occasionem criminis falsitatis dari & in iudicijs, & in contractibus, manifestum est. l.comparationes.C.de fid.instrum. Et quoniam per solemnitates in illis requisitas, his fraudibns obuiatur. infr. c. fin. Ideo statuitur, vt si instrumenti exemplum sit non solemniter sumptum, absque originali non faciat fidem. vt in tex. & C.de edend. Authent. si quis in aliquo.

Cap. 2. Scripta.

CORRVIT instrumentum, si testes inscripti decesserint, nisi sigillum habeat authenticum, vel à notario sit confectum.

QVIA quando non apparet depositio testium inscriptorum, nisi per fidem factam ab illo, qui eos inscripsit, tota fides reduceretur ad scripturam vnius particularis, qui multas posset committere fraudes, testes inscribendo defunctos, & scripturam fingendo anteriorem, cum amplius ab inscriptis per eum testibus veritas non possit haberi. Abb. hic. Et quoniam sigillum authenticum præsumitur appositum de partium consensu ad præbendam fidem scripturæ, nisi

aliud in contrarium probetur. c.poſt ceſſionem. de probat. & l.2.& ibi gloſ.C.de reb.ali.non alien. Et notarius iuratus æquipollet duobus teſtibus, cum ſit ad illud publicum officium atteſtandi,ſpecialiter approbatus. c.quoniam, & ibi gloſ.ver.duos. de probat. Ideo ſcripturæ, quarum teſtes inſcripti deceſſerint, niſi per manum publicam factæ fuerint ita, quod appareant publicæ, aut authenticum ſigillum habeant, per quod poſſint probari, alicuius firmitatis robur non obtinent.vt in tex. & Authent. de inſtr. caut. & fid. §.ſed & ſi quis.coll.6.

Cap.3. Ex literis.

RESCRIPTVM Apoſtolicum propter raſuram in loco non ſuſpecto, non cenſetur vitioſum.

QVIA cum talis abraſio non ſit in verbis, quæ reſcripti impetrationem faciliorem reddant, non præſumitur facta ad aliquem decipiendum, ſed ad errorem, per ſcriptorem negligenter commiſſum, emendandum. l.ſi ex falſis. C.de tranſact. Et hoc quando ſcriptura eſt emendata de eadem manu ſcribentis. gloſ.in c.cum venerabilis. de relig.dom. Et quoniam ſine dolo non committitur falſitas. l.1.& 2.ff.de falſ. Ideo literæ Apoſtolicæ per huiuſmodi abraſionem in narratione facti commiſſam, non ſunt falſæ iudicandæ, nec etiam ſuſpectæ habendæ: præſertim, cum & priuilegia in nominibus poſſeſſionum taliter abradantur. vt in tex.& c.cum olim,il 1.de priuil. Et in hac materia, an abraſio habeat nocere; poteſt concludi, quod aut literæ emanarunt clauſæ à curia, & tunc raſura non nocet, quia propter clauſuram tollitur ſuſpicio. gloſ.hic. aut emanarunt apertæ; & tunc, aut raſura non eſt in loco ſuſpecto, vt quia eſt in narratione facti, vel in acceſſorio rei,vel in nomine poſſeſſionum in priuilegijs confirmatorijs,& tunc non habet nocere. vt in tex.& Innoc.hic. aut eſt in loco ſuſpecto, vt quando eſſet in nomine actoris, vel rei, vel iudicis, vel in data, vel in aliqua clauſula principali, puta in remotione appellationis, vel in nominibus poſſeſſionum in priuilegijs originalibus, & collatorijs, & ſimilibus; non enim poteſt in his dari certa regula, ſed bonus iudex ex varijs circunſtantijs hoc arbitrabitur. Imol. hic. & tunc, aut conſtat raſuram eſſe factam per ipſum ſcribentem, vt quia hoc teſtatur in fine ſcripturæ, ſicut ſæpe hodie faciunt tabelliones, & tunc non nocet. l. 1. & l.cancellauerat. ff. de his, quæ in teſt. delen. aut hoc non atteſtatur; & tunc,aut ex præcedentibus, & ſequentibus poteſt colligi, quod ita debet ſtare, prout ſtat in raſura, & tunc etiam non nocet. gloſ. fin. in d.c.cum venerabilis. aut non poteſt colligi; & tunc, aut raſura eſt omnino de eadē manu, quod poteſt apparere ex comparatione literarum. l.comparationes.C.de fid.inſtrum. & tunc etiam non nocet.glo.& Bart. in l.2.C.de edict.diu.Adr.toll.aut non apparet de eadem manu, & tunc redditur inſtrumentum,& reſcriptum,& priuilegium ſuſpectum,ex quo

raſura

raſura eſt in loco ſubſtantiali. l.ſi vnus. C.de teſtam.& Bart.in d.l. 2. de edict. diu. Adr. An autem poſſit quiſque corrigere, & abradere, ſi deprehendit errorem? Dic,quod non; quinimo ille, qui hoc præſumeret, careret omni commodo reſcripti. Abb. hic. Et in curia eſt canon latæ ſententiæ excommunicationis in quemcunque alium ab officialibus ſuper hoc in curia deputatis,qui in reſcripto bullato,vel notato,aliquid, ſaltem vnam figuram,vel literam,vel etiam dimidiã abraſerit, deleuerit,diminuerit,compleuerit,vel mutauerit ſine illius, ad quem ſpectat, data licentia.Hoſt.hic. Poſſet tamen impetrans,ſine aliqua pęna totam literam dilaniare,ac etiam bullam,ſi illa vti non vult. Abb.hic. nam licitum eſt cuilibet iuri ſuo renunciare.c.ad apoſtolicam.de regular.

Cap. 4. Accepimus.

REDARGVENTI priuilegium de falſo, iudex faciet illud exhiberi coram iudice,& paucis, & in loco congruo, & ſecuro.

QVIA & actor reo, & reus actori tenetur edere omnia, quibus alter eorum eſt vſurus in iudicio.l.1. ff.de edend. non vt inſtruat ad probationem per ſe præſtandam. c.1. de probat. ſed vt videatur, an ſit talis charta, cui à iudice ſit fides habenda.l.fin.& ibi gloſ.C.de edend. aliàs enim nec poſſent redargui ſcripturæ, nec poſſet ſciri, quid per illas debeat ſeruari; cum totum ex ipſarum inſpectione, & animaduerſione deprehendatur. c.porrò. de priuileg. ſicut non poſſumus de lege iudicare,niſi illa perſpecta. l.inciuile. ff.de legib. Et quoniam iudex tenetur partibus prouidere, ne in loco iudicij habeant aliquam iniuriam reportare.c.ex parte. de appellat.& c.ſiue. 33.q.2.Ideo ad obuiandum, ne priuilegium exhibendum, à quo ius partis dependet, poſſit ab aduerſario ſurripi,vel lacerari; talis exhibitio eſt coram iudice,& aliquibus alijs,in congruo,& tuto loco facienda. vt in tex.& infr. c.prox.

ET interim ſtabitur ſententiæ latæ per illud.

QVIA eſt præſumptio pro ſententia, quod ex legitimis probationibus ſit deducta,donec contrarium non probatur.c.in noſtra. de procur.Sed quoniã ſententia lata ex falſis inſtrumentis,vel teſtimonijs, reuocatur,falſo probato,& quod iudex fuerit motus ex illis,etiam præter appellationem, niſi de falſo prius fuiſſet cognitum. l. 1. C.ſi ex falſ. inſtr. Ideo licet ſententia dicatur lata per falſa priuilegia, ſiue inſtrumenta, ſiue teſtes; in ſua firmitate perdurat, & ei ſtatur, quouſque de hoc legitime cõſtet. vt in tex. & l.diuus.ff.de re iud. Falſitate autẽ probata,ipſa ſentẽtia nullius eſt momẽti.d.c.in noſtra.& l.licet.C.de proc.

Cap. 5. Contingit.

INSTRVMENTVM, vel priuilegium, quo quis vtitur coram iudice, aduerſario integraliter legi debet.

QVIA in instrumento, & priuilegio nonnunquam præcedentia, vel sequentia arctant articulum, de quo contenditur. c. cum dilecti. de donat. & l. 2. §. diem. ff. quemad. test. aper. Et quoniam & actor reo, & reus actori tenetur edere omnia, quibus vsurus est in iudicio. sup. c. prox. & l. fin. C. de edend. Ideo vt vnusquisque eorum possit scire quid per illud instrumentum, vel priuilegium, in causa, de qua agitur, fit seruandum, & quæ pars illius ei sit edenda; totum illud est coram iudice, aut aliquibus viris ab eo deputatis, parte contraria audiente, recitandum. vt in tex. & l. 1. §. edenda. ff. de edend.

SED solum illud capitulum, de quo agitur, edi debet.

QVIA ex editione totius instrumenti, vel priuilegij, sæpe contingit, vt aduocati diebus, ac noctibus illud perlegentes, suscitent lites in diuersis capitulis ipsius, super quibus nulla quæstio vertebatur. vt in tex. quas lites non possunt suscitare ex simplici lectura illius, quæ statim transit, & non relinquit tam commodam, & longam moram cauillandi super verbis ipsius. c. cum personæ, & ibi glos. de priuil. in 6. Et quoniam iudex debet prouidere, ne lites ex litibus oriantur, sed potius vt exortæ amputentur. c. finem. de dol. & cont. & l. quidam. C. si cert. pet. Ideo instrumentum, vel priuilegium, quantumcunque magnum, debet totum produci ad inspiciendum, & legendum; sed solum illius capituli, super quo vertitur quæstio, est aduersæ parti copia concedenda. vt in tex. & l. argentarius. §. edi. ff. de edend.

Cap. 6. Inter dilectos.

INSTRVMENTVM publica manu non confectum, habens sigillum, cuius literæ non sunt legibiles, vel sculpturæ deletæ, vel enormem patitur fracturam, non probat.

QVIA tota probatio huiusmodi instrumenti reduceretur ad priuatam manum vnius, qui posset falsificare sigillum alicuius, & propter aliquam similitudinem vel in literis, vel in insignijs, fingere in aliqua parte esse alterius, prout res requireret, ex quo, re vera, cuius illud sit, non apparet. vt in tex. & sup. c. 2. Et quoniam scriptura priuata vnius non probat. c. cum à nobis. de testib. & l. instrumenta. C. de probat. Et fraudibus est obuiandum. cap. plerunque. de rescript. Ideo ex quo tale instrumentum non est publicum per manum alicuius notarij iurati; cuius scriptura duobus testibus æquiparatur. cap. quoniam, & ibi glos. de probat. nec est authenticum per appositionem sigilli alicuius superioris, per quod appareat, sufficientem illi esse præbendam fidem. cap. post cessionem, & ibi glos. de probat. nec est subscriptum à testibus, qui in confectione illius fuerint præsentes, qui ad minus sint duo, vt probent. d. cap. quoniam. remanet priuata scriptura vnius, quæ non probat pro illo, qui eam producit, nec facit

suffi-

ſufficientem fidem in fauorem illius, qui nititur in ipſa. vt in tex. & l. ad teſtium. §. ſignum. ff. de teſtam.

Cap. 7. Quod ſuper.

NON valent literæ ſuper abſolutione voti, per cruce ſignatos impetratæ, tacita veritate.

QVIA omne tacitum, quod expreſſum habuiſſet retardare ſuperiorem à conceſſione reſcripti, inducit ſubreptionem, & reddit gratiam inualidam. c. poſtulaſti. de reſcript. Et quoniam abſolutio à voto emiſſo pro ſuccurſu Terræ ſanctæ, non concedebatur ſine magna cauſa. c. magnæ. de vot. & tunc non ab alio, quàm à Papa, vel ab eo, cui ipſe ſpecialiter demandaſſet. c. ex multa. de vot. Ideo qui dicit ſe eſſe abſolutum ab illo voto, hoc non probat per generales literas abſolutionis, niſi de ipſo voto faciant mentionem. vt in tex. & c. ad audientiam. de reſcript.

VEL expreſſa falſitate.

QVIA mendax precator debet carere impetratis. c. ſuper. de reſcript. Et quoniam in abſolutione ab hoc voto, eſt attendendum quid animarum ſaluti, & Terræ ſanctæ ſuccurſui magis noſcatur expedire. vt in tex. & c. quod ſuper. de voto. Ideo ſi quid in fraudem huius voti fuerit, in impetratione literarum ſuper tali abſolutione, fallaciter confictum, literæ illæ obreptitiè impetratæ non valent. vt in tex. & c. ſedes. de reſcript.

Cap. 8. Paſtoralis.

SI de extrauaganti dubitatur, an decretalis ſit authentica, aut eſt iuri conſona, & tunc iudicatur ſecundum illam.

QVIA iudex in tali caſu, non tam ipſius extrauagantis, quàm iuris cõmunis auctoritate procedere videtur. vt in tex. Et quoniam ſententia iuxta iuris diſpoſitionem eſt ferenda. cap. 1. de re iudic. Ideo cum aliqua decretalis, de qua iudex dubitet, allegatur; ſi eadem iuri communi ſit conſona, ipſe ſecundum eam non debet metuere iudicare. vt in tex. & c. ſi Romanorum. diſt. 19.

AVT eſt diſſona, & tunc Papa conſulitur.

QVIA cum talis extrauagans non ſit redacta in corpore iuris, nec iuri ſit conformis, iudex de eius validitate meritò dubitat. vt in tex. Et quoniam eius eſt interpretari, cuius eſt condere. l. fin. C. de legib. Ideo iudex non debet tunc ſecundum illam iudicare, ſed Papam ipſius conditorem debet conſulere. vt in tex. & c. ſi quando. de reſcript.

Cap. 9. Cum dilectus.

POST publicatas atteſtationes, vſque ad concluſionem poſſunt inſtrumena produci.

QVIA in inſtrumentis non timetur ſubornatio, ſicut in teſtibus; nam ex multis cauſis, & facilius deprehenditur falſitas inſtrumentorum, quàm teſtium. ſup. c. inter dilectos. & de probat. c. licet. In inſtrumento enim debent adnotari locus, tempus, teſtes, & alia, de quibus in c. abbate. de re iudic. in 6. ſed teſtis de his interrogatus, ſæpe dicit ſe non recordari. infr. c. prox. & Authent. de tabell. coll. 4. Sed quoniam per concluſionem factam in cauſa, vel per terminum præfixum à iudice ad omnia producenda, intelligitur eſſe poſtea in illa inſtantia renunciatum omnibus allegationibus, & probationibus, quæ in ipſa cauſa per partes poſſent fieri. cap. paſtoralis. de cauſ. poſſeſſ. & propr. Ideo licet poſt publicatas atteſtationes, non poſſint produci teſtes ſuper eiſdem articulis, vel directè contrarijs, propter periculum ſubornationis, quod timetur in eis. Clem. 2. de teſtib. bene tamen poſſunt produci inſtrumenta, dummodo non intelligatur eis per terminum præfixum, vel per concluſionem in cauſa, renunciatum. vt in tex. & c. paſtoralis. de except. In quibuſdam tamen caſibus etiam poſt concluſionem in cauſa, poſſunt propter rationem tunc de nouo emergentem, inſtrumenta produci. Et primo, in caſu adnotato in d. c. paſtoralis. de cauſ. poſſeſſ. & propr. Secundo in his, in quibus iudex procedit ex officio, ſi hoc viderit expedire, nam ſibi nihil eſt præcluſum. d. c. paſtoralis; ſed ſemper vniformiter viget eius officium vſque ad ſententiam inclusiuè. infr. c. prox. & Angel. conſ. 285. incipiente; Viſis atteſtationibus. Per concluſionem enim in cauſa terminatur probatio partium, vt ſit litium finis; non autem limitatur poteſtas iudicis, quin poſſit ſuo officio fungi. c. cum clamor. de teſtib. Tertio in criminalibus cauſis, cum reus vult ſuam innocentiam probare. l. diui. ff. de pœnis. & Bart. in l. 1. ff. de quæſtion. Quarto in cauſis communibus, etiam vbi proceditur ad inſtantiam, ſi inſtrumenta ſunt de nouo reperta. l. admonendi. ff. de iureiur. Quinto ſi de facto recipiuntur, tenet receptio; & videtur à concluſione receſſũ, ex eo, quod partes non contradixerũt. Rot. deciſ. 5. quæ incipit; Si poſt concluſionem. Regulariter autem non poſſunt recipi, & ſi recipiantur, poſſet altera pars appellare. vt in tex. & d. c. paſtoralis. de cauſ. poſſeſſ. & propr.

CONSVETVDO loci facit inſtrumentum authenticum.

QVIA valet conſuetudo diſponens circa ſolemnitates alicuius actus. c. 2. de conſuet. Et quoniam eius validitas ſe extẽdit etiam circa principi reſeruata. c. ſuper quibuſdam. de verb. ſign. Ideo licet creare tabelliones, qui habeant facultatem authenticandi inſtrumenta,

menta, regulariter ſpectet ſolùm ad Papam, vel Imperatorem, vel ad habentes priuilegium ab eis. Innoc. infr. in c. cum P. tabellio. Ex conſuetudine tamen, facultas authenticandi ſcripturas, poteſt competere etiam alijs, quàm notarijs creatis ab ipſis. vt in tex. & l. 1. C. de emancip. liber. Sicut etiam poteſt competere auctoritas creandi notarios. Innoc. in d. c. cum P. & Specul. in tit. de fid. inſtr. §. reſtat.

Cap. 10. Cum Ioannes.

FALSITAS inſtrumenti, vel quod deeſt inſtrumento, probari poteſt per teſtes.

QVIA etſi eandem vim obtineant inſtrumentorum fides, & teſtium depoſitiones, in litibus exercendis. l. in exercendis. C. de fid. inſtr. non tamen quodlibet inſtrumentum, tanti debet eſſe momenti, vt trium, vel plurium idoneorum teſtium depoſitionibus præferatur. vt in tex. & l. cum precibus. C. de probat. Et quoniam quod veriſimilius eſt, in iudicijs eſt ſequendum. cap. afferte. de præſumpt. Et probatio validior eſt debiliori præferenda. c. in noſtra. de teſtib. Ideo licet præſumatur pro inſtrumento, donec contrarium non apparet. c. ad audientiam. de præſcript. & l. fin. C. de fid. inſtr. admittitur tamen in contrarium probatio per teſtes, qui poſſint illud arguere de falſo, vel probare aliqua, quæ dicantur deeſſe in eo, vt plus valeat veritas, quàm ſcriptura. vt in tex. & l. 1. C. plus val. quod agit. quàm & c. Quando autem teſtes debeant præferri inſtrumento, non poteſt dari certa regula, ſed conſiderata qualitate notarij, teſtium, [illegible] gotij, arbitrabitur iudex, cui ſit magis fides adhibenda. l. 3. de teſtib. & l. optimam, in fin. C. de contrahen. & committ. ſtipul.

Cap. 11. Ex parte.

DEFECTVS literæ non vitiat reſcriptum.

QVIA ex defectu literæ non obſcuratur ſenſus reſcripti. ſup. c. inter dilectos. & l. 1. & 2. ff. de his, quæ in teſtam. delen. ſed ille præſumitur commiſſus à ſcriptore, & non viſus ab officialibus; cum oculus, & manus, etiam in proprijs eorum obiectis aliquando fallantur. c. cauſam. de probat. Et quoniam reſcriptum recipit vires ab intentione ſuperioris reſcribentis. c. ad aures. de reſcript. Et de minimis non eſt curandum. l. Seio. ff. de in integr. reſtit. Ideo ex quo in reliquis tale reſcriptum eſt legitimum, & in eo apparet de intentione reſcribentis, per modicum literæ defectum, non eſt illud vitiandum. vt in tex. & c. ad audientiam. de reſcript.

Cap. 12. G. perpetuus.

LICITE appellatur à iudice, qui parti hoc petenti, non facit edi communia inſtrumenta.

QVIA instrumentum commune, propter vtilitatem priuatam, quam continet vtriusque partis, potest quodammodo dici proprium cuiusque earum. l.prætor, & ibi glos. ver.meum. ff. de edend. Et quoniam iudex debet curare, vt reddatur vnicuique, quod suum est.l. iustitia. ff.de iust.& iur. aliter grauat partem, cui hoc denegatur. cap. quanto.de offic.ord.& à grauamine per iudicem illato potest appellari. c. vt debitus. de appellat. Ideo si iudex non facit edere commune instrumentum, cum pars hoc petit, vt per illud possit apparere interesse vtriusque partis, & de causa liquere, ob huiusmodi grauamen pars, cui denegatur, licitè appellat. vt in tex. & l.non est nouum.C.de edend. Quando autem sit facienda instrumentorum editio, etiam si non sint communia.not.in c.1.de probat.

Cap.13. Imputari.

SCRIPTVRAE contrariæ ab eodem productæ, fidem non faciunt.

QVIA qui producit pro se scripturas in iudicio, videtur confiteri, omnia in eis contenta esse vera. Innoc. in c.cum olim.de censib. Et quoniam duo contraria simul esse vera non possunt.c.solicitudinem. de appellat. & Arist. 4. Metaphysic. tex.21. Ideo cum tanta fides tunc adhibeatur vni scripturæ,sicut alteri,illæ sibi fidē derogant: & sic nihil est probatum; sibi autem imputet, qui eas protulit in iudicio, cum in ipsius fuerit potestate, quam voluerat non proferre. vt in tex.& l.scripturæ. C. eod. Hoc habet locum, quando ab eadem parte producuntur, secus si à diuersis; nam tunc illi est standum, quæ magis caret suspicione, & dignior apparet. l. optimam. C. de contrah. stipul. Sed quæritur, nunquid sit idem dicendum de testibus contrarijs ab eadem parte productis? Respond. quod non; quia in testibus non potest pars præuidere, quid sint dicturi. l.4.§.ejusdem. & §.scire.ff.de testib.& ob id non est eorum contrarietas parti imputanda; sed standum est dignioribus, & verisimiliora deponentibus. l. si plures. ff. de accusat. Et intellige prædicta de scripturis adeo contrarijs, vt aliqua diuisione, vel interpretatione non possint ad concordiam reduci. l.vbi repugnantia. ff.de reg.iur. aliàs, si fieri posset, essent ad concordiam reducendæ, & earum probatio sustinenda.c.cum tu.de testib.& c.nihil.de verb.sign.

Cap. 14. Si cautio.

SI in instrumento debiti exprimitur causa, condemnatur debitor.

QVIA confessio debiti, quæ fit expressa causa, dicitur dilucidè facta, & inducit obligationem; cum nimis esset indignum, vt quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioq. proprio resistere valeret. c.per tuas. de probat.& l.generaliter. C. de non nnmer.pecun. Et quoniam iudex debet

bet ſententiare ſecundum allegata, & probata. l. illicitas. ff. de offic. præſid. Ideo ex quo talis probatus eſt debitor, debet, petente parte aduerſa, ad ſoluendũ condemnari. vt in tex. & l. Publia, in fin. ff. depoſit.

NISI probet indebitum.

QVIA licet interim pro tali inſtrumento præſumatur, admittitur tamen clarior probatio in cõtrarium. ſup. c. cum Ioannes. vt plus valeat, quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur. l. 1. C. plus val. quod agit. Et quoniam probationibus hinc inde concurrentibus, qui clarius, & melius probat, debet ſententiam in ſui fauorem obtinere. c. propoſuiſti. de probat. & l. admonendi. ff. eod. Ideo præſumptio, quæ erat pro inſtrumento contra debitorem, per contrariam clariorem probationem ab eo factam, remouetur, & iſti clariori ſtatur. vt in tex. & l. cum de indebito. ff. de probat.

SI cauſa non exprimitur, neceſſe eſt, vt creditor probet id fore debitum.

QVIA confeſſio debiti, quæ ſit ſine cauſa, præſumitur erronea, & facta ex abrupto, vel dolo aduerſarij. d. l. cum de indebito, & ibi gloſ. ver. expoſuit. Cum in dubio nemo cenſeatur velle iactare ſuum. c. ſuper hoc. de renunc. Sed quoniam vehementior præſumptio tollit aliam contrariam. d. c. propoſuiſti. Et quilibet eſt rei ſuæ moderator, & arbiter. l. in re mandata. C. mand. Ideo ſi creditor probet rem ſibi debitam aliquo iuſto titulo, puta depoſiti, donationis, & ſimilium, tali probationi eſt ſtandum, licet in inſtrumento cauſa debiti non exprimatur. vt in tex. & l. 1. & ibi gloſ. ff. de interrog. act. Confeſſio autem quando regulariter præiudicet, vide per Specul. in tit. de confeſſ. §. nunc videndum.

Cap. 15. Cum P. tabellio.

AVCTORITATE ordinarij, poteſt notarius tabellionis mortui notas in publicam formam redigere.

QVIA curare debent iudices, vt ſalua ſit rerum probatio. l. curent. ff. de teſtib. Et quoniam ſcriptura redacta per notarium in notam, ſeu protocollum, ſiue abbreuiaturam, quæ idem ſunt, facit fidem; cum contineat requiſita principaliora inſtrumenti, licet non ſit extenſa, nec in publicam formam redacta. Specul. de inſtrum. edit. §. oſtenſo, & §. videndum. Ideo ad conſeruandam facti probationem, & ad cauendum, ne in tali extenſione, & publicatione inſtrumenti, fraus per aliquem poſſit committi; per alium notarium de auctoritate iudicis ordinarij, ad petitionem eorum, quorum intereſt tale negotium, illa debet fideliter fieri. vt in tex. & l. contractus. C. eod.

Cap.

Cap. 16. Si inſtrumenta.

INSTRVMENTVM exemplatum per tabellionem auctoritate ordinarij, eandem vim habet cum originali.

QVIA per fidele exemplum ſumptum à perſona publica ex tali originali, & per diligentem inſpectionem factam à iudice ad conformandum exemplatum cum illo, præſumitur, quod exemplum iſtud ſit omnino ſimile ipſi originali, nec aliquid plus contineat, vel minus habeat. l. fin. C. de fid. inſtr. & Specul. de inſtr. edit. §. oſtenſo. Et quoniam per huiuſmodi exemplationem prouidetur, vt ſalua ſit rerum probatio. c. cum dilecta. de confir. vtil. vel inutil. & l. publicati. C. de teſtam. Et de ſimilibus, in quibus eſt eadem ratio, idem debet eſſe iudicium. c. inter. de tranſl. epiſc. Ideo ſtatuitur, vt ſi inſtrumenta propter vetuſtatem, vel propter aliam iuſtam cauſam exemplari petantur; coram ordinario iudice, vel delegato ab eo ſpecialiter, præſententur, qui ſi, ipſis diligenter inſpectis, in nulla ſui parte ea vitiata repererit, per publicam perſonam illa præcipiat exemplari, quæ eandem auctoritatem per hoc cum originalibus ſint habitura. vt in tex. & cap. contra, & ibi gloſ. diſt. c.

Liber Secundus. Titulus XXIII.

DE PRAESVMPTIONIBVS.

In Decretal. Cap. 1. Sicut.

SICVT manifeſtè nocens eſt pœnæ obnoxius, ita & occultus.

QVIA voluntas eſt, qua peccatur, vel rectè viuitur. S. Auguſt. lib. 1. Retractat. cap. 9. Vnde voluntas eſt, quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo; opera autem teſtimonia ſunt voluntatis. Chryſoſt. homil. 19. in Matth. & ſic contrahitur crimen ex voluntate nocendi. l. 1. C. ad leg. Corn. de ſicar. Et quoniam tam ille, qui manifeſtè nocet, quam ille, qui nocet occultè, habet eandem voluntatem male agendi, & proximum iniuſte offendendi. S. Thom. 1. 2. q. 20. art. 5. Ideo ſicut noxius eſt, qui mittit lanceas, & ſagittas in mortem; ita vir, qui fraudulenter nocet amico ſuo. vt in tex. & Salom. prouerb. cap. 26. Crimina tamen facta palam, ſunt regulariter grauiora occultis, propter maius ſcandalum, quod oritur ex illis, & etiam quia taliter peccantes videntur, ſe velle rationibus,

bus,& auctoritatibus ſuperbe tueri. c.nemo. 32.q.4. & ideo regulariter grauius puniuntur. cap.vnic. de vot.in 6. licet alia conſideratione, qui clam peccat,plus peccet,quia videtur malitioſius peccare.l.fin.ff.de rit. nupt. & periculoſius peccat, quia neminem habet corrigentem. c. certè.12.q.1.

LICET poſtea dicat, ſe ioco feciſſe.

QVIA cum talis non poſſit excuſare malitiam facti, quæ eſt patens; negat malitiam intentionis, quæ eſt latens. Lira in d.prouerb.26.Sed quoniam omne maleficium præſumitur factum malo animo, & praue actum; ſicut omne beneficium præſumitur rectè factum. l. ſi non conuicij. C. de iniur. Ex fructibus enim eorum, inquit Dominus,cognoſcetis eos. Matth.cap.7. Ideo talis, qui dabat operam rei illicitæ,clam, & fraudulenter alteri nocendo, non excuſatur,ſi,cum fuerit deprehenſus,dicat; ludens feci. vt in tex. & d. prouerb.26. Quis enim ludos appellet,ex quibus crimina oriuntur?prœmio.ff.ſ.fin.

Cap.2. Afferte.

EX violenta præſumptione fertur diffinitiua.

QVIA violenta præſumptio dicitur eſſe clara probatio, informans animum iudicis ex argumentis, & teſtimonijs, quæ rei aptiora eſſe videntur. c. præterea. de teſtib. & l.3. ſ.quæ. ff.eod. Quatuor enim ſunt modi in iudicio conuincendi; Primo, iure, ſcilicet teſtibus, vel inſtrumentis.c.licet.de teſtib.& c.fin.de fid.inſtr. Secundo,facti euidentia. c.tua. de cohabit. cler.& mul. Tertio,iuris interpretatione, veluti ſæpius citatum, & contumacem eſſe reum. c. decernimus. 3.q.9. Quarto,violenta ſuſpicione,ſeu præſumptione,vt hic,& c.dixit. 32.q.1. Et quoniam de qua re iudex cognouit, de ea ſententiare debet. c.cum ſuper.de cauſ.poſſ. & propr.& l.de qua re.ff. de iudic.Ideo ex quo iudex per violentam præſumptionem de cauſa ſufficienter eſt inſtructus,ſuper illa pronunciare poteſt,& debet.vt in tex.& Authent.ſi quis.C.adulter. Sicut fecit Salomon, qui inter duas mulieres litigantes de puero, vbi in iudicio deficiebat humana probatio, ſapienter recurrit ad inclinationem naturalem, cenſendo illam eſſe veram matrem, quæ potius volebat,vt puer viuus daretur aduerſariæ,quàm diuideretur,vt altera conſentiebat.3.Regum.cap.3. Vera enim mater naturaliter ad bonum filij inclinatur. l.fin. C.de curat.fur. Eſt tamen aduertendum,quod vbi violenta præſumptio mouet iudicem ad ſententiandum,ipſe debet facere illam ſcribere in actis, qualiter ex ea fuerit motus: aliter ſi appellaretur,& ſententia ex actis non iuſtificaretur, licet ipſe iudex à quo, iuſte fuerit motus ad ſic ſententiandum, iudex tamen ad quem, cui de hoc non conſtaret,iuſtè ſententiam retractaret. vt not.in c.quoniam,& c.in præſentia.de probat.

Cap.

Cap. 3. Ex ſtudijs.

CONVERSATIO in adoleſcentia, facit præſumptionem in ſenectute.

QVIA ex multis operationibus acquiritur habitus. Ariſt. 7. Ethic. cap. 8. Et quoniam habitus eſt de difficili mobilis. prędicam. cap. 4. Et conſuetudo eſt altera natura. 2. metaphiſic. tex. 14. Et iuuentus eſt facilis ad qualitates bonas, vel malas ſuſcipiendas, quaſi planta recens, & cera mollis. 1. magnor. moral. cap. 7. Et virtutes morales non ingenerantur nobis à natura; ſed ſumus nati ad illas percipiendas, & conſuetudine acquirendas. 2. Ethic cap. 1. Et quia quod exterius agitur, interiorem mentis diſpoſitionem, & habitum repræſentat. Clem. exiui. de verb. ſign. Ideo qualis eſt quis in iuuentute, talis præſumitur fore in ſenectute. vt in tex. & infr. c. cum in iuuentute. Et ex ſtudijs ſuis intelligitur puer. Salom. prou. cap. 20. Quemcunque enim virtutibus ſtudere, cum modeſtia, continentiæ, auditioni ſapientum, obſeruantiæ mandatorum Dei, maximè ſimplicitati, & humilitati videris, huius munda, & recta opera intellige. S. Hyeronim. in d. prouer. 20. Vnde adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. prou. cap. 22. Et bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Ierem. cap. 3. Sed quia homo habet liberum arbitrium vſque ad mortem. Concil. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtificat. can. 6. Et adoleſcentium ingenia multis mutationibus ſubijciuntur. Plato de legib. lib. 1. vnde inquit Salomon: Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro; viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia. prouerb. cap. 30. Ideo conuerſatio in adoleſcentia facit præſumptionem in ſenectute: ſed non infert neceſsitatem, vt ille ſit ſemper talis permanſurus. vt in tex. & cap. 1. de pœnit. diſt. 5. At ſi ex optimis ortum eſſe parentibus, ſi ex antiquiſſimo in ſubditos fideles proueniente imperio, ſi ex virili in puerili ætate præluc̃ete ingenio, ſi ex regia educatione adhibita, bonus in Principe adoleſcente poteſt præſumi futurus gubernationis euentus, iure merito patria mea Vrbinum non minorem felicitatem ſub Sereniſsimo Principe Federico II. Feltrio de Ruuere ſibi fore prænunciat, quàm modo ſub Sereniſsimo Duce Franciſco Maria II. eius patre habeat.

Cap. 4. Nullus.

PRAESVMITVR contra illum, qui dilationibus ſubterfugit iudicium.

QVIA in iudicio debet reddi vnicuiq; quod ſuum eſt. l. iuſtitia. ff. de iuſtit. & iur. Et quoniam nemo præſumitur proprium factum ignorare. infr. c. quoſdam. Ideo nullus dubitat, quod ita iudicium nocens ſubterfugit, quemadmodum, vt abſoluatur, qui eſt innocens, quærit,

rit, & confiteri de omnibus cenſetur, quiſquis ſe ſubterfugere iudicium dilationibus putat. vt in tex.& c.decernimus. 3.q.9. Qui enim ſe offert iudicio, videtur confidere de iuſtitia ſua; qui verò illud effugit, apparet eum de iuſtitia ſuæ cauſæ eſſe diffiſum. c.Chriſtianis. 11.q.1. & l.impuberibus.§.præterea.ff.de ſuſpect.tutor.

Cap.5. Non nè.

QVI ex duobus illatis alterum negat, reliquum affirmare præſumitur.

QVIA vbi per prohibitionem meam poſſum impedire, quod fit, & taceo; tunc taciturnitas pro conſenſu habetur.c.ſi ſeruus.diſt. 54. Si vero per meam prohibitionem non poſſum impedire, quod fit;tunc taciturnitas mihi non obeſt,nec videor conſentire.l.ſæpe. ff. de re iudic. Et quoniam quando duo alicui obijciuntur, ſicut ille negat vnum,ita poteſt negare, & alterum; cum ea, quæ ſunt in voce, earum,quæ ſunt in anima,ſint paſſionũ notæ. c.ſedulo.diſt.38.& Ariſt. 1.de interpret.cap.1.Ideo duobus alicui illatis,quod de vno negatur,de alio conceditur; & excluſio vnius eſt incluſio alterius.vt in tex.& c.qui tacet.de reg.iur.in 6. Sicut cum Iudæi dixerunt ad Ieſum; non ne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu,& dæmonium habes? Reſpondit Ieſus; Ego dæmonium non habeo.Ioan.cap.8.Duo quippe ei illata fuerunt; vnum negauit, alterum, tacendo, conceſſit. Gregor. homil. 18. in Ioan.

Cap. 6. Mandata.

EX præteritis præſumitur circa futura.

QVIA ex multis operationibus fit habitus. Ariſt.7. Ethic.cap 8. Et quoniam habitus eſt de difficili mobilis. 2. Ethic. cap.4. Et iuxta illud,

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu. Horat.in epiſt. Ideo ex tranſacta vita cognoſcitur, quid de futura ſit in aliquo præſumendum. vt in tex. & ſupr.cap.ex ſtudijs. Arbor enim bona non poteſt malos fructus facere; neque arbor mala poteſt facere bonos;Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.Matth. cap.7. Et quotidianis laboribus aſſueti, etiam ſi inualidi ſint, aut ſenes, inſuetis, quamuis robuſtis, & iuuenibus,facilius conſueta ferunt exercitia.Hypocr.aphor.49.lib.2.

Cap. 7. Quoſdam.

EX vicinitate præſumitur notitia facti loci vicini.

QVIA rerum notitia acquiritur per ſenſus; cum nihil ſit in intellectu,quin prius fuerit in ſenſu. Ariſt.1.poſterior.cap.1. Et quoniam ſenſus circa proprium obiectum,vbi diſtantia eſt proportionata,

non

non decipitur. 4. metaphific.tex.24. Et teſtes debent deponere de his, quæ ipſi proprio ſenſu perceperunt. c.teſtes. 3.q.9. Ideo in vicinis præſumitur iſta notitia: cum fuerint in debita diſtantia ad illam percipiendam.vt in tex.& c.cum in tua. qui matr.accuſ.poſſ. Et ſimiliter ea, quæ ſciuntur per famam, melius poſſunt ſciri à vicinis, vnde ipſa puriorem originem ducit, quàm à remotis, ad quos vagando, ſæpe cum mendacijs admixta peruenit. infr. cap. illud. & de accuſat. cap. qualiter, il 2.

Cap. 8. Quanto.

PRAESVMITVR factum notum in vicino loco, quod eſt notum in remoto.

QVIA ſi id,quod minus videtur ineſſe,ineſt;& id,quod magis videtur ineſſe,inerit.c.cum in cunctis.de elect.& c.ſi in laicis. diſt. 38. Et quoniam notitia facti poteſt melius, & facilius haberi in loco vicino,quàm in remoto.ſup.c.prox.Ideo non præſumitur latere vicino, quod notum eſt longinquo. vt in tex. & c.quod dicitis.diſt.16.Contra tamen hanc iuris præſumptionem admittitur probatio.gloſ.hic.& l.qui teſtamentum.ff.de probat.

Cap. 9. Scribam.

EX præteritis præſumitur circa futura.

QVIA ex multis operationibus fit habitus; nam ædificando ædificatores, iuſta agendo iuſti, fortia faciendo fortes euadimus. Ariſt.2.Ethic.cap.1. Et quoniã habitus acquiſitus facit habituatum delectari in operationibus,quæ ab ipſo fiũt.d.lib.cap.4.Et difficiliter relinquitur,quod cum delectatione retinetur.Salom.prouerb.cap.2. vnde conſueta longo tempore, etiam ſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta ſolent eſſe.Hipocr.aphor.50.lib.2. Ideo qui fuit affectus aliqua virtute,vel vitio in præterito, niſi appareat mutatus, præſumitur,quod erit talis etiam in futurum.vt in tex.& c.ſemel.de reg.iur.in 6.

Cap. 10. Quia veriſimile.

EFFICACIOR probatio requiritur ab eo,qui probare vult illud,quod non eſt veriſimile.

QVIA cum iudex non poſſit perduci ad veram facti notitiam per aliquem ſenſum corporeũ(niſi factum eſſet notorium permanens) oportet,quod adducatur ad firmam credulitatem ex præſumptionibus, quæ cauſantur ex pluribus coniecturis,& ex teſtiũ depoſitionibus.l.3.ff. de teſtib.Et quoniã iudici non conſtat,an teſtes verũ dicant,& maximè quando ſunt contrarij,ſed ex multis argumentis, & cõiecturis hoc præſumit.c.in noſtra.de teſt. Et quod non eſt veriſimile,nõ præſumitur eſſe verũ.l.eos.C.de teſt.& prçſumptio non eſt aliud, quàm quædã ſuſpicio,

quæ

quæ cauſatur in animo iudicis, vel cuiuſcunque, ex varijs vel argumentis, vel indicijs, ſecundum quod illa ad credendum probabilius inclinant. Abb. ſup. in c. quanto. Cum enim in actibus humanis, ſuper quibus conſtituuntur iudicia, & exiguntur teſtimonia, non poſſit demonſtratiua certitudo haberi, eo quod circa cõtingentia, & variabilia exiſtant. S. Thom. 2.2.q.70.art.2. in eis ſufficit probabilis certitudo, quæ vt in pluribus veritatem attingat, & in paucioribus à veritate deficiat; non enim certitudo eſt ſimiliter quærenda in omni materia. Ariſt. 1. Ethic. cap. 3. Ideo qui vult probare illud, quod habet in contrarium aliquas coniecturas, oportet, vt talem probationem adducat, per quam & illæ coniecturæ auferantur, & animum iudicis ad iſtud credendum, inclinet, & firmet. vt in tex. & c. ſi teſtes. 4. q. 3.

Cap. 11. Illud.

PER cohabitationem diutinam, & famam de matrimonio, & contractibus matrimonialibus, ac alia adminicula, probatur matrimonium.

QVIA quando ſunt diuerſæ ſpecies probationum, quæ tendunt ad vnum finem, ſi ſingulæ ſufficienter non proſunt, ſimul iungi poſſunt, vt faciant probationem ſufficientem & perfectam. c. cum cauſam. de probat. Et quoniam fama loci eſt habenda in multa conſideratione ad fidem in talibus cauſis faciendam. ſup. c. prox. & l. ſi mater. C. ne de ſtat. defunct. & cohabitatio diutina, puta decem annorum, in quibus ſe habuerint vt coniuges: & inſtrumenta confecta ſuper dote, vel donatione propter nuptias, ſunt probabiles coniecturæ ad arguendum inter aliquos eſſe matrimonium, ſicut & alia adminicula ad id facientia, quæ animi motum poſſint in iudice ad id præſumendum, veriſimiliter mouere. c. præterea. de teſtib. Et tolerabilius eſt, aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè contra ſtatuta Domini ſeparare. cap. licet, il 2. de teſtib. Et ſi eſſet ſemper neceſſarium probare validitatem matrimonij, per teſtes, qui fuerint præſentes, quando illud contrahebatur, vel per inſtrumentum ſuper illo confectum, ſequeretur abſurdum, quod per mortem teſtium, & per inſtrumenti amiſſionem, adiudicaretur contra matrimonium. Hoſt hic. cum tamen illud ſit fauorabile. c. videtur. qui matr. accuſ. poſſ. Ideo fama viciniæ adiuuata ab iſtis alijs adminiculis, & coniecturis, eſt ſufficiens probatio ad iudicandum inter aliquos eſſe legitimum matrimonium. vt in tex. & c. quoties. de teſtib. Sicut ob eandem rationem, ſi aliquis diu adminiſtrauit tanquam rector, vel canonicus alicuius eccleſiæ, nedum debet obtinere in poſſeſſorio, ſed etiam in petitorio, abſque alia tituli oſtenſione. Imol. hic. per argumentum à matrimonio carnali ad ſpirituale. vt in c. 2. de tranſl. epiſc.

Cap.

Cap. 12. Literis, & cap. 13. Tertio loco.

PER violentam præſumptionem probatur carnis copula.

QVIA violenta præſumptio dicitur eſſe clara probatio facta ex argumentis, quæ rei aptiora eſſe videntur. ſup. c. afferte. & de probat. c. cum cauſam. Et quoniam actus copulæ carnalis regulariter non cadit in ſenſum teſtis immediatum. gloſ. hìc. licet cadant actus propinqui ad illam, qui vt plurimum ſunt cauſa, vt illa ſequatur. gloſ. in c. dixit. 32. q. 1. & quia in actibus humanis ſufficit probabilis certitudo, quæ vt in pluribus veritatem attingat. S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 2. Ideo ſi teſtes deponant, ſe vidiſſe ſolum cum ſola, nudum cum nuda, in eodem lecto iacentem, ea (vt credebant) intentione, vt ſe carnaliter cognoſcerent, ex huiuſmodi violenta, & certa ſuſpicione, poſſunt tales de fornicatione condemnari. vt in tex. & c. præterea. de teſtib.

Cap. 14. Literas.

PROPTER præſumptionem, etiam vehementem, non debet quis de graui crimine condemnari.

QVIA in cauſa criminali probationes debent eſſe indubitatæ, & luce clariores. l. ſciant. C. de probat. Et quanto crimẽ eſt grauius, tanto ad condemnandum, debent eſſe præſumptiones vehementiores. vt in tex. cum cautius ſit agendum, vbi periculum maius vertitur. c. vbi. de elect. in 6. & l. 1. ff. de carbon. edict. Et quoniam præſumptio vehemens, licet talis dicatur, quia in tantum vrget, quod vehementer facit iudicem ſuſpicari contra reum. Butr. hic; non tamen habet tantam vim, ſicut præſumptio violenta, quæ ſufficit ad ſententiam condemnatoriam inferendam. ſup. c. afferte. & dicitur violenta, quaſi violenter trahat iudicem ad credulitatem. Abb. ſup. in c. quanto. Ideo cum præſumptio vehemens non probet clare, & plenè; non debet quis per illam de crimine, præſertim graui, condemnari, ſicut per violentam, quæ dicitur plena probatio, condemnatur. vt in tex. & ſup. cap. prox. Quando autem præſumptio ſit vehemens, & quando violenta; & ſic quando faciat ſemiplenam probationem, & quando plenam, non poteſt de hoc dari certa doctrina, ſed iudex ex ſuo bono, & æquo iudicio ex varijs coniecturis arbitrabitur. Abb. in d. c. quanto. Et ſi male fuerit arbitratus, corrigetur factum per iudicem appellationis. cap. quoniam. de probat. & c. vt debitus. de appellat. In re autem omnium terreſtrium antiquiſſima, non ſolùm vehemens præſumptio, ſed & violenta, mihi eſſe videtur, vt conchylia petrificata, quæ penè innumerabilia, excauando, reperiuntur in arenoſo Monte Mario, qui eſt altior cæteris montibus prope Vrbem, vbi equitat Imperator poſt ſuſceptam auream coronam in eccleſia Sancti Petri ad altare Sancti Mauritij, vt refert Prouinciale omnium eccleſiarum, vbi agit de tribus coronis Imperatoris,

peratoris, ſint ex piſcibus diluuij; cum nec natura ſine debitis medijs aliàs talia operetur: nec ars illa conficere potuerit, nec conficiendi cauſam habuerit. Duros verò illos piſces in ſicco remanſos, facile eſt, ita eſſe duriores euaſos. Cuius ſententiæ eſt etiam D. Martius Mileſius patritius, & Iur. Conſ. Romanus, notabilium antiquitatum diligens obſeruator, mihi amicitia, præſertim in ſtudio poeſis, valde coniunctus,

Cap. 15. Cum in iuuentute.

NON præſumitur incontinens in ſenectute, qui in iuuentute continuit.

QVIA ad depreſſionem corporis ſequitur eleuatio mentis. c. niſi. de renunc. vnde inquit Apoſtolus; Cum infirmor, tunc potens ſum. 2. ad Corinth. cap. 12. Et habitus ſuſceptus in iuuentute, non facile relinquitur in ſenectute. ſup. c. ex ſtudijs. Et quoniam iuuenum complexio eſt calida, & humida: & ſenum eſt frigida, & ſicca. Ariſt. de longit. & breuit. vitæ. & Hipocrat. aphoriſm. 14. Et libido prouenit ex ſuperabundantibus humoribus. Cicer. de ſenect. Vnde eccleſia canit; Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largitis, & præmia. præfat. Quadrag. Ideo non ſolum non præſumitur incontinens in ſenectute, qui fuit continens in iuuentute; ſed labes incontinentiæ, quæ nonnunquam in iuuentute contrahitur, frequentius in ſenectute expiatur. vt in tex. & c. fraternitatis. diſt. 34. iuxta illud;

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor. Ouid. lib. 1. eleg. 9.

Et luxuria cum omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſſima eſt; Duplex enim inde malum eſt, quòd & ipſa ſenectus dedecus concipit, & facit adoleſcentum impudentiorem intemperantiam. Cic. 1. offic.

MAXIME ſi eſt literatus.

QVIA ignorantia eſt mater cunctorum errorum. c. ignorantia. diſt. 38. Et quoniam per ſcientiam ſcripturarum, ignorantia euitatur. c. ſi iuxta. d. diſt. 38. Et fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Salom. prouerb. cap. 1. Ideo non eſt de facili credendum, quod vir præditus ſcientia literarum, propriæ ſalutis obliuiſcatur, & in carnis vitia, præſertim in ſenectute immiſceatur. vt in tex. & c. ſicut. d. diſt. 38. vnde D. Hieronym. inquit; Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis. ad Ruſtic. de viuendi forma. Et Salomon; Si intrauerit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, vt eruaris à via mala, & ab homine, qui peruerſa loquitur. Prouerb. cap. 2. & Horat. epiſt. lib. 1.

Poſces ante diem librum cum lumine, ſi non
Intendes animum ſtudijs, & rebus honeſtis,
Inuidia, vel amore vigil torquebere.

Cap. 16. Dudum.

IS, pro quo beneficiando ſcribitur cum clauſula, ſi idoneus fuerit, non tenetur probare ſe idoneum, cum idoneus præſumatur.

QVIA vbi quis habet intentionem fundatam iuris præſumptione, onus probandi contrarium incumbit neganti. c. in præſentia. de renunc. & l. minor 25. annis. ff. de minor. Et quoniam homo creatur bonus, & in illa bonitate naturali præſumitur perdurare. c. vnic. de ſcrut. in ord. fac. intelligendo de bonitate, & idoneitate intrinſeca, puta, quod ſit caſtus, pacificus, ſobrius, & ſimilia. gloſ. in c. ſi forte. de elect. in 6. nec obſtat in iſtis peccati originalis deſtructio, quia contra illud datur ſacramenti Baptiſmi reparatio. c. firmiter. de ſum. Trinit. Ideo talis beneficiandus non tenetur ſe probare idoneum, ſed qui contrarium obijcit, ad probandum adſtringitur. vt in tex. & c. ſicut Chriſtus. 1. q. 1. Et illa clauſula, ſi fuerit idoneus, ſubintelligitur, etiam ſi non fuiſſet appoſita. gloſ. hic. vnde eius expreſſio ſapit monitionem, non conditionem. Abb. hic. Et hæc de idoneitate naturali, & intrinſeca. Quædam verò eſt idoneitas extrinſeca, vt quod quis ſciat legere, cantare, & ſimilia, & iſta non præſumitur, niſi probetur. d. c. ſi forte. vnde iudex ex officio ſuper talibus requiſitis illum examinabit, etiam ſi nemo ſe opponat. c. accepimus. de ætat. & qual. ordin.

Liber Secundus. Titulus XXIIII.

DE IVREIVRANDO.

In Decretal. Cap. 1. Ex adminiſtrationis.

AGI poteſt ad relaxationem iuramenti, cuius implementum turpitudinem continet ex parte ſuſcipientis.

QVIA iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis. infr. c. quanto. Et quoniam quando illud continet turpitudinem ex parte ſuſcipientis, tenderet in præiudicium animæ illius, licet non tenderet in præiudicium animæ iurantis. infr. c. debitores. Ideo ille, qui ſic iurauit, poteſt agere, vt à tali iuramento abſoluatur. vt in tex. & c. nouit. de iudic. non autem poteſt propria auctoritate contra illud venire. d. c. debitores. & S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. quia non eſt tutum, quemlibet contra ſuum iuramentum venire, niſi tale ſit, quod ſeruatum vergat in interitum ſalutis æternæ. infr. c. ſi verò. & 22. q. 4. c. ſi aliquid.

Cap.

Cap. 2. Peruenit, il 1.

NON valet iuramentum præſtitum à Prælato de non repetendis rebus Eccleſiæ.

QVIA animaduertendum eſt, quod iuſiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iuſtitiam; ſi iſta defuerint, nequaquam iuramentum erit, ſed periurium. c. animaduertendum. 22. q. 2. Et quoniam eſſet contra iuſtitiam, vt prælatus male alienaret, vel alienationi turpiter factæ de rebus ſuæ eccleſiæ conſentiret. c. ſi quis. de reb. eccl. non ali. Ideo tale iuramentum tanquam illicitum non valet. vt in tex. & infr. c. ſicut. Præterea, per iuramentum non poteſt quis ſe ſubtrahere ab onere publico. c. ſi diligenti. de for. comp. Et quoniam hoc eſt onus publicum, quod incumbit prælato circa defenſionem iurium eccleſiæ ſuæ. c. ſit rector. diſt. 43. Ideo nullius iuramenti vinculo, ad contrarium agendum poteſt prælatus conſtringi. vt in tex. & infr. c. intellecto.

Cap. 3. Peruenit, il 2.

NON deierat, qui iuramenti implementum in melius commutat.

QVIA melius eſt plus, quàm bonum. l. vbi autem. §. quo fit. ff. de verb. oblig. Et quoniã in eo, quod eſt plus, ſemper ineſt & minus. l. in eo. ff. de reg. iur. Ideo propoſitum, aut promiſſum non infringit, qui in melius illud commutat; ſed adimplendo melius, tacite adimplet etiam bonum, quod iurauit. vt in tex. & c. ſcripturæ. de vot.

ET non adſtringitur quis iuramento ad implendum, quod iurauit, ſi ab alia parte non impletur, cuius reſpectu præbuit iuramentum.

QVIA promiſſio facta alicui, vt etiam ille aliquid aliud faciat, vel det; intelligitur habere in ſe conuentionẽ, vt vno non adimplente promiſſum, nec alter adimplere teneatur, ne contractus claudicare videatur. c. de illis. de condit. appoſit. & l. cũ proponas. C. de pact. Et quoniã pacta, & contractus ex conuentione legem accipiunt. c. 1. de pact. & c. contractus. de reg. iur. in 6. Et imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum. c. imputari. d. tit. de reg. iur. Ideo fruſtra fidem ſibi quis poſtulat ab eo ſeruari, cui fidẽ à ſe præſtitã ipſe ſeruare recuſat. vt in tex. & l. cũ proponas, la 2. C. de pact.

Cap. 4. Ego N.

PONITVR forma iuramenti ſeptem capitula continens, ſecundum quam iurant Papæ Epiſcopi.

QVIA Papa eſt dominus omnium, & vicarius Chriſti. c. cuncta. 9. q. 3. & Epiſcopi ab eo inſtituuntur ad curam ſingularum diœceſum. c. 1. de offic. ordin. Et quoniam iuramentum fidelitatis, &

obedientiæ exigitur præcipuè ab illis ſubditis, qui maiora officia gerunt, & in quibus periculoſior eſſet infidelitas, & inobedientia. c. legebatur. de maior. & obed. Et ille, qui ſcit, ſe aliquibus eſſe præpoſitum, non debet moleſtè ferre, aliquem ſibi eſſe prælatum; ſed obedientiam, quam exigit, etiam ipſe dependere debet. c. quanquam. diſt. 23. Ideo ſtatuitur, vt epiſcopi in eorum conſecratione præſtent iuramentum obediendi ſummo Pontifici, & alia ad eorum officium ſpectantia faciendi, prout in tex. & Clement. vnic. eod. Hodie verò omnes immediatè recipientes dignitatem à Papa, ſibi iurant obedientiam; vnde etiam Abbates præſtant hoc iuramentum in eorum benedictione, ſicut Epiſcopi in conſecratione. Abb. hic. Sed circa viſitationem liminum Apoſtolorum, de qua habetur in hoc tex. & in c. iuxta. diſt. 93. eſt hodie attendenda conſtitutio Sixti V. per quam ſtatuitur tempus, quando illa ſit facienda. quæ incipit; Romanus. Data Romæ 13. Kal. Ianuar. anno eius primo.

Cap. 5. Nullus.

NON tenetnr clericus Epiſcopo ſuo obedientiæ iuramentum præſtare, niſi ratione adminiſtrationis ſibi conceſſæ.

QVIA iuramentum non eſt abſque neceſſitate præſtandum. infr. c. etſi Chriſtus. & S. Tho. 2. 2. q. 89. art. 2. Vir enim multum iurans, replebitur iniquitate. Eccleſiaſt. cap. 23. Et quoniam non videtur adeſſe aliqua neceſſitas, vt Epiſcopus exigat illud à clericis, qui adminiſtrationem non habent, ſicut illa eſt, vt præſtetur ab eis, qui adminiſtrationem exercent. c. legebatur. de maior. & obed. Vbi enim maius periculum vertitur, cautius eſt agendum. c. vbi. de elect. in 6. Ideo ſatis eſt, vt clericus, qui adminiſtrationem non habet, verbo obedientiam epiſcopo ſine iuramento promittat. vt in tex. & c. in omnibus. de conſecr. diſt. 5. Sed hodie huiuſmodi iuramentum in nullo clerico eſt in vſu, etiam ſi habeat adminiſtrationem, ſicut nec ſimplex promiſſio obedientiæ, cum clerici abſque talibus requiſitis fideliter viuant. Abb. in d. c. legebatur. Si quis tamen eorum eſſet de inobedientia ſuſpectus, poſſet cogi ad illud præſtandum, ſiue habeat adminiſtrationem, ſiue non. c. cum in eccleſijs. de maior. & obed. & gloſ. in c. quanquam. diſt. 23.

Cap. 6. Debitores.

QVI ſe obligauit ad vſuras ſoluendas, ſoluere non cogitur.

QVIA vſuræ ſunt prohibitæ de iure diuino. Deuteronom. cap. 23. & de iure canonico. c. ſuper eo. de vſur. Et quoniam vbicũque lex reſiſtit contrahentibus, non naſcitur obligatio nec ciuilis, nec naturalis. l. cum lex. ff. de fideiuſſor. quod procedit, etiam ſi alteri tantum de contrahẽtibus reſiſtat, vt eſt in vſura. Bart. in d. l. cum lex. Et vbi deficit obligatio, quæ eſt mater actionis, deficit etiam actio. l. licet. §. ea. ff. de procur. & ſine actione nemo experitur. l. ſi pupilli. §. videamus. ff. de negot.

negot.geſt.& ex improbitate ſua nemo debet actionem conſequi. l.itaque. ff.de furt. Ideo debitores ad ſoluendas vſuras, in quibus ſe obligauerunt, cogi non debent. vt in tex. & c. Michael.de vſur.

NISI iurauerit.

QVIA in iuramento eſt duplex obligatio; vna, qua iurans obligatur homini, cui aliquid promittit; alia, qua obligatur Deo, vt impleat, quod per nomen eius promiſit. S.Thom.2.2.q.89.art.7. Et quoniam lex non reſiſtit recipienti ad vſuram, ex quo neceſſitatus recipit. d.c.ſuper eo, & ibi Innoc. Et non conſentit in peccatum. S.Tho. 2.2.q.78.art.4. ſed bene reſiſtit ipſi mutuanti. c.conſuluit.d.tit.Et non eſt tutum, quemlibet contra iuramentum ſuum venire, niſi tale ſit, quod ſeruatum vergat in interitum ſalutis æternæ. infr.c.ſi verò. cum ſcriptum ſit; non peierabis in nomine meo. Leuitic.cap.19. Et reddas Domino iuramenta tua. Matth.cap.5. Ideo cum tale iuramentum poſſit adimpleri à iurante ſine peccato, illud ei tranſgredi non licet. vt in tex. & infr. c.ad noſtram, il 2. Sed licet iurans potius obligetur Deo, quàm homini. Hoſt.hic. Si tamen ſuſcipiens iuramentum, illud remittit, etiam Deus remittit. ſup. c. 1. quia cum effectus huiuſmodi iuramenti concernat vtilitatem priuatam ipſius ſuſcipientis, non intendebat iurans placere Deo, ſed ſatisfacere homini; ideo remittendo homo, de cuius intereſſe agitur, cenſetur remittere etiam Deus, qui per iuramentum vocatur in teſtem. Abb.ſup.in c. 1. Intelligitur enim iurans iam ſoluiſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum voluntatem eius, cui promiſit. S.Thom.2.2.q.89.art.9.

QVO caſu cogitur.

QVIA ſi iſte iurans non ſolueret in termino, quo promiſit, committeret periurium. infr.c.ad noſtram, il 2. Et quoniam non debet quis committere peccatum, etiam minimum, vt alter euitet maius. c.quod ait, & ibi gloſ. diſt. 14. Et minus malum eſt, vt peccet vnus, quàm duo.c.ſi peccatum.2.2.q.1.Et inter duo mala minus malum eſt eligendum.c.duo mala. diſt. 13. Ideo ne iſte iurans committat peccatum periurij, cogitur ad ſoluendum vſuras, quas iuramento promiſit. vt in tex.& c.habemus.22.q.1. Satis enim ei eſt, quod ſine peccato poteſt ſuum iuramentum adimplere.infr.c.ſi verò.nec eſt tunc in conſideratione, quod alter peccet recipiendo vſuras. Abb.hic.quia in iure attenditur, quod principaliter agitur, non quod in conſequentiam venit.l.venia, & ibi gloſ.C. de in ius vocand. Et ſibi imputet, ſi ſoluit id, à quo poterat liberari per abſolutionem à tali iuramento. ſup. c.1. Vigilantibus enim, non dormientibus iura ſubueniunt. c. cum vniuerſorum. de rer. permut.Et exceptio iſta obiecta in ipſo termino ſolutionis, præſumitur potius adducta ad ſolutionem procraſtinandam, quàm ad

vſuram realiter probandam. Abb. ſup. in c. 1. Et malitijs non eſt indulgendum. c. plerunque. de reſcript.

SED repetit.

QVIA iuramentum non extenditur ad ea, ſuper quibus non eſt præſtitum. infr. c. prox. Et quoniam qui iurauit ſoluere, non per hoc iurauit non repetere. c. ad audientiam. de his, quæ met. cauſ. Ideo poſtquam iſte adimpleuit iuramentum, vſuras ſoluendo; poterit vti iure ſuo, eas indebitè ſolutas repetendo. vt in tex. & infr. c. ſi verò.

Cap. 7. Ad noſtram, il 1.

DEBITOR, qui iurauit creditori nullum grauamen ſuper re pignorata inferre, donec ſoluerit debitum, non auditur repetens pignus, volendo compenſare fructus in ſortem.

QVIA compenſatio non eſt vera ſolutio, ſed ficta. l. ſi peculium. ff. de ſtat. lib. Et quoniam iuramentum eſt ſeruandum in forma ſpecifica, ſecundum quam fuit præcisè iuratum, non autem ſufficit illud aliter adimplere in effectu. Abb. hic. Ideo qui iurauit ſoluere pecuniam, debet ipſam actualiter dare, non autem poteſt pro illa fructus à creditore perceptos, ad ipſum ſpectantes, compenſare. vt in tex. & Iaſon in l. ſi pecuniam. ff. de condit. ob cauſ.

SED debet prius debitum integraliter ſoluere.

QVIA vbi totum debitum eſt liquidum, non tenetur creditor recipere in parte ſolutionem illius, ſed in totum eſt facienda oblatio. l. tutor. §. Lucius. ff. de vſur. Eadem enim ratio eſt de parte, quæ eſt de toto. l. quę de tota. ff. de rei vend. Et quoniam qui non ſoluit tempore debito, intelligitur minus ſoluere, quàm debeat. Inſtitut. de fideiuſſor. §. fideiuſſores. Ideo qui iurauit ſoluere debitum, debet illud ſoluere totum, & intra tempus, in quo ſoluere per iuramentum promiſit. vt in tex. & l. Iulianus. §. offerri. ff. de act. empt.

ET demum rem cum fructibus inde perceptis expoſcere.

QVIA mutuum dantes, nihil inde debent eſſe ſperantes. Luc. cap. 6. Et quoniam creditor iam debet eſſe ſatisfactus de ſua ſorte principali, antequam poſſit debitor ab eo rei pignoratæ petere fructus. vt in tex. Ideo poſtquam debitor perſolvit, quod debebat, eſt ei reſtituendum ſuum pignus cum fructibus ab illo prouentis, deductis tamen expenſis pro illo à creditore factis. vt in tex. & c. quoniam. de vſur. Quod ſi ex defectu creditoris poſtea ei in totum non reſtituatur, tunc poterit illud cum ſorte principali compenſare, poſtquam ipſe non eſt in mora in adimpletione ſui iuramenti, ſed ex creditore prouenit impedi-

impedimentum.c. 1.de vſur.& l.1,C.de pignor.act.Et imputari non debet ei, per quem non ſtat. c.imputari. de reg. iur.in 6.

Cap. 8 Si verò.

SI iuramentum per metum extortum ſeruari poteſt ſine interitu ſalutis æternæ, ſeruandum eſt.

QVIA in iuramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio; Vna quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promiſſum non ſeruetur; Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, vt impleat, quod per nomen eius promiſit; & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quàm iuramentum violare; Poteſt tamen repetere in iudicio, quod ſoluit, vel prælato denuntiare, non obſtante, quod contrarium iurauit, quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum; eſſet enim contra iuſtitiam publicam. S. Thom. 2.2. q.89. art.7. Et quoniam voluntas coacta, voluntas eſt.c.merito.15.q.1.& l.ſi metu.ff.quod met.cauſ. Et vbi agitur de ſalute animarum, quod tutius eſt, eligere debemus. c.ad audientiam.de homicid. Ideo ne committatur periurium, quamuis iuramentum ſit metu extortum, ſi alias ſit licitum, eſt ſeruandum; cum non ſit tutum, quemlibet contra iuramentum ſuum venire, *niſi tale ſit, quod ſeruatum vergat in interitum ſalutis æternæ*; nec Summus Pontifex vult alicui dare materiam veniendi contra proprium iuramentum, ne auctor periurij videatur. vt in tex. & c.ad audientiam. de his, quæ met.cauſ.

ECCLESIA tamen Romana conſueuit à tali iuramento abſoluere.

QVIA iuramentum factum per metum, licet ſit licitum ex parte iurantis, non tamen eſt licitum ex parte recipientis, qui illud violenter extorſit. infr. c. verum. Et quoniam qui metu aliquid committit, eſt magis dignus venia, quàm ille, qui libera voluntate delinquit.c.ſacris.de his, quæ met.cauſ.& c.ne quis.22.q.2.Et nemo debet commodum de ſua malitia reportare.c.plerunque.de reſcript.Ideo Romani Pontifices ab huiuſmodi iuramentis abſoluere ſolent, non quaſi decernentes illa non eſſe obligatoria, ſed quaſi huiuſmodi obligationes ex iuſta cauſa relaxantes. vt in tex.& S.Thom.d.art.7.Et quod hic dicitur de abſolutione, quæ ſolet in iſtis iuramentis concedi à Papa, idem eſt dicendum, vt ex eadem cauſa poſſit illam concedere Epiſcopus reſpectu ſuæ diœceſis. Innoc.ſup.in c. debitores. Sed Papa illam concedit in caſibus multum dubijs, & in factis magnarum perſonarum, & reſpectu totius orbis; Epiſcopus verò in caſibus clarioribus, & in diœceſi ſua ſolùm. Abb.infr.in c. quanto. & Specul.de legat. §.nunc.

Cap. 9. Ex reſcripto.

MONACHI, qui pro debito monaſterij iurant ſtare in obſtagio, iuramenta ſeruare coguntur.

QVIA Abbas poteſt concedere monacho, vt pro vtilitate monaſterij ſtet in certo loco extra monaſterium. c. inſinuante. qui cler. vel vou. & c. cum paſtoralis. 2. q. 7. Et quoniam cui conceditur aliquod negotium expediendum, intelliguntur conceſſa etiam ea, ſine quibus illud expediri non poteſt. c. præterea. de offic. deleg. Et iuramentum, quod non vergit in interitum ſalutis æternæ, tranſgredi non licet. ſup. c. prox. Ideo monachus, qui de conſenſu abbatis eſt extra monaſteriũ, ſi pro illius bono iurauit in aliquo loco permanere, à tali iuramento, & conuentione ei recedere non licet. vt in tex. & c. expoſita, & ibi gl. fin. de arbitr.

ET ſimiliter fideiuſſores, qui iurauerunt creditorem indemnem ſeruare.

QVIA obligatio fideiuſſoris eſt licita, & ſecundum charitatem, vt aliquis obtineat per fideiuſſorem, quod per propriam perſonam obtinere non poſſet. c. 2. de fideiuſſor. Et quoniam eſſet iniquum, vt creditor ex promiſſione fideiuſſoris fraudaretur. c. 1. de pact. & Authent. de fideiuſſor. §. 1. coll. 1. Et iuramentum promiſſorium nihil aliud eſt, quàm promiſſio firmata iuramento. Caietan. in 2. 2. S. Thom. q. 79. art. 7. Ideo ſicut ipſe principalis teneretur indemnem ſeruare creditorem. ſup. cap. debitores. ita tenetur fideiuſſor, qui ad eandem promiſſionem ſe per iuramentum acceſſoriè obligauit. vt in tex. & Inſtitut. de fideiuſſor. §. fideiuſſores. Vnde inquit Salomon; Si ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam: Illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus. Prouerb. cap. 6. Per quæ verba non dehortatur quempiam à ſponſione, cum illa ſit opus miſericordiæ, ſed ſuadet ei, qui ſpopondit pro amico, vt ipſum amicum ſolicitus admoneat, quatenus reddita pecunia, quam debet creditori, & ſe, & ipſum liberet. S. Hieronym. ibid.

Cap. 10. Querelam.

PERIVRVS eſt, qui non neceſſitate, ſed voluntate venit contra licitum iuramentum.

QVIA per licitum iuramentum quis obligatur Deo, & homini ad implendum, quod per illud promiſit. ſup. c. ſi vero. Et quoniam Deus reſpicit cor, non manum. c. ſi quid. 14. q. 5. Ideo neceſſitas ab eius adimpletione excuſat, dummodo non deſit adimplendi voluntas. vt in tex. & c. ſi nulla. 23. q. 8. neceſſitas enim non habet legem. l. fin. ff qui ſatiſd. cog. & peccatum non eſt, niſi voluntarium. S. Auguſt. in libro de duabus animab. cap. 10.

ET

ET ab eccleſia eſt remouendus.

QVIA periurus eſt infamis. c.ſi quis. 22. q.5. Et infamibus portæ dignitatum patere non debent.c.inter. de exceſſ. præl. & l. vnic. C. de infam.lib.10. Sed quoniam turpius eijcitur, quàm non admittitur hoſpes. infr.c.quemadmodum. Et multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.c.ad apoſtolicam.de regular. Ideo ſi conferatur beneficium illi, qui tunc ſit infamis, collatio eſt ipſo iure nulla. c. infamibus.de reg.iur.in 6. Sed quãdo infamia periurij ſuperuenit beneficiato, illa non priuat eum ipſo facto,ſed per ſuperioris ſententiam eſt priuandus. vt in tex.& c.peruenit.de fideiuſſor.

Cap. 11. Tua, il 1.

SI præſentatus iurat præſentanti, de antiquo cenſu augendo, & poſtea contrarium iurat inſtituenti, valet ſecundum,& nõ primum.

QVIA primum tale iuramentum fuit illicitum, cum beneficiatus non poſsit ex ſua auctoritate ſe obligare ad aliquid ſoluendum in eccleſiæ præiudicium. c. præterea.de cenſib. Et hoc non poteſt etiam in vita ſua, ne per hanc ſolutionem generetur eccleſiæ damnum in futurum. c.peruenit.de arbitr.Secundum verò tale iuramentum fuit licitum, cum & ratione, & Concilij Lateranenſis auctoritate iuuetur, vt clerici,cum inſtituuntur ab Epiſcopis,iurent,quod nec ſolitam eccleſiæ penſionem augebunt, nec nouam imponent. c.prohibemus. de cenſib. Et quoniam tolerabilius eſt promiſſum non facere, quàm facere, quod turpe ſit. c.vnuſquiſque.22.q.4.Et quod licitè iuratur eſt ſeruandum. ſup.c.ſi verò. Ideo tale ſecundum iuramentum licitum eſt obligatorium, & ſeruandum; primum verò illicitum, non eſt attendendum. vt in tex.& c.actione.22.q.4.

TAMEN ab eccleſia remouetur.

QVIA qui duo contraria iuramenta præſtat, licet vnum ſit licitum, & alterum illicitum,quo ad ſe apparet paratus ad permittendum periurium; cum vtraque ſimul ſeruare non poſſit. vt in tex. & l.ſecundum naturam. ff. de reg. iur. Et quoniam Deus non ex operibus tantum iudicat, ſed ex cogitationibus,& corde.c.humanæ. 22. q.5. Et periurus eſt ab eccleſia remouendus. ſup. c. prox. Ideo ſimiliter eſt remouendus iſte, qui ſic ad periurandum ſe promptum oſtendit. vt in tex.& c.qui peierare.22. q.5. Si tamen ille ſolùm præſtaſſet primum iuramentum illicitum, non eſſet per hoc priuandus beneficio, nec in futurum inhabilitaretur ad alia. infr.c.ſicut, il 1.& c. archidiaconum, & ibi gloſ. diſt. 85. quia periurium propriè dicitur tranſgreſſio iuramenti licitι. c.mulier.22. q.4. Sed à tali illicito iuramento eſſet abſoluendus, impo-

impoſita ei pœnitentia pro temeritate iurandi. c. ſignificauit. de cenſib. & c. neceſſe. 22. q. 4.

Cap. 12. Cum quidam.

EPISCOPI, de periurio grauius, quàm alij, ſunt puniendi.

QVIA oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. Apoſt. 1. ad Thimoth. cap. 3. Cum enim ſit præpoſitus ad cęteros erudiendos, debet eis virtutum, non vitiorum exempla præbere. Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap. 1. Et quoniam tanto maius cognoſcitur eſſe peccatum, quanto maior, qui peccat, habetur. S. Iſidor. lib. 2. de ſummo bono. cap. 19. Et pœna debet eſſe commenſurabilis delicto. c. diſciplina. diſt. 45. Ideo in epiſcopos, qui ſuum tranſgreſſi ſunt iuramentum, eſt tanto grauius vindicandum, quanto maiori præeminent dignitate, & eorum exemplo facilius alij poterunt ad ſimilia prouocari. vt in tex. & c. præcipuè. 11. q. 3. vnde inquit Dominus, quod ille ſeruus, qui cognouit voluntatem domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis. Luc. cap. 12. Et ſcire debent prælati, quòd ſi peruerſa vnquã perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt; vnde neceſſe eſt, vt tanto ſe cautius à culpa cuſtodiant, quanto per praua, quæ faciunt, non ſoli moriuntur. S. Gregor. in paſtorali. par. 3. cap. 5. Et fortioribus, qui peccant, fortior inſtat cruciatio; & potentes potenter tormenta ſuſtinebunt. Sapient. cap. 6.

§. Illi.

ILLICITVM eſt iuramentum de non præbendo ſubſidium coniuncto.

QVIA non debet quis proximos ſeminis ſui deſpicere, ſed illis opem præſtare, ſi egere cognoſcat; nam melius eſt, vt quis ſubueniat ſuis, quibus pudor eſt ab alijs ſumptum depoſcere, aut alicui poſtulare ſubſidium neceſſitatis; non tamen vt illi ditiores fieri velint ex eo, quod eſt pauperibus erogandum. cap. eſt probanda. diſt. 86. Et quoniam non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum. c. non eſt. de reg. iur. in 6. cum illud non fuerit inuentum, vt eſſet vinculum iniquitatis. infr. c. quanto. Ideo tale iuramentum, cum ſit contrarium rationi, & illicitum, non tenet. vt in tex. & c. qui ſacramento. 22. q. 4. Et ille, qui ſic iurauit, eſt ad cautelam ab illius obſeruantia abſoluendus, ne ab aliquo de tranſgreſſione iuramenti notetur; & competens pœnitentia eſt ei iniungenda de hoc, quod male iurauerit. vt in tex. & ſupr. c. 2.

Cap. 13. Sicut, il 1.

NON valet iuramentum monachi clauſtrum abiurantis.

QVIA

QVIA monachus in ipsa ordinis professione renunciat propriæ voluntati, & ita superiori obedientiam promittit, vt ab eius arbitrio ipsius velle, aut nolle dependeat. c. non dicatis. 12. q. 1. Et quoniam ad validitatem iuramenti requiritur consensus iurantis. supr. c. si verò. Et sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus. c. placuit, il 2. 16. q. 1. Ideo istud monachi iuramentum non valet; tum quia est sine licentia superioris, tum quia est temerarium. Frangeret enim fidem professionis, & stabilitatis suæ propositum euacuaret. vt in tex. & c. monacho. 20. q. 4.

ET sibi de hoc grauis pœnitentia imponitur.

QVIA periurium est graue delictum, præsertim in religioso. supr. cap. prox. Et quoniam pœna est imponenda iuxta grauitatem delicti. c. disciplina. dist. 45. vt qui fuit culpa stultus, fiat pœna sapiens. c. qui ea. dist. 38. & vt pœna vnius sit metus multorum. c. quapropter. 1. q. 7. Ideo monacho, qui sic temerè iurauit, talis pœnitentia est iniungenda, vt alius quilibet exemplo eius deterritus, simile aliquid facere perrimescat; & ipse in claustro, quod licitè abiurare non potuit, cum stabilitate perpetua suam pœnitentiam exequatur. vt in tex. & cap. 1. dist. 13.

Cap. 14. Veritatis.

VASALLVS, qui iurauit prælato, successoribus iurare non cogitur.

QVIA dignitas non variatur ex diuersitate præsidentium. c. si gratiosè. de rescript. in 6. Et iuramentum non est sine legitima causa multiplicandum. inf. c. etsi Christus. Et quoniam quando iuramentum præstatur alicui simpliciter sub nomine dignitatis, non expresso nomine proprio prælati, vel si exprimitur, dicat, tibi N. & successoribus tuis; apparet illud esse præstitum dignitati, & esse reale, non autem esse solùm personale ad ipsum tunc in dignitate existentem. cap. quoniam abbas. de offic. deleg. Ideo cum per tale iuramentum teneatur vasallus ita obedire successoribus, sicut prælato tunc viuenti, per mutationem prælati non est cogẽdus ad illud rursus successoribus præstandum. vt in tex. & supr. c. ego N. Vnde si fœudatarius iurauit fidelitatem recipienti pro se, & successoribus, non tenebitur postea præstare nouum iuramentum successori, licet intra annum, & diem teneatur ab eo inuestituram petere. l. imperialem. §. præterea. de prohib. fęud. ali. in libro fęudor.

Cap. 15. Verùm.

A iuramento per metum extorto, ecclesia solet absoluere.

QVIA

QVIA ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promissum non seruetur. S. Tho. 2. 2. q. 89. art. 7. Sed quoniam ille, qui sic iurauit, ex quo rem licitam iurauit, obligatur Deo ad implendum, quod per nomen eius promisit, & potius debet damnum temporale sustinere, quàm iuramentum violare. S. Thom. ibid. Ideo talis non debet propria auctoritate contra huiusmodi iuramentum venire, sed ab ecclesia potest absolutionem petere, & illius debet gratiam expectare. vt in tex. & supr. c. si verò.

ET eius transgressores, vt peccantes mortaliter non puniuntur.

QVIA metus attenuat culpam, licet eam non prorsus excludat. c. sacris. de his, quæ met. caus. fi. Et quoniam pro mensura peccati, est imponenda pœna. Deuteronom. cap. 25. ne fiat more imperiti medici, qui vno collyrio, omnium oculos vult curare. S. Hieronym. in proœmio epistolæ ad Ephes. Ideo vt agatur consultius, & auferatur materia deierandi, non est eis dicendum, quod ad talia iuramenta seruanda non sint adstricti: cum iuramentum sit seruandum, dummodo sine interitu salutis æternæ possit seruari. d. c. si verò. Sed si illa non seruent, non sunt per hoc puniendi tanquam pro mortali crimine, & directo periurio. vt in tex. & c. abbas. de his, quæ met. caus.

Cap. 16. Veniens.

SI is, cuius mandato stare iurauí, aliquid mihi præcipit contra iuramentum per me prius licitè factum, illud seruare non teneor.

QVIA iuramentum non extenditur ad illa, de quibus à iurante non fuit cogitatum. infr. c. quintauallis. vbi enim iurans non adhibet dolum, iuramentum obligat secundum intentionem, qua ille iurauit. S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. Et quoniam non est præsumendum, quod generaliter iurando, quis hoc senserit, vt sibi aliquid mandaretur contrarium suo priori licito iuramento. infr. c. ad nostram, il 3. & de elect. in 6. c. si compromissarius. cum ab illo ipse recedere non posset. supr. c. si verò. & propriæ salutis nemo præsumitur esse immemor. c. sancimus. 1. q. 7. Ideo iuramentum generaliter præstitum de parẽdo mandato alicuius, non est ita interpretandum, vt comprehendat omnia, quæ ex verborum generalitate comprehendere posset; sed est ciuili modo intelligendum, vt sub tali confidentia præstitum, ad honesta restringatur, & ad aliquod contrarium priori licito iuramento non extendatur. vt in tex. & c. 1. eod. in 6.

Cap. 17. Breui.

QVI iurauit ecclesiam defendere, & requisitus, sine iusta causa, recusat, periurus est.

QVIA

QVIA requisitio alicui facta operatur, vt ipse non possit de illo actu prętendere ignorantiam.c.qualiter,il 2.de accusat.Et quoniam iuramentum de defendendo ecclesiam,est licitum, & operatorium actionis meritoriæ. supr. cap.querelam. Et qui sine legitimo impedimento restat adimplere,quod per licitum iuramentum promisit, dicitur periurus.c.qui compulsus.22.q.5. Ideo qui iura alicuius ecclesię defendere iurauit,si, necessitate imminente, illam pro posse non defendit (nisi difficultas existat, propter quam, requisitus non possit ecclesiæ subuenire) culpa periurij irretitur.vt in tex.& c.in dolo.22.q.2.Difficultas autem à periurio excusat. supr.c.ego N. sicut & necessitas.sup. c.querelam.& l.fin.ff.qui satisd.cog. quia ad incurrendum periurium, plus attenditur animus, quàm factum. c. qui peierare. 22. q.5. & non mentitur, qui animum fallendi non habet.c.beatus.22.q.2. nec aliquis ad impossibile tenetur. l.impossibilium. ff.de reg.iur. vnde iuramentum intelligitur obligare,quando ille,qui iurauit,potest ipsum adimplere, infr.c.& etsi Christus.

Cap.18. Quanto.

IVRANS scienter illicitum, non indiget absolutione.

QVIA absolutio præsupponit vinculum. c. ad dissoluendum. de desponſ.impub.& l.decem.ff.de verb.oblig.Et quoniam iuramentum illicitum non obligat. c.non est. de reg. iur. in 6. Ideo qui aliquod illicitum adimplere iurauit, non tenetur iuramentum illud obseruare. vt in tex.& supr.c.2.sed de eo,quod illicitè iurauit, est ei pœnitentia imponenda.supr.c.cum quidam.

SED tenetur illud non obseruare.

QVIA magnæ sapientiæ est,reuocare hominem,quod malè locutus est. c.magnæ. 22.q.4. De duobus enim malis minus malum est eligendum. cap.non solum. 22.q.4. Et quoniam tolerabilius est,promissum non facere,quàm facere,quod turpe fit. c.vnusquisque d. q.4. Ideo iuramentum illicitum non est vllatenus obseruandum. vt in tex.& S.Thom.2.2.q.89.art.7.

SI verò iurauit ignoranter, debet illud obseruare, si aliquo licito modo est obseruabile.

QVIA iuramentum habet vim clausulæ,si non valet,quod ago, vt ago; valeat,vt valere potest.l.cum pater.§.filius.ff. de legat.2. Et quoniam ignorantia facti excusat à culpa. cap. ignorantia. de reg.iur.in 6.& cap. si virgo.34.quæst.2. Et iuramentum est seruandum, quando non vergit in salutis æternæ interitum. supr. cap. si verò. Ideo ex quo tale iuramentum est præstitum in modo, quod potest sine peccato

cato ſeruari, non debet iurans illi contrauenire. vt in tex. & infr. cap. ad noſtram, il 3.

SI autem iurauit licitum, quod putabat illicitum, debet obſeruare iuramentum.

QVIA plus debet valere, quod eſt in veritate, quàm quod in opinione. l. 1. C. plus val. quod ag. Et quoniam tale iuramentum, quo ad rei veritatem poteſt licitè adimpleri. c. homines. 22. q. 2. Ideo non licet iuranti ab eius obſeruantia recedere. vt in tex. & Inſtitut. de legat. §. ſi quis rem.

SED de animo deprauato aget pœnitentiam.

QVIA qui loquitur voluntate fallendi contra id, quod animo ſentit, eſt mendax. c. is autem. 22. q. 2. Et quoniam Deus reſpicit animum hominis, non factum. c. ſi quid. 14. q. 5. Ideo, qui habuit intentionem iurandi illicitum, quamuis licitum iurauerit, debet ſuum humiliter confiteri peccatum, & ſatisfactionem ſibi pro animo deprauato iniunctam deuotè adimplere. vt in tex. & cap. qui ſacramento. 22. quæſt. 4.

Cap. 19. Venientes.

NON valet iuramentum præſtitum in præiudicium iuris ſuperioris.

QVIA eſſet contra bonum obedientiæ, vt inferior poſſet per ſuum iuramentum iuri ſuperioris contrauenire, & præiudicare. c. cum inferior. de maior. & obed. & c. cum non liceat. de præſcript. Et quoniam iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis. ſupr. c. prox. Ideo in quolibet iuramento præſtito in materia ad ſuperiorem ſpectante, debet ius illius intelligi reſeruatum, & à iuramento exceptum. vt in tex. & c. conſtitutus, & ibi gloſ. de reſcript. Sicut ſunt etiam aliæ conditiones, quæ in iuramento intelliguntur tacitè ineſſe, & ſine aliâ expreſſione in eo comprehenduntur. vt not. infr. cap. quemadmodum. & 22. q. 2. cap. beatus.

Cap. 20. Ad noſtram, il 2.

IVRANS vſuras non repetere poteſt, iuramento non obſtante, ex noua cauſa repetere.

QVIA iuramentum de non repetendis vſuris, refertur ad cauſam repetendi ſubſiſtentem ſecundum tempus iuramenti, non autem ad cauſam exortam poſt iuramentum. vt in tex. & ſupr. cap. debitores. cum quælibet diſpoſitio intelligatur, rebus ſic ſtantibus. l. in ipſius. C. famil. erciſc. Et quoniam iuramentum non extenditur ad ea, de quibus non fuit à iurante cogitatum. infr. c. clericus. & repetere vſuras indebitè

bitè ſolutas,de iure communi eſt licitum. c.cum tu. de vſur. Ideo tale iuramentum non obſtat, quin ex noua cauſa, ille, qui ſic iurauit, eas repetere poſſit.vt in tex. S.Thom.2.2.q.78.art.3.

Cap.21. Ad noſtram,il 3.

IVRAMENTVM generale debet ita intelligi, ſi fieri poteſt,vt non obuiet iuri.

QVIA verba generalia non ſemper ſunt generaliter intelligenda, ſed quando ex generali intelligentia ſequeretur abſurdum,ſunt reſtringenda,ſi fieri poteſt,vt illud euitetur. cap.ſolitæ. de maior.& obed. & l.ſi cui.ff.de ſeruitut. in dubio enim eſt potius facienda interpretatio,vt actus valeat,quàm vt pereat. c. in his. de priuil. & ea facta,quæ,dubium eſt,quo animo fiant, in meliorem partem ſunt interpretanda c.2.infr.de reg.iur. Et prompti eſſe debemus iura iuribus concordare.l.1.C.de inoffic.donat.Et quoniam iuramentum præſtitum contra canonem proditum,in publicum fauorem,non eſt validum.infr. c.venientes. & de for. comp. c. ſi diligenti. & argueret iurantem de temeritate. c. qui ſacramento. 22. q.4. Ideo vbi per interpretationem iuramentum generale eſt reducibile ad iuris intellectum,debet reſtringi,& ſecundum ſubiectam materiam intelligi, vt abſurda, quæ ex generali intelligentia redderent illud inualidum, intelligantur ab illo excluſa. vt in tex.& c.1.eod.in 6.

ALIAS, tanquam temerarium, non obligat contra iuris obſeruantiam.

QVIA eſſet iniquum, vt per iuramentum quis poſſet ſe ſubtrahere ab illa iuris obſeruantia,quę principaliter tendit in publicum bonum.c.ſi diligenti. de for. comp. Et quoniam iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis.ſupr.c.quanto. Ideo iuramentum præſtitum contra ius publicum non valet.vt in tex. & c.innocens.22.q.4. Secus,ſi eſſet præſtitum contra ius,quod principaliter tenderet in fauorem perſonæ iurantis;nam tunc eſſet obſeruandum.c.2.de pact.in 6. Et faceret valere actum,qui aliàs non valeret.infr.c.2.in 6.& Authent.ſacramenta.C.ſi aduerſ.vend. cum fauori,pro ſe principaliter introducto, quilibet renunciare poſſit.c.ad apoſtolicam.de regular.

Cap.22. Eam te.

SI vnum iuramentum vni debitum, alteri præſtetur, illicitum eſt.

QVIA ſi valeret iurameutum præſtitum vni,quod alteri debetur, læderetur ius illius,cui eſt de iure præſtandum.ſupr.cap.venientes:& ſic eſſet contra bonum iuſtitiæ,quæ tribuit vnicuique,quod ſuum eſt.l.iuſtitia.ff.de iuſt.& iur.Et quoniam iuramentum debet habere tres comi-

comites, ſcilicet veritatem, iudicium, & iuſtitiam, vbi autem iſta defuerint, non eſt iuramentum, ſed periurium. c. animaduertendum. 22. q. 2. Ideo huiuſmodi iuramentum, cui deeſt iuſtitia, eſt illicitum, & in alterius præiudicium non tenet, vt in tex. & S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 3.

ET eo non obſtante, cui debetur, præſtandum eſt.

QVIA onus non remittitur, ſed augetur, cum cuiquam improuidè ſoluitur, quod alij ex debito eſt præſtandum. l. in ſumma. ff. de condit. indeb. & res inter alios acta, alteri præiudicare non debet. cap. cum olim. de cauſ. poſſeſſ. & propr. Et quoniam vnicuique eſt reddendum, quod ſuum eſt. d. l. iuſtitia. Ideo non impedit iuramentum vni illicitè præſtitum, quin ſit illud alteri præſtandum, cui de iure debetur. vt in tex. & infr. c. cum contingat. Sed de priori illicito iuramento eſt ei, qui illud præſtitit, competens pœnitentia iniungenda. c. qui ſacramento. 22. q. 4.

Cap. 23. Quintauallis.

QVI iurat ſtare mandato alicuius, non tenetur parere, ſi præcipit illicita.

QVIA non eſt præſumendum, quod quis generaliter iurando, voluerit ſe ad illicita obligare. ſupr. c. veniens. ad quæ, etiam ſi voluiſſet, de iure non potuiſſet. cap. inter. 22. q. 4. Et quoniam in obligatione generali non veniunt ea, quæ in ſpecie non eſſet quis veriſimiliter obligaturus. l. obligatione. ff. de pignor. Et iuramentum non extenditur ad ea, de quibus non fuit à iurante cogitatum. c. ne quis. 22. q. 2. Ideo tale iuramentum eſt ſolùm de obſeruandis licitis, & honeſtis, quæ ille mandauerit, interpretandum. vt in tex. & c. 1. eod. in 6.

VT quòd filium exhæredet, vel vxorem abiuret.

QVIA quod pater exhæredet filium, cauſis non expreſſis in iure, vel ex leui cauſa, eſt contra officium pietatis, & iuri naturali repugnat. §. 1. & §. ſed hæc. Inſtitut. de inoffic. teſtam. Et quod vir dimittat, & abiuret vxorem, eſt contra præceptum diuinum. Marth. cap. 19. Et quoniam iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis. ſupr. cap. quanto. Ideo præcipuè ad iſta vehementer illicita, ille qui ſic generaliter iurauit, non tenetur. vt in tex. & cap. vnuſquiſque. 22. quæſt. 4.

Cap. 24. Tua, il 2.

EX cauſa leui, & temeraria coniuges, etiam quo ad thorum, & mutuam cohabitationem ſe ſeparare non poſſunt.

QVIA diſſolutio matrimonij non dependet à voluntate coniugum, ſiue agatur ad diſſolutionem quo ad ſubſtantiam vinculi. c. ſuper

eo.

eo. infr. de eo,qui cogn. conſ. ſiue agatur de diſſolutione reſpectu mutuæ ſeruitutis, & cohabitationis. c. cum ſis. de conuerſ.coniug. cum ſit præceptum Domini; vt quod Deus coniunxit, homo non ſeparet; & quod non liceat dimittere vxorem,niſi ex cauſa fornicationis. Matth. cap.19. vnde coniugatis inquit Apoſtolus; nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi; & iterum reuertimini in id ipſum,ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam veſtram. 1.ad Corinth.cap.7. Et quoniam nemo poteſt ſe ſubtrahere à diſpoſitione legis, quæ reſpicit principaliter publicum bonum, & prohibet occaſiones peccati.c.ſi diligenti.de for.comp.& ſupr.cap.cum quidam. Ideo præter cauſas à iure permiſſas,non debent coniuges ſeparatim habitare. vt in tex. & c. 1. de conuerſ. coniug. vnde inquit S. Ioan. Chryſoſt.Si tu abſtines ſine vxoris voluntate,tribuis ei fornicandi licẽtiam;& peccatum illius tuæ imputabitur abſtinentiæ. hom.1.in pſal.50.

ETIAM cum iuramenti interpoſitione.

QVIA non ſunt ſeruanda iuramenta, quæ fiunt contra diuina mandata. c.ſi quis.22.q.4. Et quoniam eſt præceptum Domini, ne vxor ſeparetur à viro,vt dictum eſt ſuperius. Ideo huiuſmodi iuramentum eſt illicitum,& non obligat.vt in tex. & c.inter cætera.22.q.4.

Cap.25. Quemadmodum.

IS, qui iurauit cum muliere contrahere, propter ſuperuenientem fornicationem,vel deformitatem,eam repellere poteſt.

QVIA in illo iuramento talis debet conditio ſubintelligi, ſi,videlicet,illa contra regulam deſponſationis non venerit, vel aliter eius ſtatus notabiliter mutatus non fuerit.vt in tex.cum quælibet diſpoſitio intelligatur,rebus ſic ſtantibus.l.cum quis.ff.de ſolut.& gloſ. hic, quæ ponit decem generales conditiones ſubintelligendas in quolibet iuramento,licet non exprimantur. Et quoniam iuramentum non extenditur ad ea,de quibus à iurante non fuit cogitatum.c.beatus. 22.q.2. Et ſponſalia de futuro non ſunt adhuc matrimonium indiſſolubiliter contractum.c.2.de ſponſal. Ideo ille,qui iurauit ducere aliquam in vxorem, ſi propter notabilem mutationem poſtea factam in ipſa, eam ducere nolit, per iuramentum ſic generaliter præſtitum, ad illam ducendam non adſtringitur.vt in tex. & c.ne quis. 22.q.2. alioquin ſequeretur,quod ſi poſt huiuſmodi iuramentũ illa fieret publica meretrix, teneretur iſte eam ducere in vxorem; quod eſt prorſus abſurdũ; nam ſi poſt contractum coniugium,vir propter fornicationẽ licitè poteſt vxorẽ à ſua cohabitatione dimittere; longe fortius ante coniugium celebratũ,propter eandẽ cauſam ſponſus licitè poteſt in ſuam cohabitationem non admittere ſponſam; quia turpius eijcitur,quàm non admittitur hoſpes.vt in tex.& l.patre.ff.de his,qui ſunt ſui,vel al.iur.

PROPTER præcedentem non poteſt.

QVIA vbi tractatur de præiudicio alterius, quod alicui ſemel placuit, ei amplius diſplicere non poteſt. c. quod ſemel. & c. mutare. de reg. iur. in 6. Et quoniam eſt præiudicium ſponſæ, ſi ipſa relinquatur ab eo, qui eam ducere promiſit; cum eius honeſtas in hoc patiatur detrimentum. c. ſponſam. de ſponſal. Ideo ex quo vir ſemel approbauit mores illius, & ipſa nouam cauſam reprobandi ei non dedit, tenetur iuramentum præſtitum ſeruare, & ipſam in vxorem ducere. vt in tex. & c. horrendus. 32. q. 5. Et ſibi imputet, ſi ſciens talem elegit. c. dilectiſſimi. 8. q. 2. & l. fin. C. de ſponſal.

§. Illud.

SI vir iurauit non accuſare vxorem, temerarium eſt iuramentum.

QVIA ſi huiuſmodi iuramentum obligaret, præberetur vxori peccandi facultas; dum ei impunè dolus futurus remitteretur. vt in tex. & l. conuenire. ff. de pact. dotal. Et quoniam iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis. ſupr. c. quanto. Ideo iuramentum de non accuſando vxorem de crimine futuro, non valet. vt in tex. & c. ex parte. de conſuet. licet de crimine iam commiſſo paciſci poſſit, ne de eo agatur. vt in tex. & l. ſi vnus. §. pacta. ff. de pact.

SED ſi ſpecialiter de adulterio hoc iurauit, denunciare poterit, ſed accuſare non debet.

QVIA patronus turpitudinis eſt, qui celat crimen vxoris. c. ſicut. 32. q. 1. Et qui tenet adulteram, ſtultus, & impius eſt. prouerb. cap. 18. Et ſecundum regulam Euangelij, ſi primò, & ſecundò correpta reſipiſcere non vult, dicendum eſt eccleſię: quam ſi non audierit, erit tanquam ethnica, & publicana deinde euitanda. Matth. cap. 18. Et ſic eſt curandum, ne ex illo iuramento libera ei præbeatur peccandi facultas propter impunitatem peccati. vt in tex. & l. 2. §. 2. ff. de adulter. Sed quoniam ſecundum euangelicam veritatem, vir poteſt dimittere vxori peccanti non ſolùm ſepties, ſed etiam vſque ſeptuagies ſepties. Luc. cap. 17. Ideo tutius in hoc caſu videtur, vt propter iuriſiurandi religionẽ, vir accuſare deſiſtat vxorem ad diuortium celebrandum, & eam denuntiet ad pęnitentiam peragendam. vt in tex. & c. dixit. 32. q. 1. Per hanc enim viam prouidetur contra delictum, vt mulier in illo non remaneat, & ſic animæ eius, & publicæ vtilitati conſulitur: & vir obſeruat iuramentum, quatenus tangit ſuum priuatum intereſſe, vt ad diuortium faciendum non agat. gloſ. hic. & c. vt famæ. de ſent. excomm.

Cap. 26. Et ſi Chriſtus.

LICITE ex cauſa neceſſaria iuratur.

QVIA

QVIA iuramentum ſecundum ſe, eſt licitum, & honeſtum; quod patet ex origine, & ex fine. Ex origine quidem, quia iuramentum eſt introductum ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuerſalem omnium cognitionem, & prouiſionem. Ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad iuſtificandum homines, & ad finiendum controuerſias. S.Thom.2.2.q.79.art.2. dicente Apoſtolo; homines per maiorem ſuum iurant; & omnis controuerſiæ eorum ad confirmationem finis eſt iuramentum. ad Hebr. cap.6.Sed quoniam iuramentum cedit in malum alicui ex eo, quod malè vtitur eo, id eſt, ſine neceſſitate, & debita cautela; videtur enim paruam reuerentiam habere ad Deum, qui eum ex leui cauſa teſtem inducit; quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto. Imminet etiam periculum periurij, quia de facili homo in verbo delinquit. S.Thom.d. art. 2. ſecundum illud Iacobi Apoſtoli: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. epiſt.cap.3. & ſecundum illud;iurationi non aſſueſcat os tuum; multi enim caſus in illa; Et vir multum iurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo eius plaga. Eccleſiaſt. cap. 23. Ideo ad iurandum non debet quemquam inducere ſpontanea voluntas, ſed neceſſitas trahere importuna. vt in tex. & S. Auguſt. de ſerm. Domini in monte. lib.1.cap.30. Et tunc poteſt quis ſine culpa iurare, dummodo illos tres comites habeat iuramentum, de quibus propheta ait; Et iurabunt, viuit Dominus, in veritate, & iudicio, & iuſtitia. Ierem. cap. 4. Si enim iſta defuerint, non erit iuramentum, ſed periurium. c.animaduertendum.22.q.2.

ET IAM per religioſos.

QVIA etſi Chriſtus præceperit, ſit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non. Matth.cap.5. vt affirmatio, vel negatio, ſicut procedit ex ore, ita procedat ex corde. vt in tex. Tamen quoniam hominum excreſcente malitia, ſimplici aſſertioni, vel negationi vix creditur; vnde Dominus prudenter adiunxit; quod amplius eſt, à malo eſt; à malo quidem non tam culpæ, quàm pœnæ, nec exhibentium, ſed exigentium iuramentum; nam incredulitas huiuſmodi magis eſt pœna, quàm culpa; vnde Dominus non dixit, malum, ſed à malo. vt in tex. Ideo licet religioſi debeant eſſe viri perfecti, & curare, in quantum poſſunt, vt iuramenti vinculum euitent; & tales eſſe, vt eis ſine illius exhibitione credatur; derogat enim dignitati perſonæ, vt dubitetur de veritate eorum, quæ dicit.c.nullus.22.q.5. vbi tamen exigit neceſſitas, etiam ipſi pro re vera, & licita iurare poſſunt; præſertim, ſi eſt neceſſarium, vt teſtificentur in cauſa monaſterij, ne propter teſtium defectum, illud ſuſtineat læſionem. vt in tex.& S.Thom.2.2.q.89.art.10.

Cap. 27. Sicut, il 2.

IVRAMENTVM contra vtilitatem eccleſiaſticam præſtitum non tenet.

QVIA conditio eccleſiæ eſt melioranda, non autẽ deterioranda. c. nulli. de reb. eccl. non ali. & c. fine. 12. q. 2. Et quoniam iuramentum non fuit inſtitutum, vt eſſet vinculum iniquitatis. ſupr. c. quanto. Ideo non iuramenta, ſed periuria potius ſunt dicenda, quæ contra vtilitatem eccleſiaſticam attentantur. vt in tex. & ſupr. c. peruenit, il 1. periurium autem dicitur tale illicitum iuramentum, quia non habet comites, iuſtitiam, iudicium, & veritatem, quos debet habere omne iuramentum. c. animaduertendum. 22. q. 2. non autem dicitur periurium ex eo, quod illius tranſgreſſio ſit peccatum, prout eſt tranſgreſſio liciti iuramenti. c. in dolo. 22. q. 2. quia non peccat quis non ſeruando illicitum iuramentum, ſed peccat temerè iurando. c. ſi aliquid. 22. q. 4. & pro illa temeritate eſt ei pœnitentia iniungenda. c. qui ſacramento. 22. q. 4.

Cap. 28. Cum contingat.

IVRAMENTVM præſtitum ſuper actu à lege infirmato principaliter fauore iurantis, licet ſecundario in fauorem publicum, neceſſario eſt obſeruandum.

QVIA iuri pro ſe principaliter introducto quilibet renunciare poteſt. c. ad apoſtolicam. de regular. licet non poſſit renunciare iuri principaliter introducto in publicum fauorem. c. ſi diligenti. de for. comp. Et quoniam in iure attenditur quod principaliter fit, non quod in conſequentiam venit. c. cum voluntate. de ſent. excom. Et non eſt tutum, quemlibet contra iuramentum ſuum venire, niſi tale ſit, quod ſeruatum vergat in interitum ſalutis æternæ. ſupr. c. ſi verò. Ideo quando lex eſt fundata principaliter ſuper fauore priuati, licet ſecundariò tendat in publicam vtilitatem, iuramentum præſtitum contra illius diſpoſitionem, obligat iurantem. vt in tex. & Authent. ſacramenta. C. ſi aduerſ. vend. Nec lex intendit iſtam obligationem per ſuam contrariam diſpoſitionem impedire, ex quo nec ex perſona iurantis, nec ex parte materiæ, reperitur aliqua turpitudo contra bonos mores, aut contra publicum bonum. c. 2. de pact. in 6. & cap. ne quis. 22. q. 2. quam obligationem nec etiam poſſet impedire reſpectu adimplementi faciendi Deo, licet poſſet impedire reſpectu commodi acquirendi homini. Abb. hic. cum lex ſubijciatur Deo. c. ſi habes. 24. q. 3. Et homo ſubijciatur legi. l. eſt lex. ff. de fideiuſſor. Et inferior nõ poteſt exercere ius in ſuperiorem, ſed in inferiorem. c. Iulianus. 11. q. 3. Et eſt præceptum Domini; vt ei quis reddat iuramenta ſua. Matth. cap. 5.

SI non vi, nec dolo fuit præſtitum.

QVIA iuramentum vi, aut dolo extortum, continet iniquitatem ex parte cogentis. ſupr. c. verum. Et quoniam iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis. ſupr. c. quanto. & ex ſua malitia nemo debet commodum reportare. c. plerunque. de reſcript. Ideo à tali iuramento eccleſia ſolet abſoluere, ne adimpleatur. vt in tex. & ſupr. c. ſi verò. Dicendum eſt tamen, quod aut iuramentum eſt metu extortũ in caſu à lege non prohibito, & tunc reſpectu materiæ, eſt ipſo iure obligatoriũ, ſed propter iniquitatem cogentis ſolet ab eo concedi abſolutio, & ſic loquuntur. ſupr. c. ſi vero. & c. verum. & S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. Aut eſt in caſu à lege prohibito, & tunc non obligat ipſo iure, quia propter legis reſiſtentiam, eſt de re illicita, & iniquum. vt in tex. & c. 2. de pact. in 6. & d. Authent. ſacramenta. C. ſi aduerſ. vend.

ET in alterius præiudicium principaliter non redundat.

QVIA iure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletiorem. l. iure naturæ. ff. de reg. iur. Et alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri. c. non debet. de reg. iur. in 6. Et quoniam vbi iuramentum eſt illicitum, & contrarium rationi, non tenet. ſupr. c. cum quidam. Et in iure attenditur, quod principaliter fit, non quod in conſequentiam venit. d. c. cum voluntate. Ideo iuramentum, quod principaliter in alterius detrimentum redundat, non eſt ſeruandum. vt in tex. & ſupr. c. venientes.

Cap. 29. Sicut, il 3.

MOVENS bellum iniuſtum, compellitur reſtituere, quæ per violentiam occupauit.

QVIA quæ in bello iniuſto capiuntur, iniuſtè detinentur. cap. iuſtum. 23. q. 2. & l. nihil intereſt. ff. de capt. & poſtl. reu. cum enim inter nos cognationem quandam natura conſtituerit, conſequẽs eſt, hominem homini inſidiari, nefas eſſe. l. vt vim. ff. de iuſt. & iur. Et quoniam non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. c. cum tu. de vſur. Ideo ſicut mouens bellum iuſtum, facit ſua, quæ occupat ab hoſtibus. c. ius gentium. diſt. 1. & c. dicat. 23. q. 5. ita qui illud mouet iniuſtè, ad rerum occupatarum reſtitutionem tenetur. vt in tex. & l. latrones. ff. de capt. & poſtl. reu. Quando autem bellum dicatur iuſtum, vel non, vide S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 1. & Alphonſ. de caſtr. lib. 2. cap. 14. de iuſta hæret. punit.

ET eos abſoluere, à quibus indebitè iuramenta extorſit.

QVIA tale iuramentum continet turpitudinem ex parte recipientis. vt in tex. Et quoniam iuramentum non debet eſſe vinculum

iniquitatis. ſupr.cap.quanto. & malitia ſua nemini prodeſſe debet. cap. plerunque.de reſcript. Ideo ille,cui fuit ſic indebitè iuratum, debet remittere tale iuramentum; & ſi ipſe remittere nolit, eccleſia abſoluet, vt in tex. & ſupr. cap.debitores. non autem poteſt ex ſe contrauenire ille,qui ſic iurauit.ſupr.cap.ſi verò. cum illud non contineat turpitudinem ex parte iurantis. ſupr. cap. 1. & non eſt tutum, aliquem venire contra ſuum iuramentum,quando ſine peccato poteſt obſeruari. cap.ſi aliquid.22.q.4.& S.Thom.2.2.q.89.art.7.

§. Iuramentum.

NON adſtringitur quis iuramento ad implendum,quod iurauit, ſi ab alia parte non impletur, cuius reſpectu præſtitum eſt iuramentum.

QVIA iuramentum,quod ex mutuo aſſenſu eſt præſtitum,habet in ſe tacitam conditionem,ſi,& in quantum fuerit etiam ab aduerſa parte impletum, quod promiſit. c.de illis. de condit.appoſit. Et quoniam pacta,& contractus ex conuentione legem accipiunt. c.1. de pact. & l.Titia.§.idem. ff.de verb. oblig. Et iuramentum non extenditur vltra,quàm in eo ſit cogitatum.ſupr.cap.quintauallis. Ideo iuramentum, quod aliquis præſtitit, ſi de aſſenſu factum eſt vtriuſque,non ligat eum, qui præſtitit, dum ille, cui præſtitum fuit, ſeruare negligit, quod promiſit. vt in tex. & ſupr. c. peruenit il 2. Et fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſeruari, cui fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat. c. fruſtra. de reg.iur.in 6.

Cap.30. Nimis.

CLERICI non habentes temporalia à laicis, non tenentur eis præſtare iuramenta fidelitatis.

QVIA iuramentum fidelitatis præſtatur domino à vaſallo. ſupr. c.ego N. & lib.2. feudor.tit. quid præced. deb. an inueſt. vel fid. Et quoniam laicis ſuper eccleſijs, & perſonis eccleſiaſticis nulla eſt attributa facultas; quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi.c.eccleſia.de conſtit. Non enim à legibus publicis, non à poteſtatibus ſæculi, ſed à pontificibus, & ſacerdotibus, omnipotens Deus Chriſtianæ religionis clericos, & ſacerdotes voluit ordinari, & diſcuti, & recipi de errore remeantes. c. ſi imperator. diſt.96. Ideo nimis de iure diuino laici vſurpare nituntur,cum viros eccleſiaſticos,nihil temporale obtinentes ab eis,ad præſtandum ſibi fidelitatis iuramẽta inducere volunt. vt in tex.& cap.nullus.de for.comp. Seruus enim domino ſuo,aut ſtat, aut cadit. Apoſt.ad Roman.cap.13. Si verò perſona eccleſiaſtica obtineat feudum à laico, ratione illius eſt in illo ei inferior, & pro illo debet ei fidelitatem iurare. c.verum. de for.comp. & c.vnic.§.verum.de ſtat.regul.in 6.

Cap.

Cap. 31. Petitio.

QVI iurat non esse contra aliquem, potest in causis proprijs, & ecclesiæ suæ, esse contra eum.

QVIA iuramentum generale non extenditur ad verisimiliter non cogitata. c.ne quis. 22. q.2. nec debet ad illicita obligare. supr. cap. quanto. Et quoniam non est verisimile, quod per illud quis voluerit se obligare ad rerum suarum defensionem negligendam. supr. c. veniens. cum nemo præsumatur velle iactare suum. l. cum de indebito. ff. de probat. Et iuramentum de non defendendo res ecclesiæ, esset illicitum. supr. cap. 2. Ideo qui iurauit non esse contra aliquem; debet intelligi secundum subiectam materiam, de qua tunc agebatur, vt iuxta illam, si sit res licita, iuramentum recipiat ampliationem, vel limitationem; non autem est extendendum vltra illam in casibus illicitis, vel de quibus non fuit cogitatum. vt in tex. & supr. cap. quintauallis. Iuramentum enim, sicut & contractus, & alia, quæ inter homines geruntur, recipit limitationem, & declarationem à causa mouente, seu impellente ad ipsum iuramentum, seu contractum. l. fin. C. de condit. indeb. & l. fin. ff. qui satisd. cog. Causa autem mouens, & impellens cognoscitur ex præambulis habitis inter partes, quæ debent apparere adnotata in ipso contractu, & actu gesto. l. Titia. §. idem. ff. de verb. oblig. & l. item quia. ff. de pact.

Cap. 32. Ex litteris.

CVM agitur de vsuris, potest iudex in qualibet parte litis ex officio suo, deficientibus probationibus, exigere à partibus iuramentum de veritate dicenda.

QVIA vbicunque æquitas mouet iudicem, ipse potest interrogare. l. vbicunque. ff. de interrog. act. Et vbi imminet peccatum, debet ad illud euitandum diligenter inuigilare. cap. causam, il. 1. de iudic. Et quoniam si huiusmodi iuramentum in tali casu non præstaretur, iustitia, occultata veritate, periclitaretur. c. 1. de iuram. cal. in 6. Et non est de substantia ordinis iudiciarij, quod in principio causæ tale iuramentum præstetur, licet sit de conuenientia. glos. hic. Ideo vt euitetur peccatum, quod esset, si vsurarius non pœniteret, & quod indebitè percepit, non restitueret. c. cum tu. de vsur. si hoc iuramentum non fit à partibus sufficienter præstitum, potest in defectum aliarum probationum, à iudice exigi, quandocunque sibi visum fuerit expedire. vt in tex. & cap. 3. de testib. in 6. Et eadem ratione potest illud exigere in qualibet alia causa, in qua imminet periculum animarum, licet aliàs ex natura causæ, quæ non esset spiritualis, non præstetur iuramentum de veritate, sed de calumnia. c. 1. de iuram. cal. in 6. & c. iudicantem. 30. quæst. 5.

Cap. 33. Intellecto.

SI positus in dignitate alienat bona dignitatis, non valet alienatio.

QVIA bona dignitatis sunt propria ipsius dignitatis, non autem existentis in illa, licet ipse habeat iurisdictionem, & administrationem illius. c. non liceat. 12. q. 2. & Authent. de non alienand. aut permut. coll. 1. hinc est, quod Regnũ, seu alia dignitas non diuiditur post mortẽ Regis inter filios defuncti. c. licet. de vot. Et quoniam pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de iure donare. c. quod autẽ. de iure patr. & l. traditio. ff. de acqu. rer. dom. cum nemo possit plus iuris in alium transferre, quã ipse habeat. c. nemo. de reg. iur. in 6. Ideo alienatio facta sine debitis requisitis, ab eo, qui dignitati præest, non tenet. vt in tex. & c. nulli. de reb. eccl. non ali.

ET ipse reuocare debet.

QVIA quilibet potest venire contra factum suum, vbi illud est illicitum, & ius exprimit, vt ille habeat contraueniendi facultatem. cap. certè, & ibi glos. 12. q. 1. Et quoniam ius non solùm dat facultatem, vt ille, qui indebitè alienauit bona dignitatis, possit alienationi factæ contrauenire, sed præcipit, vt ei contraueniat, & bona male alienata recuperet. c. si quis. de reb. eccl. non ali. Ideo positus in dignitate, si male alienauit, debet alienationem illã reuocare. vt in tex. & l. iubemus. §. sanè. C. de sacr. san. eccl. Et similiter debet studere, vt recuperet, quod ab eius prædecessoribus fuit in detrimentum dignitatis alteri illicitè concessum. c. quod quis. 36. q. 9.

NON obstante iuramento de non reuocando.

QVIA iuramenta, quæ fiunt in damnum suæ dignitatis, sunt iniqua, & non tenent. supr. c. sicut, il 2. Et quoniam iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis. supr. c. quanto. & in malis promissis est rescindenda fides. c. in malis. 22. q. 4. Ideo tale iuramentum non obligat iurantem in præiudicium dignitatis, & nõ est seruandum. vt in tex. & supr. c. cum contingat. Sed pro eo, quod male iurauit, est ei pœnitentia iniungenda. c. necesse. 22. q. 4.

MAXIME, si prius iurauit non alienare.

QVIA iuramentum, quod præstant promoti ad dignitates, de non alienandis bonis illarum, est licitum, & obligat iurantes. c. vt super. de reb. eccl. non ali. & c. 2. de fœud. Et quoniam iuramentum licitè præstitum transgredi non licet. supr. c. si verò. Et si vnum contrariorum est bonum, reliquum est malum. cap. sciendum. 8. q. 1. Ideo primum iuramentum de non alienando, est seruandum; & secundum de re-

de re alienata non reuocanda, non eſt attendendū. vt in tex. & ſup. cap. venientes. Sed in quantum dicitur, quod Rex non poteſt in præiudicium Regni alienare, eſt intelligendum de alienatione, per quam dignitas regalis grauiter læderetur. Innoc. hic. non enim per hoc interdicitur ei omnis donatio, vel alienatio. c. grandi. de ſuppl. negl. præl. in 6. cum proprium Regum, & Principum ſit donare. cap. 1. de donat. & Ariſt. 4. Ethic. cap. 3. Et ſimile dic in Prælato, qui iurat non alienare, inconſulto Papa. c. fin. de eccl. ædific. non enim debet intelligi de modica alienatione. d. c. vt ſuper, nam iuramentum non extenditur ad veriſimiliter non cogitata. ſup. c. veniens. Et de iſtis modicis non cenſetur cogitatum. Federic. conſil. 220. cum ſint excluſa à ſolemnitate debita. c. terrulas. 12. q. 2.

Cap. 34. Mulieri.

SI mulier iurauit aliquem eſſe ſuum maritum, & ſuccubuit, quia aliter non probauit, non datur, nec denegatur ei licentia cum alio contrahendi.

QVIA ſi talis licentia ei daretur, iudex periurij auctor eſſe videretur; ſi illa ei denegaretur, matrimonium legitimum, ſi ipſa falſum iuraſſet, indebitè impediretur. vt in tex. Et quoniam eccleſia ſicut non debet viam periurijs aperire. ſup. c. cum contingat. ita non intendit in caſibus licitis matrimonia impedire. c. ex literis, il 2. de ſponſal. Et propter periurium quis non fit inhabilis ad matrimonium. c. deinde. diſt. 26. quæ autem ſint crimina impedientia matrimonium. not. gloſ. in c. 2. de pœnit. & remiſs. Ideo ex quo eccleſia dubitat, an verum, vel falſum talis mulier iurauerit, aſſumit viam mediam, vt nec illi prohibeat, nec licentiam cum alio contrahendi concedat, ſed eam ſuæ conſcientiæ relinquat. vt in tex. & c. ſuper eo. de cogn. ſpirit. Ipſa enim mulier ſcit, an contrahere poſſit; nam ſi verum eſt, quod iurauit, nullum matrimonium poteſt contrahere quoad Deum; at ſi falſum eſt, bene contrahere poteſt. gloſ. hic. Sed de eo, quod falſum iurauit, eſt pœnitentia illi iniungenda. c. neceſſe. 22. q. 4.

Cap. 35. Clericus.

QVI iurauit ſeruare ſtatuta edita, & poſtea per illud iuramentum, aliter non iurando, promiſit ſeruare edenda, ſeu poſtea edita, non tenetur ex iuramento ad nouiter edita.

QVIA iuramentum non extenditur, niſi ad ea tantum, de quibus eſt cogitatum tempore, quo præſtatur, & non ad ea, quæ præter intentionem iurantis, poſtea accidunt. ſup. c. quemadmodum. Et quoniam in tali caſu non fuit cogitatum, niſi de ſtatutis tunc exiſtentibus, cum ſolum iurauerit ſeruare ſtatuta edita. vt in tex. Ideo clericus,

cus, qui iurauit, se statuta in ecclesia sua edita seruaturum, promittens per idem iuramentum, statutum, quod postmodum subsecutum est, fideliter obseruare; licet transgredi non debeat, quod promisit, non tenetur ad illius obseruantiam ex debito præstiti iuramenti. vt in tex. & l. cum aquiliana. ff. de transact.

Cap. 36. Iuramentum.

IVRAMENTVM litis decisorium à iudice delatum, sine iusta causa recusari non potest.

QVIA maximum remedium expediendarum litium, est iuramentum. l. 1. ff. de iureiur. Triplex enim ad illas finiendas est remedium, scilicet, sententia. l. 1. ff. de re iudic. Item transactio. l. fratris. C. de transact. Item iuramentum. d. l. 1. de iureiur. Et quoniam ius redditur in inuitum. l. inter stipulantem. ff. de verb. oblig. Et litium finis est desiderandus. c. finem. de dol. & cont. Ideo vbi ad finiendam litem, iudex videt, ob inopiam probationum, esse opportunum iuramentum, potest illius remedium adhibere. vt in tex. & l. generaliter. §. sin autem. C. eod. & si pars, cui fuerit ab eo delatum, sine iusta causa illud subire recusat, contra se fateri videtur. l. in bonæ fidei. C. eod. Quæ autem sint iustæ causæ illud recusandi, not. Bart. in l. manifestæ. ff. eodem.

DELATVM verò à parte, licitè recusatur, & refertur.

QVIA vna pars non habet iurisdictionem in aliam, vt possit eam ad aliquid in iudicio coarctare. c. forus. de verb. sign. & c. prout. de dol. & cont. Sed quoniam æquitas requirit, vt ius, quod alijs quis conatus est imponere, sibi illud dici patiatur. l. 1. ff. quod quisque iur. Et sapientis est auctoritas; patere legem, quam tu ipse tuleris. c. cum omnes. de constit. Ideo licet iuramentum iudiciale, quod à parte parti defertur, possit liberè sine causa recusari, etiam illud non referendo; pars tamen, quæ à principio deferendi elegit decisionem per iuramentum, non potest illud sibi relatum, sine iusta causa recusare. vt in tex. & d. l. generaliter. §. 2. quæ autem sint iustæ causæ, vt illud non referatur. not. Abb. hìc. Verum si iudex approbat iuramentum delatum à parte, iubendo, vt altera pars iuret, vel referat, tunc non potest pars alterum istorum recusare, non ex vi delationis factæ à parte, sed ex iussu facto à iudice. l. delata. C. eod. Ex quo enim iudex approbat illam viam decidendi, manifestæ turpitudinis est, & confessionis, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre. d. l. manifestæ.

IN actione tamen famosa non licet reo referre.

QVIA delictum, de quo in tali actione quæritur, non cadit in scientiam eius, cui iuramentum refertur, sicut in scientiam illius,

lius, cui ab initio defertur. l. Marcellus, & ibi glos. fin. ff. rer. amot. taliter enim conuentus præsumitur melius scire veritatem, quàm actor, seu accusator; nam si tu subtraxisti mihi rem meam ciam, & defero tibi super hoc iuramentum, si tu referres mihi, non possem cum bona conscientia iurare; cum illud certò non sciam, sed tu, qui es informatus de facto tuo, bene scis, an cum bona conscientia possis tale iuramentum subire. Bart. in l. iusiurandum. ff. de iureiur. Et quoniam si in tali casu permitteretur reo, vt posset actori, siue accusatori iuramentum referre, illud de facili referret, vt ipse releuaretur ab onere iurandi, & actor inculparetur, qui non bene informatus iurare nollet. glos. in l. delata. C. eod. Ideo ne reus, qui deliquit, sic veritatem occultet, & malitiosè subterfugiat punitionem, regulariter prohibetur in tali actione referre iurameutum litis decisorium. vt in tex. & d. l. Marcellus. Si verò actio famosa esset talis, vt in ea actor, seu accusator posset ita esse informatus, sicut reus, tunc posset reus ei iuramentum referre; vt si accuso te, quod mihi tuleris iniuriam, nam tunc est eadem notitia, & ratio in vtrisque. Bart. in l. lex Cornelia. §. hac lege. ff. de iniur. vnde idem ius constitui debet. l. illud. ff. ad leg. aquil. Est tamen sciendum, quod qui defert hoc iusiurandum litis decisorium, tenetur ipse prius iurare, si ab eo exigatur, quod illud per calumniam non defert. l. iusiurandum. §. qui. ff. de iureiur. & l. fin. C. de fideicom.

§. Sanè.

ACTORE nihil probante, reus est absque omni onere absoluendus.

QVIA qui conuenitur tanquam reus, constituitur ab actore in aliqua culpa, vel ob rem indebitè detentam, vel ob factum turpiter gestum. c. forus. de verb. sign. Et quoniam vnusquisque præsumitur bonus, nisi malus esse probetur. c. vnic. de scrut. in ord. fac. Ideo si actor omnino in probatione defecerit, reus debet (etsi nihil præstiterit) obtinere, vt in tex. & l. qui accusare. C. de edend.

SI verò præsumptio est pro eo, defertur reo iuramentum, vel ipsi actori, consideratis personarum, & causæ circunstantijs.

QVIA diuersæ species probationum, quæ singulæ sufficienter non prosunt, possunt vniri, vt simul faciant probationem perfectam. c. cum causam. de probat. Et quoniam maximum remedium expediendarum litium est iuramentum. l. 1. ff. de iureiur. Et propriæ salutis nemo præsumitur esse immemor. c. sancimus. 1. q. 7. Et quæ argumenta ad quem modum probandæ cuique rei sufficiant, nullo certo modo satis definiri potest. l. 3. ff. de testib. Ideo præsumptione faciente pro actore, reo deferri potest ad ostendēdam suam innocentiam iuramentum, nisi iudex (inspectis personarum, & causæ circunstantijs) illud actori videat deferendum. vt in tex. & l. in bonæ. C. eod.

In

In Sexto. Cap. 1. Contingit.

PRAELATI, Canonici, rectores, & officiales locorum, qui iurant statuta, & consuetudines loci, vel ecclesiæ seruare, prætextu talis iuramenti non obligantur ad illicita, impossibilia, vel obuiantia ecclesiasticæ libertati.



VIA iuramentum non fuit institutum, vt esset vinculum iniquitatis, extr. c. quanto. Et quoniam rebus debemus vti eo modo, ad quem sunt institutæ. c. is autem. 22. q. 2. Ideo per iuramentum non potest quis se ad talia illicita, & impossibilia obligare. vt in tex. & ext. c. quintauallis. Libertas autem ecclesiastica in quibus consistat, & quando quis dicatur facere contra eam. not. Innoc. in c. nouerit. extr. de sent. excom.

NEC ad ea debet intentio sua referri.

QVIA nemo præsumitur propriæ salutis immemor. c. sancimus. 1. q. 7. Et impossibilium nulla est obligatio. c. nemo. infr. de reg. iur. Et quoniam in obligatione generali non veniunt eæ, quæ non esset in specie quis verisimiliter obligaturus. l. obligatione. ff. de pignor. Ideo huiusmodi iuramentum generaliter præstitum, est interpretandum, vt se extendat ad ea, quæ possunt licitè, & possibiliter seruari, non autem ad ea, quæ non possunt absque diuina offensa præstari: nec ad ea, quorum adimplementum non est in potestate iurantis. vt in tex. & ext. c. veniens.

Cap. 2. Licet.

PER ecclesiasticum iudicem ordinarium loci, compellitur iudex secularis ecclesiastica censura ius canonicum, quod ad prouisionem animarum statutum est, seruare.

QVIA ad iudicem ecclesiasticum ordinarium loci spectat prouidere, vt in sua diœcesi peccata ab omnibus euitentur. c. 1. ext. de offic. ordin. Et quoniam iuris canonici statuta omnes ligant. c. 1. de constit. Ideo vbi Papa intendit per suas constitutiones aliquos obligare, illi tenentur eas seruare; & si sunt iudices, secundum ipsas debent iudicare; aliàs, vt euitetur peccatum, quod facerent contraueniendo, possunt ad illarum obseruantiam per iudicem ecclesiasticum coerceri. vt in tex. & extrauag. vnam sanctam. de maior. & obed. Et intellige, quod iudex ecclesiasticus compellit iudicem sæcularem ad ius canonicum obseruandum, vbi agitur de periculo animæ. vt in tex. & c. decernimus. infr. de sent. excom. vel vbi est de sua temporali iurisdictione. c.

cum

cum esses. ext.de testam. Et vbi mandat suas sententias obseruari. Innoc.in c.1.de offic.ord.aliàs quodlibet ius seruatur in foro suo. Gemin. hìc. cum non sit intentio Papæ in alijs casibus inter laicos iuri ciuili derogare.cap.si duobus. §.fin.ext. de appellat.& cap.fin.& ibi glos.sup. de arbitr.

Cap. 3. Cum in positionibus.

ELECTVS, post sacramentum ponens, vel respondens contraria directè (nisi rationabiliter excusetur) velut periurus à confirmatione repellitur.

QVIA ille, qui positiones producit, eas confiteri videtur.sup.c.2. de confess. Et quoniam qui duo contraria confitetur, in vno illorũ mentitur.extr.c.tua,il 1. Contrariorum enim se directè opponentium ea est natura, vt si vnum est verum, alterum sit falsum. c. hospitiolum.dist.32.& Arist.12.Metaphysic.tex.53.Et qui iurat falsum, dicitur periurus. c.animaduertendum. 22.q.2. & periuri sunt infames. c.testimoninm. extr. de testib. Et infamibus portæ dignitatum patere non debent.c.infamibus.infr.de reg.iur.Ideo tali electo(nisi iusta,& rationabilis causa eum excuset) est super ipsa electione perpetuum silentium imponendum. vt in tex.& ext.c.querelam.Rationabilis autem,& iusta causa eum excusandi in tali casu à periurio, poterit esse; vt si vnum ex dictis contrarijs possit multipliciter intelligi. c.cum dilectis. ext.de accusat.vel si vult probare,se errasse in altero de contrarijs,maxime vbi poneretur, vel responderetur de facto alieno,in quo probabilis est error. c.ex parte.ext.de conf.& l.de ætate. §.fin.ff.de interrog.act. vel si in continenti se corrigat. glos. hìc. ver. iusta. cum & testis in tali casu à periurio excusetur.c.præterea. ext.de testib.cog.

IDEM, si hoc fecerit procurator, ipso mandante, vel ratum habente, vel non reuocante.

QVIA qui per alium facit, per seipsum facere videtur. c. mulieres.ext.de sent.excom.& l.ita.ff.de administr.tut.Et ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato. c.ratihabitionem. infr.de reg. iur.& l.hoc iure. ff.eod. Et qui scit aliquid gestum per suum procuratorem excedentem fines mandati, & illud non reuocat, videtur per subsequentem consensum, idem tacite ratificare,& factum alienum censetur facere suum. c.1.ext.vt lit.non cont.& c.error. dist.83. Et quoniam vbi eadem est ratio, idem ius constitui oportet. l.illud. ff.ad leg. aquil. Ideo talis electus est à confirmatione repellendus, si per procuratorem in huiusmodi contrarietatem,& periurij incurrerit,sicut si per seipsum ista commisisset. vt in tex.& c.si compromissarius.sup.de elect.

In Clement. Cap. vnic. Romani.

IVRAMENTA, quæ Romanæ Ecclesiæ præstant Romani Principes, fidelitatis existunt.

QVIA tenor iuramenti, quod præstant Reges Romanorum coronandi in Imperatores, est talis; Ego N. Romanorum Rex, annuente Domino, futurus Imperator promitto, spondeo, & polliceor, atque iuro coram Deo, & beato Petro, me de cætero protectorem, procuratorem, & defensorem fore summi Pontificis, & huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus, & vtilitatibus suis, custodiendo, & conseruando possessiones, honores, & iura eius, quantum diuino suffultus adiutorio fuero; secundum scire, & posse meum recta, & pura fide; sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia. vt in tex. & c. tibi. dist. 63. Et quoniam huiusmodi iuramentum continet quantum ad effectum, mentem, & virtutem, capitula, quæ solent fidelitatis iuramenta continere. vt in tex. & c. de forma. 22. q. 5. Et potius sensum, & mentem, quam nudum verborum corticem sectari debemus. c. præterea. de verb. sign. & c. Marcion. 1. q. 1. Ideo iuramentum hoc fidelitatis existit, & tale est censendum, quamuis fidelitatis verbum in eo expresse non dicatur. vt in tex. & in Pontificali, quod aliàs vocatur Ordinarium episcopale, vbi agit de coronatione Imperatoris in Vrbe.

Liber Secundus. Titulus XXV.

DE EXCEPTIONIBVS.

In Decretal. Cap. 1. Denique.

SI testis de crimine contra eum excepto conuincitur, vel aliàs conuictus apparet, repellitur à testimonio.

QVIA testes absque vlla infamia, vel suspicione, vel manifesta macula, in ferendo testimonio requiruntur. vt in tex. & cap. testes. 2. q. 7. Et quoniam qui in iudicio detegitur criminosus, efficitur infamis. c. testimonium. de testib. Et iustitia non potest cum scelerato homine habere commercium. c. forus. de verb. sign. Ideo si crimina, de quibus conuicti, vel confessi fuerint, testibus obijciuntur, à testimonio

teſtimonio repelli poſſunt; & non eſt credendum contra alios eorum confeſſioni, niſi prius ſe probauerint innocentes. vt in tex. & c. non eſt. 3. q. 11. probant autem ſe innocentes, ſi probant ſe emendatos. gloſ. hic. quod probare poſſunt per ſacerdotem ſuum. c. ſi peccauerit. 2. q. 1. & c. nemo. de ſimon.

SED de crimine non punitur.

QVIA quando crimen obijcitur in teſtem per modum exceptionis, regulariter non agitur ad hoc, vt ipſe de illo puniatur, ſed vt ei non credatur; nec contra ipſum procedit accuſatio, ſecundum quod iuris ordo requirit. vt in tex. & c. per inquiſitionem. de accuſat. Et quoniam iudex, quando procedit ad petitionem partis, non poteſt condemnare vltra petitionem libelli. l. fin. C. de fideicom. libert. Ideo teſtis, contra quem excipitur de crimine, quamuis exceptio illa probetur, de tali crimine tunc pœna ordinaria non punitur; ſed ſufficit ſi à perhibendo teſtimonio repellatur. vt in tex. & c. 2. de ord. cogn.

SI non tangit negotium principale.

QVIA ratione contingentiæ videtur deductum in iudicium crimen, de quo contra teſtem excipitur, ſicut id, de quo principaliter agitur. l. 2. §. ſi publico. ff. de adulter. Et quoniam de connexis, in quibus eſt eadem ratio, idem debet eſſe iudicium. c. tranſlato. de conſtitut. & iudex, de qua re cognouit, de ea pronunciare debet. c. cum ſuper. de cauſ. poſſeſſ. & propr. Et ſententia eſt ferenda iuxta petitionem libelli. c. qualiter. de accuſat. Ideo ex quo tale crimen videtur deductum in iudicium, vt teſtis, contra quem de illo excipitur, puniatur, cum ipſe fuerit in eo culpabilis repertus, non debet recedere impunitus. vt in tex. & l. 1. ff. de except. Quando autem crimen dicatur contingere cauſam principalem. not. Bart. in l. ſi confeſſus. ff. de cuſtod. & exhib. reor.

Cap. 2. A nobis.

REO excipienti de excommunicatione contra actorem, non obſtat communionis replicatio.

QVIA communicans excommunicato, ſi non communicat in crimine; ſed aliter ſecum participat in locutione, vel alio ſimili modo, regulariter ſolum minorem excommunicationem incurrit. cap. nuper. de ſent. excom. Et quoniam maiori excommunicatione ligatus non poteſt ſtare in iudicio vt actor. infr. c. 1. in 6. cum per illam ſit à fidelium communione ſeparatus. c. penult. de ſent. excom. licet in eo poſſit ſtare vt reus, ne commodum de ſua malitia reportaret, ſi conueniri non poſſet. c. intelleximus. de iudic. & ne defenſio, quæ eſt de iure naturali, ſibi indebitè denegetur. infr. c. cum inter. Excommunicatione autem

autem minori innodatus poteſt ſtare in iudicio etiam vt actor, cum per illam ſit ſolum à ſacramẽtorum participatione remotus. c. ſi quem. de ſent. excom. Ideo reus poteſt excipere contra actorem, vt non poſſit eum in iudicio conuenire, ex eo, quod ſit maiori excommunicatione innodatus; & actor non poteſt replicare contra eum, quod fuerit ſecum conuerſatus, & quod per id ſibi præiudicium fecerit, ad excommunicationem maiorem ei opponendam. vt in tex. & c. fin. de cleric. excom. licet excommunicatione minori ligatus poſſit etiam ipſe repelli ab accuſando vt criminoſus. Imol. hic. Nec obſtat, ſi dicatur, quod alteri quis obijcere non debet id, quod ipſe ſeruare recuſauit. c. pro illorum. de præb. Et quod non poteſt quis eum reprobare, cuius mores ſemel approbauit. l. Pomponius. ff. de negot. geſt. nam reſpondetur, quod vbi approbatio, ſeu habilitatio dependet à voluntate approbantis, tunc ipſe non poteſt illum approbatum impugnare, nec per viam actionis, nec exceptionis, & hoc caſu loquuntur iura in contrarium adducta, & ſimilia. c. quemadmodum. de iureiur. vbi verò non dependet à voluntate ſua, tunc non obſtante illa communione, ſeu tacita approbatione, poteſt contra illum, ſaltem per viam exceptionis inſtare. cap. noſtri. de elect. Et quia communicando excommunicato, quis non poteſt eum ad iudicia habilitare. c. nulli. de ſent. excom. Ideo communione illa non obſtante, poteſt contra eum de excommunicatione excipere. vt in tex. & infr. c. exceptionem.

Cap. 3. Cum Eccleſiaſticæ.

HABENS plura beneficia, contra alium de pluralitate non excipit.

QVIA ſibi ipſi videtur eſſe contrarius, qui in alio reprehendit id, quod ipſe agit. c. ſolicitudinem. de appellat. Et quoniam contraria proponens, non eſt in iure audiendus. l. vbi pugnantia. ff. de reg. iur. Ideo quis non poteſt reprehendere pluralitatem beneficiorum in alterius perſona, dum illam putat æquam in ſua. vt in tex. & c. nihil. 32. q. 6. Præterea talis non videtur moueri bono zelo ad conuerſionem alterius, ſed potius inuidia, vel deſiderio obtinendi beneficia, quæ ille eſſet dimiſſurus. Abb. hic. Et malitijs non eſt indulgendum. c. plerunque. de reſcript. Præterea, obtinere plura beneficia, non ſemper eſt peccatum. c. de multa. de præb. & c. gratia. de reſcript. in 6. Et dubia in meliorem partem ſunt interpretanda. c. eſtote. infr. de reg. iur. Præterea, ſibi dici poſſet illud Euangelij; Hypocrita eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui. Matth. cap. 7. Et illud ſapientis; patere legem, quam tu ipſe tuleris. c. cum omnes. de conſtit. & l. 1. ff. quod quiſque iur. Ideo qui vult excipere de aliquo defectu contra alium, non debet ipſe eodem morbo laborare. l. in arenam. C. de inoffic. teſtam.

Cap.

Cap. 4. Paſtoralis.

IVDEX ſtatuere debet terminũ ad omnes dilatorias proponendas.

QVIA per dilatorias exceptiones, malitiosè nonnunquam cauſarum terminatio prorogatur. vt in tex. Et quoniam lites ſunt amputandæ, & intra competentem terminum expediendæ. c. finem. de dol. & cont. & l. properandum, C. de iudic. Ideo vbi iudex videt, quod pars vellet nimium litem prorogare, debet ei terminum ſtatuere, intra quem opponat quicquid in iudicio dilatoriè excipere intendit. vt in tex. & l. fin. C. de except. Qui terminus regulariter eſt præfigendus ad inſtantiam partis, ſed vbi iudex videt illum neceſſarium, poteſt etiam ex officio ſuo illum aſſignare. Bart. in l. 2. ff. de re iudic. & Specul. de dilation. §. videndum.

POST quem, excipientem non audiet.

QVIA iſta præfixio termini habet vim conteſtationis litis. Abb. hic. Et quoniam terminus hominis ſubrogatus in locum termini iuris, cenſetur idem cum termino iuris. c. perſonas, & c. cum ſit. de appellat. Et ſecundum terminum iuris, exceptio dilatoria in initio litis opponitur, & poſt litem conteſtatam eſt probanda, poſtquam actor monſtrauerit, quod aſſeruerat. l. exceptionem. C. de probat. Ideo qui poſt iſtum terminum vult dilatorias exceptiones proponere, nullatenus eſt audiendus. vt in tex. & l. ſi quis. C. de except.

NISI in tribus caſibus hic expreſſis.

QVIA iſti caſus ſunt de nouo emergentes, & in eis ceſſat præſumtio malitiæ, quod tunc petantur dilationes ad litem indebitè protrahendam. c. inſinuante. de offic. deleg. Et quoniam quæ de nouo emergũt, nouo indigent auxilio. l. de ętate. §. ex cauſa. ff. de interrog. act. Et probationum copia non eſt indebitè anguſtanda. Authent. de teſtib. §. ſancimus, coll. 7. Ideo regulariter quis non admittatur ad proponendas exceptiones dilatorias poſt terminũ ſibi à iudice aſſignatum: bene tamen admittitur in his tribus caſibus, ſcilicet, ſi pars fuit proteſtata in termino; ſi de nouo exceptio ſit orta; ac ſi prius erat orta, & de nouo venit ad notitiam rei. vt in tex. & c. præſentium. de teſtib. ſicut ob eaſdem cauſas poteſt quis proponere iſtas dilatorias poſt terminum datum à iure. d. c. inſinuante.

Cap. 5. Cum inter.

EXCOMMVNICATVS excipere, appellare, & omnem defenſionem facere poteſt.

QVIA ea, quæ ſunt de iure naturali, ſemper firma, atque immutabilia permanent. Inſtitut. de iur. nat. gent. & ciu. §. ſed naturalia.

Et quoniam defensio est de iure naturali. l.vt vim. ff. de iur.nat. Et exceptio est defensio, per quam reus intendit in totum, vel in partem repellere à sua petitione actorem.l.exceptio.ff. de except. & similiter est appellatio; cum sit principaliter instituta ad remouendũ grauamen à iudice illatum, vel verisimiliter inferendum. c.suggestum.de appell. Ideo etiam excommunicato legitima defensio in iudicio reseruatur, & maximè iudicis recusatio; cum periculosum sit corã suspecto iudice litigare; vnde in talibus non excommunicati fauor attenditur, sed æquitas iudicantis; cum non debeat claudicare iudicium; ac satis videatur absurdum, si, actore impugnante, reo defensionis copia denegetur; quia sic condẽnaretur multoties absoluendus. vt in tex. & infr. c. dilecti. & c.fi. Debet tamen iudex curare, vt excõmunicatus in iudicio non respondeat per se ipsum, sed per procuratorẽ. c. intelleximus. de iud.

SED reconuenire non potest.

QVIA reconuentio non est defensio, sed impugnatio. c.fin. de ord. cogn. cum sit secunda conuentio. c.2. de mut.petit. Et quoniam excommunicatus repellitur ab agẽdo, vt ex hoc censura ecclesiastica magis timeatur, communionis periculum euitetur, contumaciæ vitium reprimatur, & ipse rubore suffusus, magis ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum inclinetur. infr. c. 1. in 6. Ideo excommunicato, cui cõceditur exceptio, & omnis alia iudicialis defensio, non conceditur reconuentio, ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur. vt in tex. & c.si verè. de sent. excom.

Cap. 6. Cum venerabilis.

EXCIPIENS non videtur fateri ea, quæ in exceptione includũtur.

QVIA excipiens negat, se debere id, quod excipit. l exceptio. ff. de except. Et quoniam, si ipse diceretur confiteri de intentione actoris, eadem exceptio pateret duos contrarios effectus, nempe, quod aliquis circa idem fateretur, & negaret: quod inconueniens, esset. c. maiores. de baptism. & l. qui hominem. §. fin. ff. de solut. & Arist. 10. metaphisic. tex. 14. Ideo cum per exceptionem negem intentionem aduersarij, non est congruum, quod per ipsam dicar fateri. vt in tex. & l. non vtique. ff. de except. Per quæ autem verba debeat fieri exceptio, vt remoueatur omnis apparentia confitendi pro aduersario, not. glos. hic; nempe, quod excipiens dicat, Frater, non confiteor hoc, quod dicis; sed si feci̇ssem, factum est mihi pactum de non petendo; & sic in similibus; nam tunc non potest actor se fundare in aliqua tacita confessione, ex quo excipiens obligationem negauit; sed si diceret simpliciter, si obligatio præcessit, vt asseris, tamen tu fecisti mihi pactum de non petendo; tunc videtur, quod excipiens fateatur, præcessisse

ceſſiſſe obligationem: & quod ipſe teneatur probare pactum de non petendo; licet re vera, etiam in tali caſu ipſe non fateatur obligationem, & actor non poſſit ſe fundare ſuper prætenſa tali illius confeſſione, cum ipſa debeat ſtare in terminis meræ exceptionis, per quam ille negat, & non fatetur. c. exceptionem, & ibi gloſ. de reg. iur. in 6.

ET exceptio falſi poteſt etiam poſt ſententiam opponi.

QVIA veritas geſtorum præferenda eſt opinioni. c. veritate. diſt. 8. & l. illicitas. §. veritas. ff. de offic. præſid. Et quoniam ius oritur ex facto. l. ſi ex plagis. ff. ad leg. aquil. Ideo, probato inſtrumento falſo, tollitur reale fundamentum, cui inhærebat prætenſa iuſtitia ſententiæ. vt in text. & l. 3. C. ſi ex falſ. inſtr. & ob id non ſolum ante ſententiam, verum etiam poſt, obijci poteſt exceptio falſitatis; & ſententia lata prætextu falſorum inſtrumentorum poteſt, veritate comperta, vſque ad viginti annorum ſpatium retractari. vt in tex. & l. querela. C. ad leg. Cornel. de falſ. Standum eſt tamen ſententiæ, donec falſitas probetur. c. accepimus. de fid. inſtr. & l. diuus. ff. de re iudic. cum interim præſumatur pro illa, quod ſit ex legitimis probationibus deducta. c. in noſtra. de procur. & l. ingenuum. ff. de ſtat. hom.

Cap. 7. Olim.

SI exceptio iuriſdictionis excluſiua, propter quam fuit appellatum, probatur vera, iudex appellationis non debet de principali cognoſcere, ſed ſuperſedere.

QVIA iudex appellationis ſuccedit loco iudicis, à quo appellatur. c. vt debitus. de appell. Et quoniam ſubrogatum ſapit naturam eius, cui ſubrogatur. c. eccleſia. vt lit. pend. Ideo cum talis exceptio extinguat vtriuſque iudicis iuriſdictionem, debet iudex iſte ſecundus facere, quod primus erat facturus, ſcilicet ſuperſedere, & ſe non iudicem pronunciare. vt in tex. & l. ſi quis ex aliena. ff. de iudic.

Cap. 8. Dilecti.

PRO defenſione ſuæ eccleſiæ poteſt quis opponere exceptionem excommunicationis, periurij, vel aliam legitimam exceptionem: nec per replicationem excommunicationis, vel periurij repelli poteſt.

QVIA excipiens tractat de damno euitando, & de ſe defendendo; ſed replicans tractat de lucro acquirendo, & de impugnando. ſup. c. 2. Et quoniam excommunicati, & alij criminoſi nõ excluduntur à iudicijs in ſpectantibus ad defenſionem, licet excommunicati, & periuri excludantur in ſpectãtibus ad impugnationẽ. ſup. c. cũ inter. & 22. q. 5. c. paruuli. Et hæc replicatio non elidit, nec reſoluit exceptionem,

nẽ, cum nõ relatione criminis, ſed innocentia reus purgetur l. neganda. C. qui accuſ. non poſſ. Et non debet quis admitti ad probandum id, quod probatum non releuat. l. ad probationem. C. de probat. Ideo talis replicatio tanquam impertinens; & facta à perſona inhabili, non eſt admittenda; & legitima defenſio facta pro bono eccleſię, non eſt per illam impedienda. vt in tex. & Specul. de actore. §. 1.

Cap. 9. Apoſtolicæ.

SI per exceptionem ſuſpenſionis, contra quam replicatur de nullitate, ordinatio eccleſiæ retardatur, fit abſolutio ad cautelam.

QVIA abſolutio ad cautelã, quę fit, quando veriſimiliter dubitatur, an quis ſit illaqueatus. c. ſolet. de ſent. excom. in 6. etiam ſi ille non indigeret abſolutione, nihil nocet. l. teſtamentum. C. de teſtam. & ſi ille eſſet illaqueatus, ei prodeſt, vt ipſe abſoluatur. c. venerabili. de ſent. excom. Et quoniam eccleſiarum ordinatio non eſt diu differenda, ne illę in ſpiritualibus, & temporalibus patiantur detrimentum. c. ne pro defectu. de elect. Ideo ne per litem, quę vertitur ſuper prętenſa nullitate ſuſpenſiouis, eccleſiæ ordinationem contingat diu retardari, & ne prouiſio eccleſię fiat de perſona inhabili; vt res ſit in tuto, fit hæc abſolutio, vt ſcilicet ille de pręſenti, in quantum opus ſit, abſoluatur, præſtita cautione de parendo mandatis eccleſię: & poſtmodũ litigetur ſuper ſuſpenſionis validitate: & ſi ille fuerit culpabilis repertus, ſatisfacere compellatur; aliàs in totum abſoluatur. vt in tex. & d. c. venerabili. Suſpenſio autem ad quę ſe extendat, & à quibus feratur. not. in c. fin. de cler. excom. & in c. audiuimus. 24. q. 1.

Cap. 10. Dilectæ.

EXCOMMVNICATIONIS exceptione non obſtante, valet reſcriptum impetratum in cauſa appellationis, licet de excommunicatione lata poſt appellationem à grauamine, non faciat mentionẽ.

QVIA ea, quæ fiunt à iudice poſt appellationem legitimè interpoſitam, nullius ſunt effectus. c. cum ſpeciali. de appell. & appellans, qui ob grauamen ab eo receſsit, non tenetur ſcire, quid ipſe iudex poſtea faciat. c. bonę. de confirm. vtil. vel inutil. Et quoniam excommunicatus non prohibetur appellare. ſup. c. cum inter. & parum, aut nihil prodeſſet appellatio, niſi illam proſequi poſſet appellans, & ſuper ea iudicem impetrare valeret. infr. c. fin. Ideo ſicut de prioribus literis, quæ ſint nullę, non eſt neceſſe facere mentionem in impetratione reſcripti. c. ex tenore. de reſcript. ita nec de excommunicatione lata poſt legitimam appellationem; cum illa ſit nulla, & non retardaſſet impetrationem reſcripti, etiam ſi fuiſſet expreſſa. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap.

Cap. 11. Significauerunt.

PER exceptionem excommunicationis, à prosecutione appellationis, etiam originalis actor repelli non debet.

QVIA excommunicatus, qui appellat, & petit se absolui, tunc est in iudicio vt reus, qui se defendit, licet prius interuenerit vt actor, qui impugnabat. infr. c. fin. & l. libertus, la 1. ff. de in ius voc. & si ipse non admitteretur ad appellationem prosequendam, posset per transitum in rem iudicatam, ei præiudicium indebitè generari. sup. c. prox. Et quoniam omnis legitima defensio excommunicato, in iudicio reseruatur. sup. c. cum inter. Ideo licet excommunicatus non possit stare in iudicio vt actor, infr. c. prox. bene potest in eo stare ille excommunicatus, qui in prima instantia erat actor, quando vult prosequi appellationem vt reus, vt in tex. & Innoc. hic.

Cap. 12. Exceptionem.

REVS, in qualibet parte litis excommunicationem contra actorem obijciens, auditur.

QVIA communicare excommunicato est peccatum. c. sacris. de his, quæ vi, met. cau. fi. Et quoniam peccata, & eorum occasiones, præsertim in iudicijs sunt euitandæ. infr. c. 1. in 6. & c. idolatria. 28. q. 1. Ideo licet excommunicationis exceptio, quando illa proponitur ad differendam litem, inter dilatorias numeretur. vt in tex. & dilatoriæ sint ante litis ingressum proponendæ. sup. c. pastoralis, & l. fin. C. eod. specialiter tamen statuitur in hac exceptione obseruandum, vt reus, etiam scienter illam omittens, possit eam in qualibet parte litis opponere, ne in periculum animæ suæ, excommunicato communicare cogatur. vt in tex. & infr. d. c. 1. in 6. Quod cap. cum sit ius posterius, est hodie attendendum circa ea, quæ addit, & limitat ad hunc tex.

ET si malitiosè distulerit, in expensis condemnatur.

QVIA per malitiosam dilationem, reus actorem laboribus, & sumptibus indebite fatigaret. vt in tex. Et quoniam malitijs est obuiandum. c. plerunque. de rescript. Et litium vexationes, & expensæ sunt, in quantum fieri potest, restringendæ. c. finem. de dol. & cont. Ideo si reus malitiose distulerit excommunicationis exceptionem obijcere actori, est, ad eius pœnam, & actoris releuamen, in expensis, quas actor propter hanc illius dilationem fecerit, condemnandus. vt in tex. c. infr. c. 1. in 6.

ET dato, quod non excipiat, ipse iudex publicè excommunicatum repellet.

QVIA quod actor excommunicatus à iudicijs repellatur, non eſt ſtatutum in ſolum fauorem ipſius rei, ſed principaliter in ſalutem animarum, & in publicum bonum, ac in odium ipſius excommunicati.d.c.1.in 6.Et quoniam iudex debet curare, vt peccata cuitentur. c.nouit. de iudic. Et ad ipſius officium ſpectat ſupplere, vt publica vtilitas conſeruetur.l.4.§.hoc.ff.de damn.infect. & ipſe tenetur inquirere de actoris,& accuſatoris habilitate, & inhabilitate, ne iudicium ſuum fruſtratorium reddatur.c. quærendum.2.q.7.& l.quos.ff de poſtul. & cum illud, quod publicè factum eſt, non præſumatur ignorari. c. quod dictis. diſt. 16. Ideo licet per aduerſarij exceptionem publicè excommunicatus à iudicio non remoueatur, eſt nihilominus iudicis officio repellendus.vt in tex. & c. venerabilem. de elect.

Cap. 13. Aduerſario.

NON competit exceptio rei iudicatæ reo abſoluto, quia non poſſidebat.

QVIA vbi iudex exprimit cauſam in ſententia abſolutoria, vel condemnatoria, ad limites illius eſt ſententia dilatanda, & reſtringenda. l. non intelligitur. ff.de iur.fiſc.& ſimiliter ſi non exprimatur, quando ex alijs coniecturis apparet, ex qua cauſa iudex fuerit motus ad ſic ſententiandum.c. ſicut.& c.cum Bertholdus.de re iudic.& Bart.in l.ſi quis ad exhibendum. ff. de except.rei iud.nam qui abſoluitur, vel condemnatur ex vna cauſa, non per hoc infertur innocens,vel culpabilis ex alia. c. examinata. de iudic.& l.cum quæritur.ff. de except. rei iud. Et quoniam abſolutio, quæ conceditur alicui,ex eo, quod tempore motæ litis,rem petitam non poſsidebat, non ſic forſan concederetur ei,ſi rem illam poſsideret. l. fin.ff.d.tit.de except.rei iud. Ideo ſi poſtea cæperit rem illam poſſidere,poterit rurſus cõueniri,ſicut etiam,ſi ipſam deſijſſet dolo poſsidere.vt in tex. & l.ſi rem meam. ff. d. tit. Vnde ad hoc, quod obſtet exceptio rei iudicatæ, oportet, quod ſit idem corpus,ſiue eadem quantitas,quæ petitur;item quod ſit idem ius, ſiue cauſa petendi; & quod ſit eadem conditio perſonarum. l.cum de hoc.& d.l.cum quæritur.de except.rei iudic.Et quod ille,qui abſoluitur poſsideat rem tempore ſententiæ,vel quod poſt litem motam, dolo deſijſſet poſſidere.vt in tex.& l.ſin autem.ff.de rei vendic.

Cap. 14. Venerabilem.

VALET reſcriptum impetratum ab excommunicato ſuper proſecutione appellationis,licet de excõmunicatione non fecerit mentionẽ.

QVIA nihil excommunicato appellare prodeſſet,ſi non poſſet aplationem ſuam proſequi,& ſuper ea literas impetrare. vt in tex.& ſup.c.dilectæ.Et quoniam excommunicatus poteſt appellare, & omnem aliam legitimam defenſionem in iudicio facere,ſup.c.cum inter.Et vno

con-

conceſſo, intelliguntur conceſſa omnia, ſine quibus illud expediri non poteſt. c. præterea. de offic. deleg. & taciturnitas eorum, quæ ſi fuiſſent expreſſa, non retardaſſent conceſsionem, non reddit reſcriptum ſubreptitium. c. ſuper literis. de reſcript. Ideo per taciturnitatem excõmunicationis, non vitiatur reſcriptum impetratum ab excommunicato ſuper appellationis proſecutione. vt in tex. & c. 1. de reſcript. in 6.

In Sexto. Cap. I. Pia.

REVS, qui contra actorem de excommunicatione excipit, vt ipſum repellat ab agendo, debet ipſius excommunicationis ſpeciem, & nomen excommunicationis exprimere, & eam intra octo dies probare; alias iudex procedet in cauſa, & illum in expenſis condemnabit.

QVIA pia conſideratione ſtatuit mater eccleſia, quod maioris excommunicationis exceptio, in quacunque parte iudiciorũ oppoſita, lites differat, & repellat agentes. extr. c. exceptionem, vt ex hoc magis cenſura eccleſiaſtica timeatur, cõmunionis periculum euitetur, contumaciæ vitium reprimatur, & excommunicati, dum à communibus actibus excluduntur, rubore ſuffuſi, ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur. vt in tex. Sed quoniam hominum ſuccreſcente malitia, quod prouiſum erat ad remedium, tendebat ad noxam, nam dum in cauſis eccleſiaſticis frequentius hæc exceptio per malitiam opponebatur, contingebat interdum differri negotia, & partes fatigari laboribus & expenſis. vt in tex. Ideo cũ morbus iſte quaſi communis irrepſerit, dignum fuit, commune adhibere medelam, ſtatuendo: quod ſi quis excommunicationem opponit, ſpeciem illius, & nomen excommunicationis exprimat, ſciturus eam rem ſe deferre debere in publicam notionem, quam intra octo dierum ſpatium (die, in quo proponitur, minime computato) probare valeat apertiſsimis documentis; Quod ſi non probauerit, iudex in cauſa procedere non omittat, reum in expenſis, quas actor ob hoc diebus illis ſe feciſſe docuerit, præhabita taxatione, condemnans. vt in tex.

SI verò iterum obijciatur, & probetur eadem, vel alia excommunicatio, actor excludetur.

QVIA poteſt eſſe, quod poſt octo illos dies pro termino ad iſtam exceptionem opponendam aſsignatos, noua probationis copia reo præſentetur. vt in tex. Et quoniam probationes non ſunt nimium anguſtandæ. Authent. de teſtib. coll. 7. Et in dubijs, quod tutius

eſt ad euitandum peccatum, eſt eligendum. c. ad audientiam. ext. de homicid. Ideo ſicut prouidetur, ne reus poſsit hanc exceptionem malitiosè quocunque tempore obijcere, ita ei ſuccurritur, ne ſolùm in illo primo termino octo dierum valeat eam opponere, ſed quod ſi poſt illũ primum terminum, inſtantia durante iudicij, & probationis copia ſuccedente, de eadẽ excõmunicatione, vel alia voluerit excipere, eam poſſit rurſus intra alios octo dies opponere, & probare, & quod actor in ſequentibus actibus iudicij excludatur, donec meruerit abſolutionis gratiam obtinere. vt in tex.

SED quæ acta ſunt, valebunt.

QVIA factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari. c. factum. de reg. iur. in 6. Et multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. c. ad apoſtolicam. de regular. Et quoniam lites ſunt amputandæ. c. finem. extr. de dol. & cont. Ideò licet excommunicatus non poſsit ſtare in iudicio vt actor. ext. c. exceptionem. nec poſsit vt talis impetrare reſcriptum. c. 1. de reſcrip. in 6. ſi tamen fuerit detectus excommunicatus, poſtquam reus non obiecit excommunicationem in primo termino ei aſsignato, ne lites nimium protrahantur, ſuſtinentur acta iudicij facta vſque ad tunc cum actore excommunicato. vt in tex. & gloſ. in d. c. 1. de reſcript. in 6.

ET vltra duas vices hæc exceptio non poteſt opponi.

QVIA qui toties obijcit exceptionem criminis, præſumitur malitioſus calumniator, & litis indebitus prolungator. c. licet, il 3. ext. de teſtib. & l. fin. ff. de dilat. Et quoniam malitijs non eſt indulgendum. c. plerunq; ext. de reſcript. & lites ſunt abbreuiandæ. l. properandum. C. de iudic. Ideo ſtatuitur, quod vltra duas vices hæc exceptio non opponatur. vt in tex. & Gemin. hic.

NISI ex cauſa.

QVIA ſi excommunicatio noua emerſerit, vel euidens, & prompta probatio de antiqua ſuperuenerit, ceſſat præſumptio malitiæ, quod pars voluntarie illam obijcere diſtulerit. c. præſentium. ext. de teſtib. Et quoniam etiam in tali tempore non poteſt communicari excommunicato ſine peccato. ext. c. exceptionem. & ea, quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. l. de ætate. ff. de interrog. act. Ideò ſicut actor excommunicatus potuiſſet excludi à iudicio ante iſtos terminos, ita ex cauſa conceditur reo facultas excipiendi, vt poſsit eum facere excludere poſt. vt in tex. & c. paſtoralis. ext. eod.

ET ſi poſt rem iudicatam talis exceptio proponatur, impeditur executio.

QVIA

QVIA executio ſententiæ eſt ſpecies quædam actionis, quæ oritur ex iudicato. Francus hic. Et quoniam excommunicatus actiones intentare prohibetur. extr. c. exceptionem. Ideo exceptio excommunicationis impedit executionem ſententiæ latæ in fauorem actoris excommunicati. vt in tex. & Gemin. hic.

SED ſententia nihilominus valet.

QVIA legitimè factum, ex alio euentu retractari non debet. d. c. factum. de reg. iur. in 6. & l. Barbarius. ff. de offic. prætor. Et quoniam iudicium agitatum cum excommunicato eſt validum, donec excommunicationis exceptio ei obijciatur. gloſ. in cap. 1. de reſcript. in 6. Ideo ſententia, quæ præceſſit hanc exceptionem, non minus robur obtinet, ac ſi ille tempore ſententiæ excommunicatus non fuiſſet. vt in tex. & gloſ. ver. obtinebit.

ET iudex debet ex officio repellere ab agendo publicè excommunicatum, etiam reo non opponente.

QVIA iudex tenetur prouidere, vt peccata euitẽtur. c. 1. de off. ord. Et vt publicum bonum conſeruetur. l. quos prætor. ff. de poſtul.

Et quoniam excommunicatus prohibetur eſſe actor in iudicio, tum ob ſalutem animarum illorum, qui peccarent, ipſi communicando: tum ob publicum Chriſtianitatis bonum, ne iſta grauis eccleſiaſtica cenſura contemnatur. vt ſupr. in tex. Ideo ſi actor excommunicatus ſit publicè, & hoc iudex nouerit, quandocunque (etſi de hoc reus non excipiat) ipſe iudex ex officio ſuo, actorem repellere poſiponere non debet. vt in tex. & extr. c. exceptionem.

Cap. 2. Cum quidam.

EXCEPTIO rei iudicatæ per eccleſiaſticum iudicem, admitti debet in foro ſæculari, & econuerſo.

QVIA niſi vnus iudex ſeruaret legitimam ſententiam alterius, iuriſdictiones ipſæ ſibi adinuicem derogarent, & in contemptum deuenirent. c. principes. 23. quæſt. 5. Et quoniam ſententia, quæ tranſiuit in rem iudicatam, eſt quaſi lex quædam particularis, quæ debet ius facere inter partes. c. cum inter. extr. de ſent. & re iud. Ideo ſi contra aliquem excipiatur de re iudicata in vno iudicio obtenta, iudex alterius iudicij, & fori, illam ſeruare, & admittere debet. vt in tex. & c. ſignificauit. de offic. ord. Et ad hoc poteſt iudex eccleſiaſticus per cenſuram compellere ſęcularem; ipſe verò ſæcularis, cum ſit inferior, non poteſt compellere eccleſiaſticum, ſed eſt compellendus per ſuum ſuperiorem eccleſiaſticum, ad quem debet ille, qui ſentit ſe ab eo grauari, habere recurſum. vt in tex. & c. inferior. diſt. 21.

In

In Clement. Cap. vnic. Excommunicationis.

EXCEPTIO excommunicationis opponitur dilatoriè quandocunque, peremptorio non obstante.



VIA exceptio excommunicationis admittitur contra actorem, ad euitandum peccatum, quod incurreretur, ipsi communicando, & vt ecclesiastica censura magis timeatur, & ipse facilius conuertatur. c. 1. eod. in 6. Et quoniam istę rationes, & respectus, ita vrgent post terminum à iudice peremptoriè assignatum ad exceptiones dilatorias proponendas, sicut vrgebant prius. glos. penult. hic. & vbi est eadem ratio, idem ius constitui oportet. l. illud. ff. ad leg. aquil. Ideo excommunicationis exceptio dilatoria in qualibet parte litis opponi potest, termino peremptorio per iudicem assignato, ad proponendum exceptiones declinatorias, & dilatorias, non obstante. vt in tex. & Bart. in l. adulterium. C. de adulter. Præterea, litis contestatio est quasi quidam terminus peremptorius dilatoriarum. c. inter. extr. de re iudic. Et quoniam post illam potest opponi hæc exceptio. extr. c. exceptionem. Ideo similiter debet posse proponi post terminum subrogatum à iudice, loco litis contestationis. vt in tex. & c. personas. extr. de appellat. Præterea, terminus datus ad exceptionem probandam, non impedit illam proponi, quando ipsa oritur de nouo. extr. c. pastoralis. Et quoniam periculum communionis cum excommunicato, quotidie oritur de nouo. c. per tuas. ext. de sent. excom. Ideo talis terminus datus à iudice, non debet hanc exceptionem impedire. vt in tex. & c. dilectus. extr. de rescript. Præterea, sententia non præcludit viam huic exceptioni. c. 1. eod. in 6. Ideo multo minus debet illam impedire alicuius termini lapsus. c. intelleximus. ext. de iudic. Præterea, indultum à iure beneficium nemini est auferendum. c. indultum. de reg. iur. in 6. Et quoniam ius indulget reo, vt in qualibet parte litis possit contra actorem obijcere hanc exceptionem. ext. c. exceptionem. Ideo iudex non potest per suum terminum, reo hoc beneficium excipiendi auferre. l. eleganter. §. si quid, & ibi Bart. ff. de condit. indeb. & quia talis exceptio non concernit simpliciter partis interesse, sed principaliter respicit salutem animarum, & publicum bonum Christianitatis. d. c. 1. in 6. Ideo nec etiam pars potest per suam taciturnitatem, in non appellando ab interlocutoria iudicis, per quam talem terminum assignauit, sibi præiudicare, quin possit, quandocunque hanc exceptionem obijcere. vt in tex. & c. si diligenti. de for. comp.

Hodie

Hodie ſexto Kal. Febr. 1613. Antiquiſſima illa, & miraculoſa beatiſſimæ Virginis imago, quæ in anguſto tabernaculo in medio eccleſiæ ſanctæ Mariæ Maioris exiſtebat, fuit proceſſionaliter tranſlata in auguſtiſſimum ſacellum ad eius honorem ibi à Summo Pont. Paulo V. erectum, ſingulari deuotione, toto confluente populo.

Liber Secundus. Titulus XXVI.

DE PRAESCRIPTIONIBVS.

In Decretal. Cap. 1. Placuit.

EPISCOPVS contra epiſcopum, locum, per ſe conuerſum ad fidem, præſcribit triennio.

QVIA nonnulli epiſcopi erant aliquando negligentes ad reducendum ad fidem homines alicuius loci eorum diœceſum à fide alienatos; & alij epiſcopi, qui hoc facilius feciſſent, retardebantur ex eo, quod iſti non erant de eorum diœceſibus, & timebant, quod ſi illos reduxiſſent, & in vera religione confirmaſſent, ne poſt multos annos proprij epiſcopi inſurgerent ad illorum ſubiectionem repetendam, & ita de aliorum labore, ipſi, qui fuerunt negligentes, gauderent. c. placuit, il 2. 16. q. 3. Et quoniam fidei fauor eſt maximè attendendus. c. in fidei. de hæret. in 6. & qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & econtra. l. ſecundum naturam. ff. de reg. iur. Ideo in fidei fauorem, & in præmium epiſcoporum elaborantium, & in odium negligentium, ſtatuitur, vt in tali caſu ſufficiat præſcriptio triennalis. vt in tex. & d. c. placuit. ſicut idem tempus ſufficit ad inducendam vſucapionem, quæ eſt quædam præſcriptio rerum mobilium. Inſtit. de vſucap. §. 1. Epiſcopi autem negligentes in hoc præiudicant iuriſdictioni eorum eccleſiarum, quia tale eorum delictum conſiſtit in omittendo, quo caſu eccleſiæ præiudicare epiſcopus poteſt, licet non poſſit præiudicare in faciendo. c. ſi epiſcopum. 16. q. 6.

SED cum vacat eccleſia, non præſcribitur contra ipſam.

QVIA tunc non poteſt negligentia prælati, qui non exiſtit, imputari. infr. c. auditis. non entis enim nullæ ſunt qualitates. l. eius, qui. ff. ſi cert. pet. Et quoniam eſſet periculũ, ne prælati alieni ſub ſpecie recuperandi aliquem locum ad fidem, in alijs iuribus eccleſiæ vacanti tunc præiudicarent. c. licet. 16. q. 3. Et epiſcopali ſede vacante, non eſt aliquid innouandum, cum non exiſtat proprius prælatus, qui

eius

eius iura tueatur.c.1.ne ſed.vac. Ideo dum vacat ſedes epiſcopalis,non currit contra eius eccleſiã hęc præſcriptio; ſed ex eo die,quo acceperit paſtorẽ,poteſt per triennium repetere locũ, qui fuerit interim ab alieno prẹlato ad fidem reductus.vt in tex.& c.prima actione,& ibi gl.16.q.3.

NEC ſi eſt in ſchiſmate.

QVIA eccleſia,quæ habet paſtorem ſchiſmaticum,vacare intelligitur.c.1.de ſchiſm.Et quoniam paria ſunt,nullum habere paſtorem,vel illegitimum habere,& inutilem.c.1.de transl.epiſc. Ideo ſicut non currit talis præſcriptio contra eccleſiam, quæ libere vacat,ita non debet currere contra illam,quæ per ſchiſmaticum epiſcopũ indebitè gubernatur.vt in tex.& c.quia diuerſitatem. de conceſſ.præb.

Cap. 2. Nihil.

IN rebus inuaſis non currit præſcriptio.

QVIA inuaſor,& eius ſucceſſores, malæ fidei poſſeſſores eſſe cenſentur.c porrò.16.q.3.& Inſtit.de vſucap.ſ.furtiuæ. Et quoniam malæ fidei poſſeſſor nunquam præſcribit. infr. c. vigilanti. Ideò res inuaſæ, dum in eis durat detentio violenta, nunquam præſcribuntur.vt in tex.& l.vitia.C. de acquir.poſſeſſ.In poſſeſſione enim inſpicienda eſt eius origo.l.clam poſſidere.ff.de acquir. poſſeſſ.

Cap.3. Sanctorum.

PER quietam, & ſynceram poſſeſſionem triginta annorum, præſcribit eccleſia rem priuati.

QVIA eccleſia non debet eſſe deterioris conditionis, quam ſint laici,ſed potius melioris.c.fin.de teſtam.& l.ſunt.ff.de religioſ. Et quoniam res priuatorum cum bona fide poſſeſſæ,etiam ſine titulo, per triginta annos,de iure ciuili à laicis prẹſcribuntur.l.ſi quis emptionis.C.de præſcript. 30. vel 40. ann. Ideo etiam in fauorem eccleſiarum talis præſcriptio de iure canonico recipitur,& approbatur.vt in tex. & c.placuit, il 1. 16.q.4. Sed ſi eccleſia haberet titulum,tunc præſcriberet rem priuati, per decem annos inter præſentes, & per viginti inter abſentes, ſicut præſcribit quilibet priuatus contra alium priuatum. l. fin. C.de præſcrip.long. temp. 10. vel 20.ann.& Authent.quas actiones.C. de ſacr.ſan.eccl.nam ſpatium quadraginta annorum requiritur ſolum, quando præſcribitur contra eccleſias,vel contra pias cauſas, quæ eodẽ priuilegio cum eccleſia gaudeant.infr.c.ad aures.& Authent. de eccleſiaſt.titul.ſ.pro temporalibus.coll.9.

Cap.4. De Quarta.

QVARTA decimarum, & funeralium præſcribitur contra epiſcopum, ſi quadraginta annorum ſpatio non ſoluatur.

QVIA

QVIA præſcriptio quadraginta annorum, habetur contra eccleſiam loco tituli in caſibus, in quibus ius commune non reſiſtit, & non eſt præſumptio contra præſcribentem. c. 1. eod. in 6. Et quoniã etiam iura ſpiritualia ſunt præſcriptibilia per eum, qui illa poſſidere poteſt. infr. c. cauſam. & hæc quarta eſt abdicabilis ab epiſcopo per legitimam conceſsionem alteri eccleſiæ factam. c. epiſcopus. 12. q. 3. Ideo contra iſtam quartam currit quadragenaria præſcriptio, ſicut in alijs rebus eccleſiaſticis, quæ de earum natura poſſunt alienari. vt in tex. & c. 1. & ibi gloſ. de ſtat. regul.

ET eccleſia interim non vacauit.

QVIA dum eccleſia vacat, non adeſt proprius paſtor, qui eius iura tueatur. c. 1. ne ſed. vac. Et quoniam iſta quarta eſt epiſcopo debita de iure cõmuni. c. conquerente. de offic. ord. & c. certificari. de ſepult. Ideo ne interim eccleſia epiſcopalis iuribus ſuis indebitè fraudetur, dum illa caret paſtore, hæc præſcriptio currere non debet. vt *in* tex. & infr. c. auditis.

Cap. 5. Vigilanti.

POSSESOR malæ fidei non præſcribit.

QVIA omne, quod fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennã. c. omnes. §. ex his. 28. q. 1. Et quoniam ius canonicum, etiam quatenus diſponit in foro contentioſo, ſemper tendit in ſalutẽ animarum. c. cum contingat. de iureiur. nam eius finis eſt dirigere hominem ad bonum commune, ſecundum quod congruit humanæ ſocietati, non ſolum ciuiliter viuenti, ſed ſecundum fidem in Deum tenendã, & vitam aliam in cęlis æternam expectandam. c. prodeſt. 23. q. 5. & in procœmio Decretal. Ius verò ciuile principaliter intendit publicum ciuitatis bonum, & humanam reipublicæ quietem. Inſtitut. in procœmio. Ideo ius canonicum non admittit, vt quis cum mala fide præſcribat. vt in tex. & infr. c. fin. licet ius ciuile ad diminuendas lites, & in odium negligentium, etiam cum mala fide præſcriptionem admittat. l. 1. ff. de vſucap. Et cum ſimus in materia concernente euitationem peccati, eſt vbique, & inter omnes, attendendum, vt præſcriptio ſit cum bona fide, ſecundum quod canones diſponunt, non autem quod in ea ſufficiat inter laicos ciuilis iuris diſpoſitio, quæ contineret peccatum. c. nouit. de iudic. vnde mala fides, quandocunq; ſuperueniens ante impletam prę-ſcriptionem, eã inter omnes interrumpit. c. poſſeſſor. de reg. iur. in 6. Is autem dicitur malæ fidei poſſeſſor, qui ſcit rem illam eſſe alienam. c. ſi virgo. 34. q. 2. Sed ſi poſt completam prę-ſcriptionem ſuperueniat notitia, quod res illa fuerit alterius, non tenetur is, qui præſcripſit, ipſam reſtituere. gloſ. hic. quia tunc non eſt amplius aliena, ſed propria ex prę-ſcriptione, iuris auctoritate, completa. gloſ. in d. c. ſi virgo. & iuſte poſsidet,

poſsidet, qui iuris auctoritate poſſidet. c. quid dicam. 14. q. 4. Iura enim faciunt hoc eſſe meum, & illud eſſe tuum. c. quo iure. diſt. 8. Et conditores legum poſſunt ex cauſa ſtatuere, vt res, quæ erat vnius, euadat alterius. l. Lucius. ff. de euict. Intellige tamen hæc vera, vt non teneatur quis rem præſcriptam reſtituere, niſi habeat conſcientiam remordentem, vt quia putaret omnino ſe teneri ad illius reſtitutionem, licet ſit completa præſcriptio. Imol. hic; nam tunc, ne faciat contra conſcientiam, deberet, vel relinquere conſcientiam erroneam, & ſequi iuris auctoritatem, vel ſequi conſcientiam, & rem illam reſtituere. c. per tuas, il. 2. de ſimon.

Cap. 6. Ad aures.

VNA eccleſia in parochia alterius, 40. annorum ſpatio, decimas præſcribit.

QVIA quadragenalis præſcriptio omnem prorſus actionem excludit. vt in tex. & l. omnes. C. de præſcript. 30. vel 40. annor. Et quoniam ſine actione nemo experitur. c. quo iure. diſt. 8. & l. ſi pupilli. ff. de negot. geſt. & cum par cauſa eſt duorum, melior eſt conditio poſsidentis. c. cum par. ff. de reg. iur. Ideo eccleſia, quæ per 40. annos poſſedit decimas in parochia alterius, eas legitimè poſsidet, & alia eccleſia, quę illas prius habebat, ipſam ſuper illis moleſtare non poteſt. vt in tex. & ſup. c. de quarta. Sed cum ſit contra ius commune, vt vna eccleſia percipiat decimas in parochia alterius. c. ad decimas. de reſtit. ſpoliat. in 6. eſt intelligendum, quod iſta eccleſia præſcribens habebat titulum. gloſ. infr. in c. ſi diligenti; alias requireretur tantum tempus, de cuius initio memoria tunc non eſſet in contrarium. c. 1. eod. in 6.

Cap. 7. Cauſam.

LAICI ſpiritualia poſsidere non poſſunt.

QVIA ius reſiſtit laicis, ne poſsint ſpiritualia poſsidere, cum in talibus maneat eos neceſsitas obſequendi, non auctoritas imperandi. c. eccleſia. de conſtit. Et quoniam, vt quis dicatur verè poſsidere, debent neceſſario concurrere hæc tria, ſcilicet, actus corporis, affectus animi, & adminiculum iuris. gloſ. & Bart. in l. 1. ff. de acqu. poſſeſſ. & vbi deficit vnum de ſubſtantialiter requiſitis ad confectionem actus, deficit ipſe actus. c. fin. de condit. appoſit. Ideo laici tanquam incapaces, propter iuris reſiſtentiam, ſpiritualia poſsidere non valent. vt in tex. & c. ſacroſancta. de elect.

ET per conſequens nec præſcribere.

QVIA præſcriptio eſt fundata ſuper poſſeſsione. c. ſine poſſeſsione, de reg. iur. in 6. & l. ſine. ff. de vſucap. Et quoniam, vbi non eſt fundamentum, ſuperædificari non poteſt. c. veniens. de presb. non baptiz. Et finem tollit, qui remouet media ad illum. l. 1. ff. de mort. infer.

Ideo

Ideo ſi poſſeſsio non precedit, præſcriptio ſubſequi non poteſt. vt in tex. & l. 3. ff. de vſucap.

Cap. 8. Illud.

SI contra præſcriptionem 40. annorum, quæ ſola currit contra eccleſiam, opponatur interruptio, vterq. probabit.

QVIA tam ille, qui aſſerit præſcriptionem, quam ille, qui opponit de interruptione, gerit in illo caſu vices actoris. c. ex literis. de probat. Et quoniam actori incumbit onus probandi. l. actor. C. de probat. Et partium aſſertione, cauſarum merita panduntur. l. nec imperiale. C. ſi per vim, vel al. mod. Ideo ſi de præſcriptione, & interruptione, inter partes fuerit mota quæſtio, ab vtraq; parte teſtes recipi debent; & ſi probata fuerit interruptio, præſcriptio non tenebit. vt in tex. & infr. c. auditis. Quot modis autem interrumpatur præſcriptio, not. gloſ. hic. & gloſ. in c. placuit, il 2. 16. q. 3. Aduerſus eccleſiam autem non admittitur minor præſcriptio, quam 40. annorum. vt in tex. quia canones illi, qui admittebant præſcriptionem 30. annorum, vt in c. 1. & ſequen. 16. q. 3. ſunt per ius poſterius correcti. vt in tex. & ſup. c. de quarta. licet in fauorem eccleſiæ contra priuatum, non fuerint correcti, & adhuc teneant. ſup. c. ſanctorum.

Cap. 9. Quia.

FINES prædiorum eccleſiaſticorum, 40. annorum ſpatio præſcribuntur.

QVIA præſcriptio fuit inuenta pro publico bono, ne quarundam rerum diù, & ferè ſemper incerta dominia eſſent; cum ſufficeret dominis ad inquirēdas res ſuas, ſtatuti in ea tēporis ſpatiū. l. 1. ff. de vſucap. Et quoniam fines prædiorum, quandoque deſinunt eſſe fines, & non conſtat in quo loco fuerint diſtincti, ſed vt res priuata ab aliquo poſsidentur. c. ex literis. de probat. & c. volumus. 16. q. 4. Ideo poſtquam iſti fines ſunt turbati, & alter incipit eos poſſidere vt ſolum proprium, non vt fines: tunc ille incipit præſcribere per idem tempus, quo præſcriberet illum fundum, cuius iſte limes modo pars exiſtimatur. vt in tex. & c. inter memoratos. 16. q. 3. Vbi autem fines diœceſium, ſeu parochiarū apparent diſtincti, vel de eorum ſitu poteſt probari per libros antiquos, vel teſtes, ſeu famam, & alia adminicula. vt in c. cū cauſam. de probat. tunc fines illi non poſſunt præſcribi, ſicut nec cohærentia illis: ne per conſuetudinem peſſimam exempli mali, temeritate creſcente, vniuerſalis confuſio naſceretur. c. ſuper eo. de paroch. & c. licet. 16. q. 3. & etiam ex eo, quia limes eſt communis vtriq; confināti. l. adeo. §. fin. ff. de acquir. rer. dom. & non præſumitur, quod re communi aliquis pro ſua tantum vitioſè vtatur. l. meritò. ff. pro ſoc. Sed cenſetur, quod quantocunq; tempore alter poſsidet, non tantum nomine ſuo, ſed etiā

nomine

nomine meo possideat, & sic quod ego per illum talis rei possessionem retineam. l. si communem. ff. quemad. seru. amitt.

Cap. 10. Ex transmissa.

TEMPORE hostilitatis, non currit præscriptio.

QVIA perturbationes, quæ sunt tempore hostilitatis, impediunt agere in iudicijs. c. prima actione. 16. q. 3. Et quoniam nō valenti agere, non currit tempus. l. 1. C. de annal. except. cum non sit imputandum ei, per quem non stat, si non facit, quod per eum fuerat faciendum. c. imputari. de reg. iur. in 6. Et præscriptio est introducta in odium negligentium recuperare res suas, ne ex eorum defectu, illarum dominium sit in incerto. l. 1. ff. de vsucap. Ideo tempus hostilitatis subducitur à præscriptione, vt interim nec præscriptio currat, nec interrumpatur: sed, hostilitate durante, illa quodammodo dormire dicatur. vt in tex. & c. porro. 16. q. 3. hostilitate autem finita, tempus sequens continuatur cum præcedente; vt vtrumq. valeat complere præscriptionem, subducto tempore medio. infr. c. auditis. sicut ex inimicorum seruitute reuertentes, per legem postliminij in pristinum statum reponuntur. l. ab hostibus. C. de postlim. reuers. Per quos autem alios casus, præscriptionis cursus impediatur. not. Innoc. hic, & glos. infr. in c. cum non liceat.

Cap. 11. Accedentes.

PROCVRATIONES, quæ debentur legatis, & nuntijs Apostolicæ Sedis, præscribi non possunt.

QVIA procurationes istæ præstantur legatis, & nuntijs Apostolicis, in signum obedientiæ, & propter publicum bonum conseruādum, pro quo ipsi tunc elaborant. Clem. 1. de censib. Et quoniam subditus non potest præscribere obedientiam contra prelatum. infr. c. prox. Et ea, quæ sunt pro publica vtilitate principaliter introducta, à priuatis immutari non possunt. c. si diligenti. de for. comp. Ideo, etiam si longissimo tempore, istius procurationis obsequium quis non impenderit, si aliàs ad illam tenetur, nulla sibi præscriptio suffragatur. vt in tex. & c. cum instantia. de censib. Tenentur autem singulæ ecclesię iuxta earū redditus, has expensas impertiri, nisi aliqua per speciale priuilegium Apostolicę Sedis, ab illis præstandis ostendat se immunem. vt in tex. & infr. c. cum ex officij: quia quod omnes tangit, ab omnibus est approbandum. c. ad hoc. de offic. ord. & vbi est emolumentum, ibi debet esse onus. c. charitatem. 11. q. 21.

Cap. 12. Cum non liceat.

SVBDITVS non præscribit obedientiam contra prælatum.

QVIA

QVIA præſcriptio non procedit ſine poſſeſsione.c.ſine.de reg.iur. in 6.Et quoniam nemo poteſt in ſeipſum iuriſdictionem exercere, & per conſequens non poteſt ſeipſum tanquam ſubditum poſſidere. c. fin. de pœnit, & remiſſ. & l.penult. C. de arbitr.Dominus enim,& ſubditus,ſunt correlatiua. Ariſt.in prædicam. cap.3. & correlatiuorum vnum non poteſt eſſe alterum. c.debitum.de baptiſm. Et non eſt poteſtas niſi à Deo;& quæ à Deo ſunt,ordinata ſunt. Apoſt.ad Rom. cap. 13. Ideo non licet membra à capite recedere, & non poteſt quis præſcribere,vt obedientiam,& reuerentiam debitam ſuperiori non impendat.vt in tex.& c.nulla.diſt.93.Sed licet non poſſit quis præſcribere. vt nulli ſubditus exiſtat,& quaſi acephalus euadat. c.omnes. de maior. & obed. bene tamen poteſt vnus ſuperior præſcribere iuriſdictionem contra alium ſuperiorem, ita vt ille, qui erat ſubditus vnius, euadat ſubditus alterius.infr.c.auditis. Cum tunc nullum abſurdum,& impoſſibile ſequatur.c.cum olim, il 2. de priuil.& cum iura epiſcopalia præſcribantur,data capacitate in prę ſcribente.ſup. c. cauſam.

Cap. 13. Ad audientiam.

IN iuribus ad Romanam eccleſiam ſpectantibus, currit ſola centenaria præſcriptio.

QVIA vbi eſt maior prærogatiua meritorum, ibi plures gratiæ ſunt indulgendæ.c.de multa.de præb. Et quoniam eccleſia Romana eſt cunctarum eccleſiarum mater,& magiſtra. c.cuncta. 9.q.3.Ideo, licet contra cæteras eccleſias ſufficiat præſcriptio quadragenaria. ſup.c. illud. contra Romanam tamen non eſt ſufficiens minor, quam centenaria. vt in tex.& Authent.quas actiones. C. de ſacr. ſanct. eccl.Statuitur autem ad præſcribendum contra eam,ſpatium centum annorum,quia eſt longiſſimum tempus vitæ hominum: & erat prouidendum,ne incertitudo dominij aliquarum rerum extenderetur in infinitum.l.vt inter.C.de ſacr.ſan. eccl. Et hæc præſcriptio habet locum in rebus, & poſſeſsionibus, quæ aliàs, poterant immediatè pertinere ad eccleſiam Romanam; ſed in priuilegio prælationis; quo ipſa ſuper alijs eccleſijs obtinet principatum, & præeminentiam, nulla currit contra eam præſcriptio. c. quia ex ſola, & c.ſchiſma.24.q.1. nam hoc eſſet præſcribere obedientiam,quod eſſe non poteſt. ſup. c. cum non liceat;nemo enim debet eſſe ſine capite,c.nulla. diſt.93. Et qui cathedrã Petri, ſupra quam fundata eſt eccleſia, deſerit, in eccleſia ſe eſſe non confidat.c.qui cathedram.diſt.93.

Cap. 14. Cum nobis.

DE centenaria præſcriptione, quæ ſola currit contra Romanam eccleſiam, tempora ſchiſmatum deducuntur.

QVIA dum eccleſia eſt in ſchiſmate, propter magnam perturbationem, in qua verſatur, non eſt, qui eius iura tueatur. c 1. de ſchiſmat. Et quoniam non valenti agere, non currit tempus. ſup. c. ex tranſmiſſa. & l. 1. C. de annal. except. Ideo tempus intercidentium ſchiſmatum, in tali præſcriptione non eſt computandum, vt in tex. & ſup. c. 1. Et de materia ſchiſmatis, vide S. Thom. 2. 2. q. 93.

Cap. 15. Auditis.

PRAELATVS inferior poteſt præſcribere in certis eccleſijs ſuæ diœceſis totum ius epiſcopale.

QVIA omnia iura, quæ prælatus poteſt poſsidere, poteſt præſcribere. infr c. cum olim. Et quoniam etiam prælatus epiſcopo inferior, eſt capax poſſidendi ea, quæ ſunt iuriſdictionis epiſcopalis: ſiue ſpectent ad legem diœceſanam, ſiue ad legem iuriſdictionis, licet non poſſit poſſidere, nec præſcribere ea, quæ ſunt ordinis epiſcopalis. c. quanto. de conſuet. & c. quamuis. diſt. 68. Ideo prælatus, quãuis epiſcopo ſubiectus, poteſt præſcribere iura epiſcopalia in eccleſijs, quæ ſub epiſcopo exiſtunt, licet ipſe prælatus ſub epiſcopi obedientia remaneat. vt in tex. & ſup. c. de quarta. Sed cum talis præſcriptio ſit contra ius commune. c. dilectus. de off. ord. requiritur in ea titulus verus, vel veriſimiliter putatiuus, vel tantum tempus, de cuius initio memoria in contrarium non exiſtat. c 1. eod. in 6. Seipſum autem non poteſt quis præſcribere, vt auferatur ab epiſcopi obedientia, niſi alteri prælato, vel Papæ immediatè ſubijciatur. ſup. c. cum non liceat. nam nemo poteſt ſeipſum iuriſdictionaliter poſſidere. l. 2. ff. de arbitr. & ſine poſſeſsione non currit præſcriptio. c. fine. de reg. iur. in 6. nemoque debet ſine capite, & ſuperiore, quaſi acephalòs exiſtere. c. nulla. diſt. 93.

SVBDVCITVR tamen de præſcriptione tempus, quo vacauit eccleſia cathedralis.

QVIA per præſcriptionem ius, quod erat vnius, acquiritur alteri. l. 1. ff. de vſucap. Et quoniam, eccleſia vacante, nihil eſt in ipſius præiudicium innouandum, cum illa tunc careat proprio paſtore, qui eius iura tueatur. c. 1. ne ſed. vac. Ideo ne ius eccleſiæ cathedralis ab aliquo indebitè vſurpetur, illa vacante, non poteſt ius epiſopale per alterum prælatum præſcribi; & vacationis tempus debet à præſcriptione incæpta ſubduci. vt in tex. & ſup. c. 1.

Cap. 16. Cum ex officij.

NON poteſt ſubditus contra ſuperiorem viſitationem in ſeipſo præſcribere.

QVIA

QVIA viſitatio fit à prælato ob ſalutem animarum, & ob publicam vtilitatem, ad prauos mores in populo corrigendos, & bonos conſeruandos. c. 1. de cenſib. in 6. & Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. Et quoniam ſubditus, qui ab ea ſe ſubtraheret, & nulli alij ſubijceretur, ab obedientia ſe auferet, & tanquam acephalòs ſine ſuperiore exiſteret. ſup. c. accedentes. quod eſſe non poteſt. c. nulla. diſt. 93. Et priuatus non poteſt immutare ea, quæ pro publico bono ſunt introducta. c. ſi diligenti. de for. comp. ſicut nec ea, per quæ peccata euitantur, & eccleſiaſtica diſci plina conſeruatur. c. cum inter. de conſuet. Ideo contra ſuperiorem quis in ſeipſo viſitationem præſcribere non poteſt. vt in tex. & c. cum inſtantia. de cenſib.

NEC procurationem ratione viſitationis debitam.

QVIA ſi prælati neceſſe haberent ducere ſecum, ſuis ſumptibus victualia, faciliter viſitationem negligerent; & propter difficultates, quæ ex inde orirentur, ſtatutis temporibus eam non exercerent. c. cum Apoſtolus. de cenſib. Et quoniam qui ſpiritualia ſeminat, non eſt magnũ, ſi carnalia metat. 1. ad Corinth. cap. 9. Et de connexis idem eſt iudicium. c. tranſlato. de conſtit. Ideo ſicut non currit præſcriptio contra viſitationem, ita non currit contra procurationem, quæ illius ratione viſitanti debetur. vt in tex. & ſupr. c. accedentes.

QVAMVIS alius in perſonam alterius, præſcribere poſſet vtramque.

QVIA tunc non eſt præſcriptio obediẽtiæ de ſeipſo ſupra ſeipſum, quod tanquam abſurdum in iure reprobatur. ſupr. c. cum non liceat. Sed eſt acquiſitio iurium epiſcopalium facta ab eo, qui illa poteſt poſsidere. ſup. c. prox. Et quoniã præſcriptio quadragenaria contra eccleſiam currit, quando eſt capacitas poſſeſsionis in præſcribente. ſupr. c. de quarta. Ideo per legitimam præſcriptionem poteſt vnus prælatus contra alium, viſitationem, & procurationem acquirere, & ab illo, cui prius ipſæ competebant, eas auferre. vt in tex. & infr. c. cum olim.

Cap. 17. Si diligenti.

QVI alieno nomine poſſidet, non præſcribit.

QVIA præſcriptio eſt fundata ſuper poſſeſſione, ita, vt vbi non eſt poſſeſsio, nõ poſſit eſſe præſcriptio. c. fine. de reg. iur. in 6. Et quoniam non eſt idem poſſidere, & alieno nomine poſſidere; nam is poſſidet, cuius nomine poſſidetur; detinens autem rem nomine alieno, non poſſidet, ſed alienæ poſſeſſioni præſtat miniſterium. c. cum veniſſet. de reſtit. ſpol. & l. quod meo. ff. de acquir. poſſeſſ. Ideo qui pro alio poſſidet, pro ſe præſcribere non poteſt. vt in tex. & l. pignori. ff. de vſucap.

NEC etiam is, qui proprio, nisi habeat bonam fidem.

QVIA omni actui est derogandum, qui absque mortali peccato non potest obseruari. c. cum contingat. de iureiur. & c. Iulianus. 11.q.3. Et quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est. Apost. ad Roman. cap. 14. vnde quod fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. c. omnes. 28. q. 1. Ideo absque bona fide quis præscribere non potest. vt in tex. & infr. c. fin. Quomodo autem bona fides probetur, & quando illa præsumatur, & quis eam habere dicatur. not. glos. hic, & dictum est supra in c. vigilanti.

ET iustum titulum, si præsumptio est contra eum.

QVIA vbi ius commune, vel præsumptio est contra præscribentem, ipse non censetur bonæ fidei possessor. c. ordinarij. de offic. ord in 6. & l. quemadmodum. C. de agricol. lib. 11. Et quoniam per iustum titulum, vel per tempus, cuius initium non habeat memoriam in contrarium, præsumptio illa auferetur. c. 1. in 6. & l. fin. C. vnde vi. Ideo vbi quis habet contra se præsumptionem, debet ad præscribendum habere pro se titulum verum, vel verisimiliter putatiuum, vel tempus immemorabile, vt hæc maior presumptio illam debiliorem tollat. vt in tex. & l. si quis emptionis. C. de præscript. 30. vel 40. ann.

Cap. 18. Cum olim.

ABBAS in capellis præscribere potest iura episcopalia.

QVIA omnia iura, quæ prælatus potest possidere, potest præscribere. sup. c. ad aures. Et quoniam abbas, siue alius prelatus, quamuis sit episcopo inferior, est capax possidendi ea, quæ sunt iurisdictionis episcopalis, licet non possit possidere ea, que sunt ordinis episcopalis. c. quanto. de consuet. Ideo talia iura possunt per abbatem, nomine suæ ecclesiæ, contra episcopum præscribi. vt in tex. & sup. c. auditis.

OBTINET tamen in his solis, quæ præscripsit.

QVIA ius episcopale est genus, habens sub se diuersas species iurisdictionis. c. cõquerente, & c. dilectus. de offic. ord. Et quoniam ex diuersis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Ideo potestas acquisita per abbatem ex præscriptione, in vna specie iurisdictionis episcopalis, non est extendenda in præiudicium episcopi, ad aliam speciem ipsius iurisdictionis. vt in tex. & c. dilectus, de capell. monach. Quæ autem sint species iurisdictionis episcopalis. not. in d. c. dilectus. de offic. ord. & c. quamuis. dist. 68.

Cap. 19. Veniens.

QVI, præscriptione completa, priuilegium contrarium impetrat, & vtitur illo, præscriptioni renunciat.

QVIA

QVIA duo contraria eidem ſimul ineſſe non poſſunt. c.exiſtimant. 11.q.3. & Ariſt.4.metaphiſic. tex.9. Et quoniam ingreſſus vnius contrarij operatur anterioris contrarij egreſſum. c. cum renuntiatur. 33.q.1. & Ariſt.2. phiſic. cap.15. Ideo qui impetrat priuilegium contrarium præſcriptioni, & ius ſecundum incompatibile cum primo, & illo poſteriore vtitur,cenſetur renunciaſſe priori.vt in tex.& l.in cauſæ. ff.de minor. ſi autem ius poſterius non eſſet contrarium,non cenſeretur impetratum ad derogandum priori, ſed ad maiorem cautelam. c. cum perſonæ. de priuil. in 6. nam licet quis non poſſit ex pluribus cauſis acquirere dominium. c. inter dilectos. de fid.inſtr. quod enim meum eſt, amplius meum fieri non poteſt. l.3.§. ex pluribus. ff. de acquir. poſſeſſ. poteſt tamen ad cautelam quis varios titulos multiplicare,non ad effectum conſequendi ius ex pluribus titulis, ſed vt ex illis poſſit ſe defendere. c.poſt electionem. de conceſſ.præb. & cap.nullus pluribus. de reg. iur. in 6.

SI præſcriptio non erat completa, malam fidem habet; & ideo non præſcribit.

QVIA talis impetrans huiuſmodi ius contrarium,videtur fateri, in illa re ſe antea ius non habere.l.vnic.C.de theſaur.lib.10. Et per conſequens rem alienam detinere.c.ſi virgo. 34.q.2. Et quoniam in præſcriptione complenda,exigitur continua bona fides. infr. c.prox. Ideo per talem impetrationem quis incęptæ præſcriptionis curſum ita impedit, vt illa amplius non valeat. vt in tex. & ſupr.c.vigilanti. Poteſt tamen de nouo ad limites priuilegij inchoari alia præſcriptio, vt ſi aliquo caſu corrueret priuilegium, poſſit præſcriptio iſta ipſum tueri.d.c. cum perſonæ.de priuil.in 6.

Cap.20. Quoniam.

NEC in foro canonico, nec ciuili, valet præſcriptio cum mala fide.

QVIA omne,quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Apoſt.ad Roman. cap.14. Et quoniam omni conſtitutioni, & conſuetudini eſt derogandum,quæ abſque mortali peccato non poteſt obſeruari. c. cum tanto.de conſuet. & c.qui reſiſtit.11.q.3. Ideo oportet,vt qui præſcribit,in nulla temporis parte, rei habeat conſcientiam alienæ. vt in tex. & ſupr.c.vigilanti. Quid autem ſi poſt completam præſcriptionem ſuperueniat notitia, quod res illa fuerit aliena? Dic, quod cum ſit facta ſua per legitimam præſcriptionem, eam reſtituere non tenetur. vt not. in d.c.vigilanti.

In Sexto. Cap. 1. Epiſcopum.

IN præſcriptionibus ſufficit bona fides, vbi ius commune, vel præſumptio non eſt contra præſcribentem.



VIA qui poſſidet bona fide, non habet conſcientiam rei alienæ. c. ſi virgo. 34.q.2. Et quoniam legitima præſcriptio eſt loco tituli. l. ſi quis. C. de præſcript. 30. vel 40. ann. Ideo cum talis non habeat conſcientiam læſam, nec ius externum ſibi repugnans, tam in foro conſcientiæ, quam in foro externo, habet rei legitimam poſſeſſionem, & dominium. vt in tex. & ext. c. ſi diligenti.

ALIAS debet allegari titulus, & probari.

QVIA vbi ius commune, vel præſumptio eſt contra præſcribentem, ipſe non cenſetur poſſeſſor bonæ fidei. c. ordinarij. de offic. ord. in 6. & l. quemadmodum. C. de agricol. lib. 11. Et quoniam malæ fidei poſſeſſor, vllo tempore non præſcribit. c. poſſeſſor. infr. c. de reg. iur. Ideo vt auferatur iſta præſumptio, quæ eſt contra poſſeſſorem, ipſe debet probare titulum, qui ei cauſam tribuat præſcribendi. vt in tex. & d. c. ſi diligenti.

NISI ſit præſcriptio, cuius contrarij non extat memoria.

QVIA ex tanto tempore, præſumitur legitimus titulus, etiam in tali poſſeſſore. c. ſuper. & ibi gloſ. ext. de verb. ſign. & l. hoc iure. §. ductus. ff. de aqua quot. ex longitudine enim temporis præſumitur ſæpe id, quod aliàs non præſumeretur. l. ſi filius. C. de petit. hæred. Et quoniam vbi eſt bona fides, & præſumitur titulus, quis legitimè poſſidet. ext. c. auditis. nec eſt cogendus ſuæ poſſeſſionis oſtendere titulum. l. cogi. C. de petit. hæred. Ideo etiam ſi ius commune, vel præſumptio ſit contra præſcribentem, ſi ipſe fuerit ab immemorabili tempore poſſeſſor, tale tempus cum bona fide eum tuetur. vt in tex. & l. 1. C. de bon. matern. Quomodo autem probetur poſſeſſio tanti temporis. not. gloſ. hic. & Oldrad. conſ. 172.

Cap. 2. Si qui.

PRIVATVS ipſo iure, vel per ſententiam bonis, quæ tenet à Romana, vel alijs eccleſiis, illa minori ſpatio centum annorum contra Romanam, vel quadraginta contra alias, non præſcribit.

QVIA

QVIA talia bona non ſunt amplius illius, qui ea ab iſtis eccleſijs tenebat, ſed ſunt effecta eccleſiaſtica, & debent ſequi naturam aliorum bonorum illius eccleſiæ, cui iſta ſunt modò incorporata, & ad quam, tanquam ad directam dominam, ſunt reuerſa. c. grauem. extr. de ſent. excom. & l. imperialē. §. præterea. de feud. non alien. in lib. feudor. Et quoniam contra eccleſiam Romanam nō currit minor præſcriptio, quam centenaria. ext. c. ad audientiam. & contra alias eccleſias non minor, quàm quadragenaria. ext. c. illud. ideo ſi qui, exigentibus culpis, vel exceſsibus ab eiſdem commiſsis, bonis, quæ à Romana, vel ab alijs tenent eccleſijs, ſint per ſententiam, vel ipſo iure priuati: in apprehendendis, vel occupandis, poſtea quandocunque bonis eiſdem, nullus ipſis eccleſijs temporis lapſus obſiſtit, niſi contra ipſam Romanam eccleſiam centenaria, vel contra eccleſias alias quadragenaria præſcriptio legitimè ſit completa. vt in tex. & c. volumus, & ibi gloſ. 16. q. 4.

FILII autem hæreticorum, qui catholici putabantur, bona paterna contra Romanam, & alias eccleſias, præſcribunt ſpatio quadraginta annorum, & idem in extraneis.

QVIA licet bona damnatorum de hæreſi, ſint ipſo iure confiſcata tempore commiſſi criminis; confiſcationis tamen huiuſmodi executio, vel bonorum ipſorum occupatio fieri non debet, antequam ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata. c. cum ſecundum. infr. de hæret. Et quoniam, ſi catholici poſſeſſores poſſent vexari quocunque tempore ſuper bonis relictis ab illis, qui poſt longum tempus, probarētur fuiſſe hæreticos, ſæpe pro bonis illis ab eis auferendis, multa grauamina indebitè ſuſtinerent. Ioan. Andr. hic. Ideo licet, poſt mortem hæretici, poſsit declarari eum hæreticum fuiſſe, ad finem confiſcandi bona, quæ ipſius erant. c. accuſatus. §. penult. infr. de hæret. ſi tamen poſt mortem hæreticorum, qui, dum viuerent, catholici putabantur, bona ipſorum à catholicis eorum filijs, vel nepotibus, aut extraneis quibuſcunque, ſpatio quadraginta annorum fuerint bona fide poſſeſſa, ſtatuitur, eos ſuper bonis huiuſmodi (etiam ſi ad Romanam peruenire deberent eccleſiam) in hoc caſu non eſſe vlterius moleſtandos; quanquam illi, quorum bona fuerant, nunc deregantur extitiſſe hæreticos. vt in tex. Et eccleſia Romana non eximitur in hoc caſu à iure aliarum eccleſiarum; tum ob fauorem ipſorum hæredum catholicorum, qui tanto tempore præſcriptum ſibi dominium quæſiuerunt; tum quia non agitur de auferendis bonis ſibi incorporatis, ſed agitur de lucro talium bonorum non acquirendo. gloſ. & Gemin. hic. & minus eſt lucrum non captare, quam rem habitam amittere. l. fin. C. de cod. icill.

Liber Secundus. Titulus XXVII.

DE SENTENTIA, & re iudicata.

In Decretal. Cap. 1. Sententia.

SENTENTIA lata contra leges, vel canones, non tenet.

QVIA ſententia eſt quædam lex particularis, à iudice prolata, ad ius faciendum inter partes. infr. c. cum inter. Et leges, & canones, ſunt leges generales à ſummo Pontifice, vel Imperatore prolatæ, ad ius faciendum inter omnes eorum ſubditos, quos per illas conſtringere intendunt. c. 1. de conſtitut. & l. non dubium. C. de legib. Et quoniam inferior non poteſt tollere legem ſuperioris. c. ſuper his. de maior. & obed. & cum leges generales ſint iuſtæ, & fundatæ ſuper ratione. c. erit. diſt. 4. non debet iudex velle videri ſapientior ſuo ſuperiore, qui illas promulgauit. S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 5. Et quæ contra ius fiũt, debent pro infectis haberi. c. quæ cõtra. de reg. iur. in 6. & eccleſia approbat leges ciuiles, quando non contradicunt canonibus. c. 1. de nou. oper. nunc. Ideo omnis iudex debet cuſtodire leges ſui ſuperioris, & ſecundum eas proferre ſententias. cap. 1. de conſtit. & Authent. de iudicib. §. fin. coll. 6. alias ſententia lata contra eas, ipſo iure non ſubſiſtit. vt in tex. & c. in iſtis. diſt. 4.

NEC ab ea opus eſt appellare.

QVIA appellatio extinguit, vel verius ſuſpendit promulgatum. c. paſtoralis. §. præterea. de offic. deleg. Et quoniam extinctio, vel ſuſpenſio præſupponit habitum. c. ad diſſoluendum. de deſponſ. impub. & l. decem. ff. de verb. oblig. Ideo talis ſententia non eſt alicuius auctoritatis, etiam ſi non ſit appellatione, ſuſpenſa. vt in tex. & c. ei, qui. §. diffinitiua. 2. q. 6. In dubio tamen eſt præſumendum pro ſententia, quod ſit rite, & rectè prolata. infr. c. cauſam. Et cum quiſque poſsit iuri ſuo renunciare. c. ad apoſtolicam. de regular. ſi illa non eſſet lata contra ius conſtitutionis, quo caſu non tenet. vt in tex. ſed eſſet ſolum contra ius litigatoris, qui cenſeretur illi acquieuiſſe, eſſet opus appellare, alias tranſiret in iudicatũ. infr. c. inter. Quando autem ſententia dicatur eſſe contra ius conſtitutionis, & quando contra ius litigatoris. not. gloſ. in d. c. inter. & gloſ. in l. 2. C. quand. prou. non eſt nec.

Cap.

Cap. 2. Iurgantium.

LITES debent celeriter terminari.

QVIA per longas lites nimium grauantur partes laboribus,& expenſis.c.finem.de dol.& cont.Et quæ erant ciuiles,dum nutriunt diſcordiam, ſæpe criminibus materiam creare noſcuntur. l.properandum.C.de iudic. Et quoniam intereſt reipublicæ,ciues locupletes habere.Authen.vt iudic.ſine quoque.ſuffr.§. conſiderandum. coll. 2. Et eſt officium charitatis,extinguere odia, & ad pacem reducere diſſidentes.c.ſtudendum. diſt.90. Ideo iurgantium controuerſias celeri ſententia terminare,& æquitati conuenit, & rigori.vt in tex. & Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 10. Non tamen debet iudex ita lites breuiare, vt ordo iuris prætermittatur,& defenſiones,& probationes legitimæ, ad detegendã veritatem inductæ,ob temporis anguſtiam auferantur.c. iudex. 2. q. 1. nam iudicantem oportet cuncta rimari,& ordinem rerum plena inquiſitione diſcutere:interrogandi,reſpondendi, obijciendique præbita patientia ab eo,vt ibi actio ambarum partium illuminata ſit pleniter:nec litigantibus iudex prius velit ſua ſententia obuiare, niſi quando iam peractis omnibus,nihil habeant in quæſtione,quod proponant, & tamdiù actio ventiletur,quouſque ad rei veritatem perueniatur; Frequenter interrogari oportet,ne aliquid prætermiſſum fortè remaneat, quod annecti conueniat.c.iudicantem.30. q.5.Vnde nec præcipiti feſtinatione, nec moratoria cunctatione,ſed medium inter viam vtranq; tenens, lente feſtinãdo,debet iudex cauſam terminare. Clement.ſæpe.de verb. ſign.& l.tutor,qui.§.2.ff.de adminiſtr.& peric.tut.

Cap.3. Non poteſt.

SACERDOS ſine iuſta cauſa non eſt deponendus.

QVIA depoſitio, per quam ſacerdos,vel clericus abijcitur ab honore ſui ordinis, eſt in eccleſia Dei maxima pœna.c.2.de pœnis. in 6.Et quoniam pœna eſt commenſuranda delicto.c.ſicut.de homicid.& ſpiritualia facilius conſtruuntur,quàm deſtruantur. c.inter.de transl.epiſc.Ideo non poteſt quenquam à ſacerdotali gradu (niſi iuſtis ex cauſis)concors ſacerdotum ſentẽtia ſubmouere.vt in tex. & c.ſi autem. 15. q. 7. Sed licet olim requireretur numerus ſex epiſcoporum ad ſacerdotem deponendum. c. felix.d.q.7. hodie tamen eſt attendendum Concil.Trid.per quod datur facultas,vt Epiſcopus,ſeu eius Vicarius poſſit ad talem pœnam procedere abſque alijs Epiſcopis,ne debita iuris executio propter difficultatem congregandi Epiſcopos, retardetur; & ne illi ab eorum reſidentia ob talem cauſam remoueantur. ſeſſ. 13. cap. 4.

Cap. 4. Ea, quæ.

IVSTE quis petit ſententiam à Papa confirmari, ſi iuſtè, & rationabiliter fuit lata.

QVIA ſicut ſine iudicio non eſt quiſquam condemnandus; ita quæ iuſtè diffinita ſunt, nulla excuſatione ſunt differenda. c. ſicut. 2. q. 1. Et quoniam ſuperioris confirmatio operatur, vt actus geſtus magis roboretur. c. 1. & ibi gloſ. de confir. vtil. vel inutil. & gloſ. in c. quia diuerſitatem. de conceſſ. præb. Ideo ea, quæ iuxta eccleſiaſticum morem, iuſtè, & rationabiliter fuerint diffinita, ſummi Pontificis quoque ſententia roborantur. vt in tex. & c. omnibus. 35. q. 9.

Cap. 5. De cætero.

IVDEX deputatus ſuper executione ſententiæ, admittit exceptionem fraudis, ſeu nullitatis ſententiæ, non ad effectum, vt ſuper ea pronuntiet, ſed vt negotium ad ſuperiorem, qui iudicauit, tranſmittat, ſi illam probabilem repererit.

QVIA ſi talis deputatus, ſuper cauſa illa pronuntiaret, aſſumeret ſibi iuriſdictionem, quam non habet. l. ſi vt proponis. C. de execut. rei iudic. & ſi exceptionem illam non admitteret, eſſet cauſa, vt pars indebitè grauaretur, & in caſu, quem ſi iudex, qui eum deputauit, ſciuiſſet, talem executionem ei non demandaſſet. c. dicenti. §. & ſi. & ibi gloſ. 25. q. 2. Et quoniam vtrunque eſſet abſurdum. c. notum. 2. q. 1. Ideo talis iudex deputatus, nec pronuntiat, nec interim exequitur, ſed audita tali fraude, ſeu ſententiæ nullitate, & ea extraiudicialiter animaduerſa, negotium ad ſuperiorem, qui ei demandauit, remittit: vt ipſe ſuper tali caſu plenè cognoſcat, & pronuntiet. vt in tex. & l. ſi prætor. §. Marcellus. ff. de iudic. Diſtingue tamen de triplici ſpecie executorum, vt latè hîc per Felin. & Specul. de executore.

Cap. 6. Cum aliquibus.

NON ſufficit reo damnato ad traditionem poſſeſſionis, tradere pignus pro ipſa poſſeſſione.

QVIA ſententia eſt exequenda iuxta eius condemnationem, ne aliàs lites ex litibus orirentur. l. ſi ſe non obtulerit. §. ait prætor. ff. de re iudic. Et quoniam cum poſſeſſio alicuius rei adiudicatur actori iure dominij, ſi reus vult pro executione illius dare aliquod pignus: non per hoc tradit poſſeſsionem, in qua eſt condemnatus. l. promiſſor. ff. de conſtit. pecun. Ideo cum aliquibus eſt adiudicata poſſeſsio, non ſufficit eis dari pignora, niſi corporali poſſeſſione lætentur. vt in tex. & l. non eſt. ff. de pign. act.

Cap. 7.

Cap. 7. Lator.

SENTENTIA lata contra matrimonium, nunquam transit in rem iudicatam.

QVIA ea, quæ sunt de iure diuino, per homines immutari non possunt. c. si dominus. 11. q. 3. Et quoniam matrimonium est inseparabile de iure diuino. Matth. cap. 19. Ideo quandocunque constiterit inter aliquos esse legitimum matrimonium, sententia, quæ illos separauerat, & non esse coniuges declarauerat: erit inualida pronuntianda, & ei non esse per coniuges parendum, erit declarandum. vt in tex. & c. fraternitatis. de frigid. & malefic.

VNDE quandocunq; reuocatur, cum constat de errore.

QVIA sententia non facit ius irreuocabile inter partes, antequã illa transiuerit in iudicatum. l. sicuti. §. sed si. ff. si seruit. vind. Et quoniam talis sententia non transit in rem iudicatam, vt dictũ est superius. Ideo quandocunque constiterit, tales per iudicem non fuisse legitimè separatos, eumq; sic pronunciando fuisse deceptum, erit sententia illa nulla declaranda, & ipsi coniuges simul permanere debebũt. vt in tex. & cap. graue. 35. q. 9. Et contra talem sententiam erunt audiẽdi etiam ipsi coniuges, vel alter eorum, quamuis ad ipsorum instantiam fuerit per iudicem contra matrimonium sic pronunciatum. c. sicut. de testib. tum quia propter diuisionem coniugum posset sequi adulterium, saltem quando coniuges sunt talis ætatis, vt meritò possit de incontinentia dubitari. c. 1. de conuers. coniug. nã vbi vertitur periculum animæ, vt illud euitetur, auditur etiam ille, qui allegat turpitudinem suam. c. cum super. de conces. præb. & c. loci. §. his. 35. q. 9. tum quia non est in potestate ipsorum coniugum, matrimonium seperare. Matth. cap. 19. vnde non est eorum fraudibus indulgendum, vt separationem, quam non possunt facere propria auctoritate, vellent facere per iudicis sententiam, ab eis ad hunc effectum, procuratam. vt in tex. & c. cum quid. de reg. iur. in 6. Tamen antequam de errore sententiæ doceatur, præsumitur pro illa: & debet obseruari, donec probetur eius error, faciendo constare de matrimonio. infr. c. tenor. & c. consanguinei.

Cap. 8. Cum causa.

RETRACTATVR sententia, prætextu iniquæ consuetudinis, lata contra ecclesiam.

QVIA licet vsus, vel consuetudinis non minima sit auctoritas, nunquã tamen veritati, aut legi præiudicat. vt in tex. & c. consuetudinis. dist. 11. (& intellige, quod non præiudicat legi, nisi sit rationabilis, & legi-

& legitimè præscripta, nam tunc bene præiudicat iuri positiuo. c. fin. de consuet.) Et quoniam ius est, vt consuetudo inferens grauamen ecclesijs, sit censenda abusus, & tanquam irrationabilis veniat extirpanda, & legitimè præscribi non possit. c. 1. de consuet. & Authent. cassa. C. de sacr. san. eccl. & quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi. l. non dubium. C. de legib. Ideo talis sententia non tenet, & de facto venit reuocanda. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap. 9. Inter cæteras.

SENTENTIA iniqua retractatur per superiorem, licet causa fuerit, appellatione remota, commissa.

QVIA per clausulam, appellatione remota, non prohibetur appellatio, quæ in iure expressè approbatur; sed inhibetur omnis appellatio, quæ in iure expressè non indulgetur. c. pastoralis. de appellat. Et quoniam in iure exprimitur, vt à sententia iniqua, & continente grauamen, possit legitimè appellari. cap. vt debitus. de appellat. Ideo cum aliqua causa, appellatione remota, committitur, si sententia feratur iniqua, eam euacuari oportet. vt in tex. & c. ex conquestione. de restit. spol.

SI autem continet manifestam iniquitatem, est nulla.

QVIA sententia, quæ non est euidenter iniusta, licet in se contineat aliquam iniquitatem, interim sustinetur, si non fuerit reuocata, propter præsumptionem iustitiæ, quæ in dubio est pro iudice. infr. c. cum causam. Et quoniam vbi iniustitia est notoria, siue manifesta, cessat ista præsumptio. c. euidentia. de accusat. l. penult. ff. de iustit. & iur. Et in iudicijs non est fouenda iniustitia, ne inde oriantur iniuriæ, vnde ius suum est cuique reddendum. cap. qualiter, il 1. de accusat. & l. meminerint. C. vnde vi. Ideo non est standum sententiæ, si iniquitatem contineat manifestam. vt in tex. & supr. c. 1. Quando autem dicatur continere manifestam iniquitatem. not. glos. hic. & Bart. in l. vnic. C. de error. calc.

Cap. 10. Tenor.

SENTENTIA lata contra absentem non contumacem, in causa matrimoniali, non valet.

QVIA citatio ad sententiam pertinet ad defensionem, quæ est de iure naturali. c. qualiter. de accusat. nam si ille, qui condemnatur, fuisset præsens, forsan habuisset legitimas exceptiones ad intentionem contrariam elidendam. c. quoniam. §. porrò. vt lit. non cont. Et quoniam ea, quæ sunt de iure naturali immutari non possunt. Institut. de iure natur. §. penult. Ideo sententia lata contra absentem non contumacem, est nulla in quocunque negotio. l. de vnoquoque. ff. de re

de re iudic. & diuinæ, & humanæ leges prohibent, neminem eſſe iudicandum abſentem,niſi fuerit abſens ex contumacia,nam tunc pro preſenti eum contumacia facit haberi. c.abſens. 3. q.9. Et præſertim talis ſententia eſt nulla in cauſa matrimoniali. vt in tex. quia matrimonium eſt inſeparabile de iure diuino.Matth.cap.19.& ius diuinum non poteſt ab hominibus immutari. c.ſi dominus.11.q. 3. An autem ſententia præſumatur lata in præſentem ? Dic,quod ſi in ſententia fit mentio, partes fuiſſe præſentes,illud præſumitur.c.quoniam.de probat.& idem, ſi non fit mentio, ſi ſententia tranſiuit in rem iudicatam. infr. c. cum, Bertholdus. aliàs ſecus.Specul.de ſent.§ vt autem.

Cap. 11. Conſanguinei.

SENTENTIA diuortij in cauſa matrimoniali ritè lata, ad ſolam coniugis confeſſionem aſſerentis contrarium, non reuocatur.

QVIA nemo eſt idoneus teſtis pro ſe in facto proprio. c.ſi teſtes. §.nullus.4.q.3. Et quoniam ſi contra talem ſententiam crederetur illis, inter quos fuit prolata,facile poſſent ſimul colludere,& fingere inter ſe non eſſe aliquod canonicum impedimentum,per quod contrahere matrimonium non potuerint:& ſic in caſu prohibito cum peccato carnaliter ſe immiſcerent. c.ſuper.de eo, qui cogn.conſang. Ideo propter ſolam confeſſionem mulieris, non eſt recedendum à ſententia per iudicium eccleſiæ in tali caſu rationabiliter promulgata.vt in tex. & ſupr.c.lator.

SED interim ei ſtatur.

QVIA ſententia rite lata præſumitur iuſta, & in probationibus bene fundata. infr.c.ſicut. Et quoniam ſi tales carnaliter ſe cognoſcerent,& coniuges non eſſent, mortaliter peccarent. cap. non debet.de conſang.& affinit. Et ad euitandum peccatum, quod tutius eſt eligere debemus. c.2. de homicid. Ideo interim huiuſmodi ſententiæ eſt obtemperandum.vt in tex.& ſupr.c.eo,quæ.

DONEC legitimè de contrario doceatur.

QVIA maior præſumptio debiliorem tollit. c.cauſam. de probat. Et quoniam in cauſa matrimoniali,ſententia non tranſit in rem iudicatam. ſupr. c.lator. Et eſſet contra ius diuinum,vt matrimonium per hominis ſententiã ſepararetur.Matth.cap.19. Ideo ſi per claras probationes, quæ debeant præualere præſumptioni, quæ erat pro ſententia,appareat aliquos eſſe coniuges,ſententia illa eſt inualida declaranda,& ipſi debent ſimul in matrimonio permanere.vt in tex. & c.loci. 35.q.9.

Cap.

Cap. 12. Cum olim.

SI Papa contra pronunciationem ſuam confert beneficium, hoc tacito, ſubreptitia dicitur collatio.

QVIA omne tacitum, quo expreſſo, Princeps non tam facile literas ſic reſcriptas dediſſet, reddit gratiam ſubreptitiam. c. poſtulaſti. de reſcrip. Et quoniam ſi Papa fuiſſet recordatus de tali ſua priori pronunciatione, non tam facilè conceſſiſſet beneficium contra illam determinationem. c. cæterum. de reſcript. Ideo in iſta collatione præſumitur, quod Papa fuerit circumuentus ab impetrante, & quod propter multitudinem negotiorum, ipſe non fuerit recordatus de illa contraria pronunciatione, de qua in hac collatione non fecit mentionem. vt in tex. & c. 1. de conſtit. in 6. Vnde quando ſuper eodem facto apparent duæ ſententiæ interlocutorię ad inuicem contrariæ, & non apparet, quod iudex tulerit ſecundam cum animo reuocandi primam, valet prima, & non ſecunda. Bart. in l. quod iuſſit. ff. de re iudic. nam vt prima cenſeatur reuocata, debet apparere, quod iudex ſit memor de illa, quando ſecundam contrariam profert. l. hoc autem, in princ. ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.

ET non tenet.

QVIA reſcriptum recipit vires ab intentione ſuperioris reſcribentis. c. quamuis. de reſcript. in 6. Et quoniam in gratia ſubreptitiè impetrata, non cenſetur adfuiſſe reſcribentis intentio. c. 2. d. tit. Et ſententia etiam Romanæ ſedis poteſt in melius commutari, cum aut ſubreptum aliquid fuerit, aut ipſa pro conſideratione ætatum, vel temporum, ſeu neceſſitatum, quædam ordinatè decreuerit. c. ſententiam. 35. q. 9. Ideo talis gratia ſubreptitiè impetrata, nullum debet habere effectum. vt in tex. & c. conſtitutus. de reſcript.

Cap. 13. Cum inter.

VALET ſententia contra ius litigatoris lata, ſi ab ea infrà decem dies non fuerit appellatum.

QVIA quando ſententia eſt lata contra ius litigatoris, non continet in ſe aliquem manifeſtum errorem, per quem ſit euidenter iniuſta. ſup. c. inter. & l. cum prolatis. ff. de re iudic. Et partes non appellando intra debitum tempus, videntur illi acquieuiſſe, & earum iuribus, ſi quæ in contrarium competebant, renunciaſſe. infr. cap. prox. Et quoniam ſententia à ſuo iudice prolata, in dubio præſumitur iuſta. infr. c. ſicut. Et fauori ſuo quilibet renunciare poteſt. c. ad apoſtolicam. de regular. Et litium finis eſt deſiderandus. l. properandum. C. de iudic. Ideo poſt tranſitum in rem iudicatam, ſententia, quæ non apparet euidenter

denter iniuſta, & non eſt contra ius conſtitutionis, accipitur pro veritate, & ius facit inter partes, licet in aliquibus fuerit cõtra ius vnius litigatoris prolata. vt in tex. & l. ingenuum. ff. de ſtat. hom. Antequam autem ſententia tranſeat in rem iudicatam, non dicitur facere ius inter partes, ſed ius, quod eſt inter illas, dicitur per eam declarari. l. ſicuti. §. ſed ſi. ff. ſi ſeruit. vind. quia licet etiam tunc pro ſententia præſumatur. infr. c. prox. non tamen ita, vt non poſſit ab ea recedi, & per iudicẽ appellationis illa reuocari, ſi per eam pars, quæ appellauit, grauata appareat. infr. tit. prox. c. vt debitus. Sententia verò lata contra ius conſtitutionis, eſt ipſo iure nulla. ſup. c. 1. quia tunc eſt notoriè iniuſta, cum iudex fundauerit illam, vel in manifeſto errore, vel contra ius commune. l. 1. ff. quæ ſent. ſine appell. reſcind. & veritas geſtorum eſt præferenda opinioni. l. 1. C. plus val. quod agit. Et ius publicum non poteſt à iudice immutari. c. cum inferior. de maior. & obed. ſed ſecundum illud ipſe debet proferre ſententias. c. 1. de conſtit. & l. non dubium. C. de legib.

Cap. 14. Cauſam, quæ.

SENTENTIA contra actorem lata, nihil iniqui continens, venit in cauſa appellationis confirmanda.

QVIA tanta eſt rei iudiciariæ auctoritas, vt ſententia à ſuo iudice lata, iuſta eſſe præſumatur, niſi iniuſta probetur. l. hi, qui. C. de appellat. Et quoniam ad iudicem appellationis ſpectat, vel iuſtam confirmare, vel iniuſtam infirmare ſententiam. infr. tit. prox. c. vt debitus. Ideo ex quo talis ſententia non probatur iniuſta, debet tanquam iuſta confirmari. vt in tex. & l. eos, qui. C. de appell.

LICET per atteſtationes videatur pro actore fuiſſe probatum.

QVIA iudex non ſemper ad vnam ſpeciem probationis applicat mentem, ſed ex confeſſionibus, depoſitionibus, allegationibus, & alijs, quæ in eius præſentia proponuntur, animi ſui format motum. c. in præſentia. de renunc. Et quoniam poteſt eſſe, quod ex aliqua legitima cauſa, iudex non fuerit ſecutus illas atteſtationes. l. 3. ff. de teſtib. Ideo quamuis atteſtationes videantur pro actore, iuſtitia poteſt præſumi pro ſententia. vt in tex. & infr. c. ſicut.

DVM MODO pro ſententia concurrant præſumptiones, de quibus hic in litera.

QVIA maior præſumptio debiliorem tollit. c. cauſam. de probat. Et quoniam iudex debet ſententiare ſecundum allegata, & probata. l. illiciras. ff de offic. præſid. ideo vt ſit maior præſumptio illa, quæ habetur pro ſententia, quam illa, quæ facit pro actore, in cuius fauorem videntur eſſe atteſtationes, oportet, quod ſententia nihil

contineat

contineat iniquum, quod causa de communi partium consensu fuerit commissa, & quod post causæ examinationem, iudex fuerit ab vtraque parte requisitus, vt sententiam ferret. vt in tex. & glos. fin. hic.

Cap. 15. Quoad consultationem.

SI sententia præcipit aliquid fieri ad certum terminum, tempus decendij ad appellandum, currit à tempore sententiæ, non autem à die finiti termini.

QVIA decem dies ad appellandum, dantur partibus, vt infra illos deliberare possint, an velint stare sententiæ, vel ne, audita prolatione illius. Authent. hodie. C. de appellat. Et quoniam pars, quæ prætendit se per illam sententiam grauari, non dicitur grauari à die termini sibi præfixi ad aliquid faciendum, sed incontinenti, cum sententia fertur. c. bidnum. 2. q. 6. & l. 1. ff. de re iudic. Ideo cum post decem dierum spatium, sententia in auctoritatem rei transeat iudicatæ, qui ad prouocationis subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegauit, cum per hoc videatur, per interpretationem iuris, latæ sententiæ paruisse; præsertim, vbi causa non redditur appellandi. vt in tex. & l. 1. §. biduum. ff. quand. appell. sit.

QVADRIMESTRE tempus, quod à lege datur condemnatis in personali, potest à iudice ex causa arctari.

QVIA huiusmodi tempus regulariter datur reo obligato actione personali, post condemnationem, miserationis causa, vt interim possit commodius adimplere, quod debet. c. quærenti, & ibi glos. de offic. deleg. & l. si cum militi. ff. de compensat. in reali autem actione, in qua res obligata præsumitur esse magis in promptu, vt tradatur: si reus dixerit, se velle sententiæ parere, statim potest sententia mandari executioni, aliàs post decem dies, si non fuerit appellatum. l. 4. § si ex conuentione. ff. de re iudic. & Institut. de offic. iudic. §. 2. Et quoniam, qui pro tribunali cognoscit, non semper tenetur tempus iudicati seruare, sed nonnunquam arctat, nonnunquam prorogat pro causæ qualitate, & quantitate, vel personarum obsequio, vel contumacia, ita vt rarò intra statutum tempus sententiæ exequantur. l. 2. ff. de re iudic. Ideo si ex iusta causa iudex viderit id requiri, poterit reo istud quadrimestre tempus arctare, vel prorogare. vt in tex. & d. l. 4. §. si quis. de re iudic. licet regulariter illud à iure indultum debeat seruare. c. indultum. de reg. iur. in 6.

ET sponte terminum arctatum recipiens, non potest post decendium appellare, licet non constet iudicem ex causa terminum abbreuiasse.

QVIA

QVIA remittenti actiones ſuas, non eſt dandus regreſſus ad eas. c. quampericuloſum. 7. q. 1. Et quoniam iudex poteſt ex cauſa, non autem ſine cauſa, tale tempus arctare. d. l. 4. de re iudic. Ideo qui ab initio ſponte recipit talem terminum breuiorem, quàm ei fuerit à iure indultus, ſibi imputet, ſi poſtea non poteſt illum longiorem habere: cum ex hoc videatur amplius beneficium contempſiſſe, & fauori ſuo ex ſe renunciaſſe. vt in tex. & l. ad ſolutionem. C. de re iud.

AB executione ſententiæ non appellatur.

QVIA appellatio fuit introducta ad remouendum grauamen, quod à iudice malitioſè, vel ignoranter infertur. c. ſuggeſtum. de appell. Et quoniam qui alterius exequitur ſententiam, eſt ſimplex miniſter, & ipſe non dicitur grauare; Sed ſi aliquod grauamen ineſt, illud fuit inflictum à iudice, qui mandauit; nõ ab eo, qui ipſi, exequendo, obtemperat. l. executorem, & l. ſi vt proponis. C. de execut. rei iud. Ideo ſi pars ſentit ſe grauari, debet appellare à iudice, qui mandat, non à miniſtro, qui exequitur. vt in tex. & cap. ſuper. de offic. deleg.

NISI in executione modus excedatur.

QVIA vbi executor excedit fines mandati, non grauat ille, qui commiſit, ſed ipſe, qui de facto ex ſuo arbitrio procedit. c. nouit. de appell. Et quoniam ad euitandum facti grauamen, poteſt etiam à ſententia nulla, & ab actu inualido appellari. l. ſi expreſſim. ff. de appell. Ideo ſi executor excedit modum ſibi iniunctum, licitè ab ipſo appellatur. vt in tex. & l. ab executore. ff. de appell. Quando autem executor dicatur excedere modum, not. gloſ. hic, & gloſ. in l. ab executione. C. quor. appell. non recip.

Cap. 16. Sicut.

SENTENTIA poteſt probari per teſtes, licet non deponant de cauſis, quæ ſolent iudicem mouere ad ſententiandum.

QVIA in ore duorum, vel trium teſtium, ſtat omne verbum. Matth. cap. 18. Et quoniam teſtis debet deponere de his, quæ ſenſu corporeo percepit, non autem de his, quę à iure dependent. c. præterea. de teſtib. Et iudex non ſemper exprimit cauſam, quæ ipſum ad taliter ſententiandum inducit. infr. c. cum Bertholdus. Et in dubio ſententia præſumitur ritè, & rectè prolata. c. in præſentia. de renunt. Ideo ſi teſtes deponunt de ſententia à ſuo iudice lata, cætera præſumuntur legitimè præceſſiſſe. vt in tex. & c. cum à nobis. de teſtib. Quando autem iudex debeat in ſententia exprimere cauſam, quæ ipſum mouit. not. gloſ. & Imol. hic.

Cap. 17. Cum ſuper.

AB eadem ſententia poteſt appellare, ne dum reus victus, ſed etiam tertius, cuius intereſt.

QVIA appellatio eſt præſidium datum à iure, ad remouendum grauamen, quod à iudice infertur. c. ſuggeſtum. de appell. Et quoniam ſunt aliquæ cauſæ, in quibus non ſolum præiudicatur principaliter illis, contra quos ſententia fertur, ſed ſecundariò, & in conſequentiam fit præiudicium etiam alijs, qui habent commune intereſſe in ipſis cauſis. infr. c. penult. & l. ſæpe. ff. de re iudic. (puta ſi feratur ſententia contra hæredem in cauſa teſtamenti, tunc poſſent appellare etiã legatarij, quibus talis ſententia prę iudicaret. d. l. ſæpe.) licet regulariter res inter alios acta, alijs nocere non debeat. c. inter. de fid. inſtr. & l. 2. C. res inter al. act. Ideo ſicut non ſolent audiri appellantes, quorum non intereſt. c. non ſolent. 2. q. 6. ita eſt recipienda appellatio eorum, qui habent intereſſe ad cauſam, ſi iniuſtè grauantur, licet ipſi non fuerint partes, inter quas actum eſt iudicatũ. vt in tex. & l. à ſententia. ff. de appell.

ET poterit ſententia quo ad reum, nil de ſuo iure docentem, confirmari, reſpectu verò tertij, rationabiliter appellantis, infirmari.

QVIA iudex debet ſecundum allegata, & probata, ſententiare l. illicitas. ff. de offic. præſid. Et quoniam ex diuerſis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Ideo victoria vnius, qui pro ſe probauit, non prodeſt alteri, qui pro iure ſuo diuerſo ab illo victoris, in cauſa nihil ſufficienter adduxit. vt in tex. & l. 2. C. quibus res iudic. non noc. Vnde in hoc caſu ex defectu requiſitorum, non habent locum ea, quæ de appellatione interpoſita in communi cauſa, habentur in c. penult. infr. tit. prox. & l. qui ſeparatim. ff. de appell.

Cap. 18. Cum Bertholdus.

SI citatus ad ſententiam, ex legitima cauſa iudici ignota, non comparuit, tenet ſententia, eo abſente, lata.

QVIA quando iudex facit, quod in ſe eſt, vlterius diuinare non tenetur. c. 1. vt eccl. benef. ſine dim. conf. & l. ſi putator. ff. ad leg. aquil. Et quoniam vbi quis, poſt litem conteſtatam, eſt contumax, ſi liquet de cauſa, poteſt ſententia diffinitiua ferri. c. prout. de dol. & cont. & l. properandum. C. de iudic. Ideo ſi citatus ad ſententiam non comparet, & iudex ignorauit eum eſſe legitimè impeditum, ſententia tenet. vt in tex. & l. ab eo. C. quomod. & quand. iud. ſent. Si vero iudex ſciuiſſet iuſtam abſentiæ cauſam, ſententia ipſo iure non teneret. l. quæſitum, ff. de re iudic. ne inde naſcantur iniuriæ, vnde ius debet oriri. c. licet. de off. ord.

SED

SED retractatur, eo probante legitimam abſentiæ cauſam.

QVIA vbi æquitas ſuadet, eſt danda in integrum reſtitutio. c. ex literis. de in integr. reſtit. & l. 1. ff. ex quib. cauſ. maior. Et quoniam eſſet iniquum, vt qui ex legitimo impedimento non comparet, contumax exiſtimaretur. d. l. quæſitum. Et vbi ceſſat vera, vel ficta contumacia, ibi non poteſt contra abſentem ſententia ferri. c. querelam. de procur. & l. ea, quæ. C. quom. & quan. iud. Ideo licet talis ſententia, propter citationem emiſſam, ipſo iure teneat; propter legitimum tamen impedimentum, quo citatus non eſt exiſtimandus contumax, venit retractanda. vt in tex. & l. ſi finita. §. ſi forte. ff. de damn. infect.

SI verò impedimentum probatur non plenè, non retractatur ſententia.

QVIA ad fundandam intentionem dicentis, paria ſunt, non probare, vel minus ſufficienter probare. c. tam literis. de teſtib. & l. qui accuſare. C. de edend. Et quoniam ſententia, quæ tranſit in rem iudicatam, facit ius inter partes, licet ſit contra ius litigatoris. ſup. c. cum inter. Ideo ſi non fiat plena probatio de iuſto impedimento abſentiæ, non debet talis ſententia retractari. vt in tex. & l. ingenuum. ff. de ſtat. hom.

NISI prius doceat de ipſius iniquitate.

QVIA quando probatur iniquitas ſententiæ, & aliqualiter fuit probatum legitimum impedimentum abſentiæ, eſt ſufficiens præſumptio ad credendum, quod ille ex iuſta abſentiæ cauſa non comparuit; tum quia non eſt veriſimile, quod quis deſerat iuſtam cauſam, tum quia impedimentum aliqualiter probauit: & ex iniquitate ſententiæ, probatio illa ita roboratur, vt quæ ſingula non ſufficiebant, ſimul vnita plene probent. c. cum contumacia. de hæret. in 6. & l. 3. ff. de teſtib. Et quoniam vbi quis habuit iuſtam abſentiæ cauſam, ſententia eſt retractanda. l. penult. C. quomod. & quand. iud. Et plus debet valere, quod eſt in veritate, quàm quod in opinione. l. 1. C. plus val. quod agit. Ideo probata ſententiæ iniquitate, & aliqualiter conſtito de abſentiæ iuſto impedimento, ſententia iſta retractatur. vt in tex. & l. ſi finita. §. ſi forte. ff. de damn. infect. Vnde in caſibus huius tex. eſt diſtinguendum, quod, Aut nullo modo probatur iuſta cauſa abſentiæ, & tunc ſi ſententia tranſiuit in rem iudicatam, non debet quis audiri contra ſententiam, quantumcunque velit probare iniuſtitiam illius, quia iam fecit ius inter partes. ſupr. c. cum inter. & ff. de re iudic. l. res iudicata.

niſi vellet probare nullitatem, vel aliquem caſum ſpecialem, in quo ſententia venit retractanda beneficio reſtitutionis, vt dolum partis, vel falſitatem inſtrumentorum, vel quid ſimile. cap. licet. de probat. & l. diuus. ff. de re iudic. Aut probatur iuſta cauſa abſentiæ ſufficienter, & tunc debet illico ſententia retractari, non expectato, quod aliter probetur ipſius iniuſtitia, & poſtmodum procedetur in cauſa, ac ſi nunquam fuiſſet lata ſententia. cap. querelam. de procur. & l. quæſitum. ff. de iudic. Aut, & tertio, probatur iuſta cauſa abſentiæ minus ſufficienter, & tunc capitur quædam via media, ne veritas per opinionem ſupplantetur, vt nec ſententia debeat illico retractari, ſicut fit in caſu proximè præcedenti, nec debeat in totum audientia iſti denegari, ſicut fit in caſu mediate priori; ſed reſtituitur, vt audiatur contra ſententiam, & ſi non probauerit aliquid contra illam, remanebit in ſuo robore; ſi verò probatur iniuſtitia, maximè ex tenore ſententiæ, & ex actis, debet ſententia retractari. vt in tex. & l. cum non voluntatis. C. quomod. & quand. iud. Qualiter autem ſit probanda iuſta cauſa abſentiæ; Dic, quod inſpecta qualitate cauſæ, & impedimenti allegati, & perſonæ allegantis; quandoque ſufficit iuramentum allegantis, quandoque ſemiplena probatio, quandoque requiritur probatio plena. cap. ex litteris. de in integr. reſtit. & Federic. conſil. 109. non enim poteſt dari in his certa regula, ſed bonus iudex arbitrabitur. l. 3. ff. de teſtib.

Cap. 19. In cauſis.

PAPA in ſententijs, quas profert, ordinem iuris ſeruat.

QVIA ſententia diffinitiua Principis lata ſuper cauſa, de qua plene cognouit, ſicut & eius declaratio, habet vim legis generalis, vt in ſimilibus caſibus cæteri teneantur ſimiliter iudicare. vt in tex. & l. fin. C. de legib. Et quoniam periuris ordinem ſeruatum, veritas facti, & merita cauſæ melius panduntur. cap. quoniam. de probat. & l. prolatam. C. de ſent. & interl. omn. iud. Et Papa, licet locum Dei teneat in terris, non tamen de occultis poteſt diuinare. cap. vnic. vt eccl. benef. ſine dim. conf. Ideo in cauſis, quæ ſummi Pontificis iudicio deciduntur, & ordo iuris, & vigor æquitatis eſt ſubtiliter obſeruandus; cum in ſimilibus caſibus cæteri teneantur ſimiliter iudicare; niſi fortè cum aliquid (cauſa neceſſitatis, & vtilitatis inſpecta) diſpenſatiuè duxerit ſtatuendum. vt in tex. & cap. licet. 16. quæſt. 3. Et ſi diceres, quod non ſit ſecundum alterius ſententiam iudicandum: cum legibus, non exemplis iudicare oporteat. l. nemo iudex. C. de ſent. & interloc. omn. iud. Reſpond. quod illud procedit in ſententia inferioris, ſecus in ſententia Principis. vt in tex. & d. l. fin. de legib. Et eſt ratio diuerſitatis, tum quia lex eſt, quicquid Principi placet

animo

animo condendi legem. §. sed & quod Principi. Institut. de iur. natur. tum etiam quia non est præsumendum, quod Principis processus habeat maculam, vel rugam. c. in sede. 24. q. 1. cum omnia per eum censeantur plene examinata. c. apostolicæ. 35. q. 9. sed inferiores iudices non habent potestatem condendi leges, nec interpretandi necessariò quo ad alios extra causam. d. l. fin. de leg. nec eorum iudicium præsumitur ita integrum, sicut Principis. c. 1. de postul. præl. In facto tamen dubio, conueniens est iudicare, sicut per alios in loco illo reperitur alias esse iudicatum. c. fin. & ibi glos. dist. 20. & l. si de interpretatione. ff. de legib. An autem teneat sententia, si Princeps iuris ordinem non seruat? Dic, quod quidam est ordo inductus de mero iure positiuo, & illius defectus non uitiat processum coram Principe. c. proposuit. de concess. præb. quia cum ipse sit supra tale ius, per illud non ligatur. l. Princeps. ff. de legib. quidam est ordo iuris fundatus in iure naturali, vt quod sententia feratur, parte vocata: & iste ordo si prætermittatur, sententia non tenet. Clement. pastoralis. de re iudic. & l. fin. C. de legib.

Cap. 20. Inter monasterium.

SECVNDA sententia, in diuersa instantia contra primam lata, tenet mero iure.

QVIA prima sententia, à qua fuit legitimè appellatum, est per appellationem illam suspensa, vel forsan extincta. c. pastoralis. §. præterea. de offic. deleg. Et quoniam non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. c. non præstat. de reg. iur. in 6. & appellatio est principaliter inducta ad iniquitatem, vel imperitiam minoris iudicis, qua grauauit partem, per inuocationem maioris, corrigendam. l. 1. ff. de appell. Ideo ex quo secunda sententia non reperit primæ impedimentum, & ipsa est per iudicem competentem legitimè lata, tenet ipso iure contra primam. vt in tex. & l. 1. & ibi Bart. C. quand. prouoc. non est necess.

NEC debet infringi, etiam si sit iniusta, ex quo ab ea non fuerit appellatum.

QVIA sententia lata contra ius litigatoris, si ab ea non appellatur, transit in rem iudicatam. sup. c. cum inter. Et quoniam res iudicata ius facit inter partes. l. ingenuum. ff. de stat. hom. legitimè. Ideo si à tali sententia non appellatur, quamuis sit lata, contra ius alicuius litigatoris, est à partibus obseruanda. vt in tex. & l. cum prolatis. ff. de re iudic.

PRAESERTIM, si prima sententia secundis iudicibus non fuit ostensa.

QVIA partes videntur in totum ab illa ſententia receſſiſſe, & eam pro nulla habuiſſe, ex quo illa non ſunt vſi: & rationes, quę forſan in ipſa comprehenſæ, mouiſſent iudicem ſecundæ inſtantiæ ad illam confirmandam, ex proprio defectu non adduxerunt. infr. c. prox. Et quoniam ius ſemel extinctum amplius non reuiuiſcit. c. quam periculoſum. 7. q. 1. Ideo ſibi imputent partes, ſi primam ſententiam non oſtenderunt, & à ſecunda ei contraria non appellarunt. vt in tex. & l. 1. §. 2. ff. quand. appell. ſit, & intra quæ temp.

Cap. 21. Suborta.

TENET ſententia contra priuilegium oſtenſum, vel non oſtenſum, ſi ab ea non fuerit appellatum, vel ſupplicatum.

QVIA priuilegium eſt ius priuatum. c. priuilegia. diſt. 3. Et quoniam ſententia lata contra ius litigatoris eſt valida, licet ſit iniuſta. ſupr. c. cum inter. Ideo ſi à tali ſententia per appellationem, vel ſupplicationem, intra debitum tempus non fuerit receſſum, illa tranſit in rem iudicatam, & partes ei acquieuiſſe, & earum iuribus renunciaſſe cenſentur. vt in tex. & l. 2. C. quand. prou. non eſt nec.

Cap. 22. Cum l. & A.

SENTENTIA, à qua fuit appellatum, retractatur, ſi conſtat, teſtes, ad quorum dicta tantum lata fuit, conſpiratores fuiſſe, & contradicente parte, receptos.

QVIA per appellationem legitimè interpoſitam, ſuſpenditur ſententia. c. paſtoralis. §. præterea. de offic. deleg. Et eius iniquitas eſt per iudicem, ad quem fuit appellatum, corrigenda. l. 1. ff. de appell. Et quoniam iudex debet ſententiare ſecundum legitimè allegata, & probata. l. illicitas. ff. de offic. præſid. & criminoſi ſunt à ferendo teſtimonio repellendi. c. teſtimonium. de teſtib. cum non ſit credendum contra alios illis, qui criminibus implicantur. cap. forus. de verb. ſign. Et præſertim non eſt credendum conſpiratoribus, qui tanquam inimici, ad teſtificandum, non ex zelo iuſtitiæ, ſed ex fomite malignitatis mouentur. c. per tuas. de ſimon. Et parti, quæ illis contradicit, non poteſt imputari, quod in ſui præiudicium eos approbauerit. c. præſentium. de teſtib. Ideo ex quo talis ſententia, per appellationem interpoſitam, non tranſiuit in rem iudicatam: & in falſis probationibus præſumitur fundata; tanquam iniuſte prolata, (ad remouendum grauamen parti indebitè illatum) venit per iudicem appellationis reſcindenda. vt in tex & l. falſam. C. ſi ex falſ. inſtr. vel teſtib.

Cap. 23. Cum te.

DAMNATVS in actione iniuriarum, infamis eſt.

QVIA

QVIA ſententia pro veritate accipitur, poſtquam ab ea non eſt legitimè appellatum. l.ingenuum. ff. de ſtat.hom. Et quoniam ille, qui alterius voluit iniuriosè lædere famam, meretur ſuæ exiſtimationis notam ſuſtinere; vt ipſe puniatur in eo, in quo alterum conatus eſt offendere.c.infames.§.porrò 3.q.7.& l.1.ff.de iniur. Ideo qui per ſententiam fuit de illata iniuria condemnatus,exiſtimandus eſt infamis,ſicut ille,qui euidenter iniurioſus apparet. vt in tex.& l.1.& 4 ff. de his,qui not.infam.

ET per Papam poteſt famæ reſtitui.

QVIA infames dicuntur, quoſcunque leges eſſe infames pronunciant. c. Euphemium. §. infames. 2.q.3. Et quoniam Papa poteſt condere leges, per quas tranſgreſſoribus infamiæ pœna irrogetur.c. tranſlato. de conſtit. Et nihil tam naturale eſt,quam eo genere quoq; diſſoluere, quo colligatum eſt. l.nihil. ff. de reg. iur. Ideo per ſuam pronunciationem poteſt Papa infamiam a lege irrogatam,& per iudicis ſententiam declaratam, auferre; & beneficio reſtitutionis famam elargiri.vt in tex.& c.ſi quem.§.notandum.2.q.3.

Cap. 24. Ad probandum.

REVOCATA ſententia propter defectum iuriſdictionis, vt quia vnus ex iudicibus publicè excommunicatus erat, vel propter iuris ordinem non ſeruatum, iterum de principali quæritur.

QVIA ea, quæ fiunt à iudice, ſi ad eius non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.l.factum.ff.de reg. iur. Et pro non iudicato habetur, quod iudicatur ab eo, qui non poteſt de iure iudicare.l.certa.C.quand.prouoc.non eſt neceſſ. Et quoniam non præſtat impedimentum,quod de iure non ſortitur effectum.c.non præſtat.de reg. iur. in 6. Ideo vbi ſententia ex defectu iuriſdictionis, vel alio legitimo impedimento, non tenet, remanet ſalua actio, vt iterum poſſit ex integro à competenti iudice de cauſa cognoſci, ac ſi ſententia illa lata non fuiſſet. vt in tex.& l.ſi vt proponis.C.quomod.& quand.iud.

Cap.25. Quamuis.

RES inter alios iudicata,alijs non nocet.

QVIA vni per alterum non debet iniqua conditio afferri. c.ſatis. diſt.56.& l.1. C.res inter al.act. vbi enim quis non eſt in culpa, non debet inde damnum reportare. c.2. de conſtit. Et quoniam res iudicata pro iure, & veritate accipitur.ſupr.c.cum inter. & l.ingenuũ.ff. de ſtat. hom. Ideo res iudicata inter aliquos, nocet ipſis partibus, quæ ſententiæ acquieuerunt,& de quarum iuribus fuit diſcuſſum,non autem alijs, qui in iudicio non fuerunt, & quorum iura non ſunt producta. vt in tex.& l. res.C.quib.res iud.non noc.

FALLIT in eo, qui passus est illum litigare, cui secundo loco competebat actio, vel defensio.

QVIA cum in tali casu disputetur de re ad me principaliter pertinente, & possum remouere litigantem à iudicio, seu in me assumere iudicium, seu protestari, quod non intendo, vt litiget in mei prę-iudicium, & taceo; videor consentire, & sic ille censetur litigare cum voluntate mea. l. sæpe. ff. de re iudic. Et quoniam scienti, & consentienti non fit iniuria, neque dolus. c. scienti. de reg. iur. in 6. Ideo res tunc directè iudicata inter alios, nocet per consequentiam etiam mihi. vt in tex. & l. Caius. ff. de pign. act.

VEL à quo causam in iure iudicato habuit.

QVIA resoluto iure auctoris, resoluitur ius successoris. l. lex vectigali. ff. de pignor. non enim potuit ille plus iuris in aliũ transferre, quàm ipse haberet. c. nuper. de dot. post diu. rest. & l. traditio. ff. de acquir. rer. dom. Et quoniam ex quo auctor meus disputauit de iure meo, & tacui, videtur egisse cum meo consensu. c. qui tacet. de reg. iur. in 6. Ideo est mihi imputandum, si per sententiam latam contra illum, à quo ius habeo, & quem passus sum in iudicio experiri, mihi quoque præiudicium generatur. vt in tex. & d. l. sæpe. Sunt etiam alij casus, in quibus res principaliter iudicata contra vnum, secundariò nocet alijs; vt per glos. hic, & glos. in l. 2. C. quib. res iud. non noc. sed tunc est, ex eo, quia ius attendit, quod principaliter agitur, non quod secundariò venit. c. cum voluntate. de sent. excom.

Cap. 26. Duobus.

SI duo ordinarij pronunciant contraria, tenet sententia pro reo.

QVIA iudices ordinarij habent singuli potestatem in solidum, c. prudentiam, & ibi glos. de offic. deleg. & l. vnic. ff. de offic. cons. vnde respectu iurisdictionis, quælibet sententia duorum ordinariorum deberet valere, cum quælibet sit lata ab eo, qui habet solidam, & sufficientem per se iudicandi potestatem. Bart. in l. Pomponius. ff. de re iud. Sed quoniam propter earum contrarietatem; ambæ subsistere non possunt. Authent. de mand. princip. §. neque. coll. 3. vbi enim est vnum de contrarijs, per consequens tollitur reliquum. l. sed si pupillus. §. fin. ff. de instit. & Arist. 2 physic. tex. 15. Et iura sunt promptiora ad absoluendũ, quàm ad condemnandum. c. inter. de fid. instr. melius est enim de misericordia argui, quàm de seueritate. c. alligant. 26. q. 7. Ideo quando duo ordinarij pronunciant contraria, eligitur via fauorabilior, vt teneat pro reo, non autem pro actore, sententia. vt in tex. & l. Arrianus. ff. de act. & oblig.

FAL-

FALLIT in quatuor caſibus hic contentis.

QVIA iſti caſus ſunt ita fauorabiles, vt in dubio ſtandum ſit pro ipſis, vt potius exiſtant, quàm vt pereant. gloſ. hic. ſunt enim matrimonium, libertas, dos, & teſtamentum. vt in tex. Et quoniam ſpecialia derogant generalibus. c. 1. de reſcr. Et magis fauorabile eſt præponderandum minus fauorabili. l. cum quæritur. ff. de fund. inſtruct. Ideo in iſtis caſibus illa ſententia tenet, quæ ad ipſorum fauorem, & conſeruationem tendit, licet illa ſit contra reum, in cuius fauorem alter ordinarius pronunciauerit. vt in tex. & Authent. vt iudic. non expect. & ibi gloſ. coll. 9. Et de fauore matrimonij, habetur in c. ſi quis. 33. q. 1. & in c. continebatur. de deſponſ. impub. De libertate, in c. ex litteris. de probat. & in l. inter pares. ff. de re iudic. De teſtamento, in l. ſi pars. ff. de inoffic. teſtam. De dote, in c. nuper. de dote poſt diu. reſt. & in c. ex literis. de pignor.

ET ſimilibus.

QVIA iſti quatuor caſus ponuntur hic cauſa exempli. Abb. hic. Et quoniam exempla non reſtringunt regulam. c. 1. ne cler. vel mon. & l. ita vulneratus. ff. ad leg. aquil. & vbi eſt eadem ratio, ius idē ſtatui oportet. c. cum dilecta. de confir. vtil. Ideo ſi ſint alij caſus, qui appareant magis fauorabiles, quam vt in dubio ſententia feratur pro reo, erit ſuſtinenda illa ſententia, quæ facit pro ipſis, licet alia contraria prolata à pari iudice ordinario ſit pro reo. vt in tex. & l. 1. C. de condit. indeb.

SI verò delegati diſcordant, delegans eſt adeundus.

QVIA iuriſdictio ſimpliciter delegata pluribus, non eſt in eius exercitio in ſolidum apud ſingulos, ſed apud omnes, qui iudicare iuſſi ſunt, & qui ſimul ſunt loco vnius. c. vno delegatorum. de offic. deleg. & l. duo ex tribus. ff. de re iudic. vnde vnus eorum non poteſt ſine alio valide iudicare. c. cauſam. de offic. deleg. Et quoniam delegati non habent iuriſdictionem iure proprio, ſed iure delegantis. cap. ſanè il 2. de offic. deleg. & l. & quia. ff. de iuriſd. omn. iud. Ideo cum quælibet de iſtis ſententijs deficiat ex defectu poteſtatis, ne negotium remaneat imperfectum, eſt delegans adeundus, vt ſecundum quod ſibi videbitur, alteram, vel nullam de iſtis ſententijs approbet, vel aliter cauſam terminet: & illa, quæ fuerit approbata, ſumet validitatem ex auctoritate delegantis, non ex vi pronunciationis factæ à delegato. vt in tex. & l. duo iudices. ff. de re iudic.

SI arbitri, neutra tenet.

QVIA

QVIA arbitria ſunt redacta ad inſtar iudiciorum.l.1.ff.de arbitr. Et quoniam iudices,qui ſimul iudicare iuſſi ſunt,ſeparatim iudicando,non valide pronunciant. c.prudentiam.de offic.deleg. Ideo ſi duo fuerint ex compromiſſo deputati, & contrarias proferunt ſententias,neutra debet habere vigorem.vt in tex.& c.cum dilectus.de arbitr. Non autem recurritur in hoc caſu ad ſuperiorem, ſicut in præcedenti,quia ex quo partes receſſerunt à prouiſione ſuperioris,& propria auctoritate ſibi prouidere voluerunt, ſuperior de tali laudo non curat,& circa illud ſe non impedit. l.ſi quis arbitratu. ff.de verb.oblig. & Bart.in l.ſi ſocietatem.§.arbitrorum.ff.pro ſocio.

In Sexto. Cap.1. Cum cæteri.

IVDEX, qui contra iuſtitiam, & contra conſcientiam aliquid in iudicio fecerit in grauamen partis, per gratiam, vel per ſordes,condemnandus eſt parti læſæ in æſtimationem litis,& per annum eſt ſuſpenſus; & perpetuò, ſi medio tempore ingerat ſe diuinis,niſi Papa cum ipſo diſpenſet.

IVIA cum æterni tribunal iudicis, illum reum non habeat,quem iniuſtè iudex condemnat. S.Auguſt.in pſalm. 36. teſtante Propheta; Nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.d.pſalm.36. & cum humanum iudicium debeat, in quantum poteſt, ſe conformare diuino. c.alligant.26. q.7. Cauere debent iudices,maximè eccleſiaſtici,& prudenter attendere, vt in cauſarum proceſsibus nil vendicet odium, vel fauor vſurpet: timor exulet,præmium, aut expectatio prẽmij iuſtitiam non euertat.vt in tex.& c.quatuor.11.q.3. Sed ſtateram geſtent in manibus,lances appendant æquo libramine. prouerb. cap.11. vt in omnibus,quæ in cauſis agenda fuerint,præſertim in concipiendis ſententijs, & ferendis,præ oculis habeant ſolum Deum.vt in tex. & l.rem non nouam. C.de iudic. Moyſis imitantes exemplum,qui querelas populi,tabernaculum ingreſſus,ad Dominum referebat,vt ſecundum eius imperium iudicaret. Exod. cap.33. Et quoniam dignum eſt, vt iniquus iudex, qui in tot præſumit offendere Deum, & homines, pœna multiplici caſtigetur. vt in tex. & l. fin. C. de pœn. iud. qui mal. iud. Ideo ſtatuitur, vt ſi quis iudex eccleſiaſticus ordinarius, aut delegatus, famæ ſuæ prodigus, & proprij perſecutor honoris, contra conſcientiam, & contra iuſtitiam, in grauamen partis alterius, in iudicio quicquam fecerit per gratiam, vel per ſordes, ab executione officij per annum ſuſpenſus exiſtat, ad æſtimationem litis parti, quam læſerit, nihilominus condemnandus; Quod ſi, ſuſpenſione durante,

dam-

damnabiliter ingesserit se diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluet secundum canonicas sanctiones, à qua nonnisi per summum Pontificem poterit liberari, saluis alijs constitutionibus, quæ iudicibus male iudicantibus pœnas ingerunt, & infligunt. vt in tex. & c. summopere. 11. q. 3.

Cap. 2. Ad Apostolicæ.

PAPA Imperatorem deponere potest ex causis legitimis.

QVIA Papa tenet in terris vices Iesu Christi, qui ei in beati Petri persona dixit; Quodcunque ligaueris super terram, ligatum erit & in cœlis. Matth. cap. 16. & Pasce oues meas. Ioan. cap. 21. Et quoniam qui omnia dicit, nihil excludit. l. Iulianus. ff. de legat. 3. Ideo siue sit Imperator, siue quiuis alius, de iure diuino debet Papæ subesse, & secundum quod fidei fauor, & magnitudo causæ requirit, si deuiat, potest ab eo puniri. vt in tex. & c. vnam sanctam. de maior. & obed. in extrauag. com. Et præsertim Imperium dependet à Papa, cum ipse illud transtulerit ex Græcis ad Germanos. c. venerabilem. de elect. vnde & Imperator, cum Romæ coronatur, præstat Papæ fidelitatis iuramentum. Clem. vnic. de iureiur.

Cap. 3. Abbate.

QVI petit rem certam, causa expressa, si illam causam non probat, succumbit.

QVIA sententia est ferenda iuxta petitionem libelli. c. licet Hely. de simon. Et iudex debet sententiare secundum legitime allegata, & probata. l. illicitas. ff. de offic. præsid. Et quoniam qui petit rem ex certa causa, totum ius suum ad illam causam restringit. l. solemus. ff. de iudic. & cessante causa, cessat effectus. c. cum cessante. de appellat. Et actore non probante, reus absoluitur. l. qui accusare. C. de edend. Ideo si in libello actionis realis exprimitur causa certa, & specialis, per quam actor dicat sibi rem petitam deberi, oportet causam illam probare, aliter reus est absoluendus à petitione actoris. vt in tex. & l. licet. C. de iudic.

LICET aliam probet.

QVIA non probat hoc esse, quod ab hoc cõtingit abesse. l. non hoc. C. vnde legit. Et quoniam ius actoris restringitur ad causam in libello expressam. d. l. solemnis. Ideo talis actor succumbit, licet postea aliam causam sibi rem debendi probet. vt in tex. & l. 1. ff. de edend.

MAXIME postmodum emergentem.

QVIA

QVIA qui agit ex certa causa, illam, maxime post litem contestatam, mutare non potest, nec aliam allegare, cum super alia contestatio non sit facta. c. quoniam. vt lit. non cont. & l. & an eadem. §. actiones. ff. de except. rei iud. Et quoniam litis contestatio est fundamentum causæ. c. vnic. de lit. contest. Ideo qui petit ex certa causa, non potest obtinere ex causa post litem contestatam emergente. vt in tex. & l. 1. ff. de except. rei iudic. Secus autem est, si quis ageret, vel peteret rem in genere, nullius certæ, vel specialis causæ faciens mentionem; videlicet, quia generaliter proponit aliquem esse sibi obnoxium, vel ad se iure dominij, vel quasi rem aliquam pertinere; vt in tex. & c. 2. & ibi glos. de lib. obl. nam tunc est hoc præcipue iudici inspiciendum, an sufficienter, vel minime, de iure, vel intentione constet actoris, vnde si de hoc ex causa etiam postmodum accidente liqueat, potest, & debet iudex (etiam si appareat minus iustè à principio fore actum) suum exinde animum informare. vt in tex. l. si mater. §. eandem. ff. de except. rei iud. quia etsi petitum fuerit indebitè, non ob hoc tamen minus valuit, & tenuit iudicium subsecutum, nec illius acta, vel gesta propterea minus valida extiterunt; nec etiam iudex ipse, cognita taliter veritate, pronunciare in contrarium posset cum libera conscientia, & secura; nec prodesset etiam multum reo, si tunc fortè in ipsum ex huiusmodi superuenienti causa condemnatio non ferretur, cum mox alio instituto iudicio, foret ex illa meritò condemnandus. vt in tex. & l. si quis. ff. de except. rei iud. Vnde etsi actori suam ex superuenienti causa intentionem sufficiat fundauisse, cum egit aliqua causa specialiter non expressa; secus tamen est, si certam, & specialem in sua petitione subiunxerit, nisi postmodum intentionem suam ex eadem prorsus (quam prius expressit) tunc etiam competenti causa fundarit. vt in tex. & l. fin. C. de annal. except.

Cap. 4. Cum ab vno.

SI ex pluribus iudicibus, vel arbitris, vnus, alijs præsentibus, & mandantibus, per verba pluralis numeri ferat sententiam, tenet sententia.

QVIA tali sententia apparet non esse prolata ab vno ex sua auctoritate tantum, sed ex consensu, & auctoritate etiam aliorum, qui simul iudicare iussi sunt. l. sicuti. ff. de arbitr. & l. 1. C. de error. aduoc. Et quoniam melius explicatur talis prolatio per vnum nomine omnium; quam si omnes simul sententiam pronunciarent. c. sicut. de elect. in 6. Ideo cum ab vno arbitrorum, vel iudicum, alijs præsentibus, & mandantibus, scripta sententia recitatur, habetur perinde, ac si simul esset ab omnibus recitata; ita tamen, vt is, qui recitat, non vtatur verbis singularis numeri, sed pluralis, vt dicat; Nos tales iudices,

ces, vel arbitri, pronunciamus, ſeu ſtatuimus in hunc modum, & c. vt in tex. & l. item ſi vnus. §. 2. & ibi Bart. ff. de recept. arbitr.

ELECTIO autem pronuncianda eſt per verba ſingularia.

QVIA in electione eſt maxime curandum, vt actus ille, qui eſt vniuerſitatis, non videatur eſſe ſingulorum, ne tot cenſeantur eſſe electiones, quot ſunt numero eligentes. c. in geneſi. ext. de elect. Et quoniam euidentius cenſetur vnica, & communis electio, ſi vnus de ipſa vniuerſitate deputatus ab alijs, illam proferat in ſingulari, dicendo; Ego eligo te nomine totius capituli, quam ſi diceret, ego, & alij de capitulo te eligimus. d. c. ſicut. de elect. in 6. Ideo quando vnus profert electionem factam de aliquo, nomine vniuerſitatis, ſiue procedatur per compromiſſum, ſiue per ſcrutinium, electionis pronunciatio per verba ſingularis numeri eſt facienda. vt in tex. & c. quia propter. ex. de elect.

Cap. 5. Et ſi ſententia.

SENTENTIA diffinitiua, poſtquam ſcripta fuerit, debet à iudice, non ab alio, de ſcripti recitatione proferri.

QVIA per ſententiam diffinitiuam imponitur finis quæſtioni. l. 1. ff. de re iudic. & c. ei, qui. §. diffinitiua. 2. q. 6. & poſt eius prolationem, iudex illam corrigere, vel mutare non poteſt. l. 2. C. de ſent. ex breuic. recit. ſiue bene enim, ſiue male pronunciauerit, functus eſt officio ſuo. c. in literis. ex. de offic. deleg. vnde deſinit eſſe iudex. l. iudex. ff. de re iudic. Et quoniam ſi à iudice illa non proferretur ex ſcripti recitatione, poſſet ſæpe contingere, vt ſententiæ tenor immutaretur, & veritas propalata, & in iudicio definita occultaretur; & per conſequens ille, qui fuit victor, ridiculosè, & fruſtra in iudicio elaboraſſet. Clement. ſæpe, & ibi gloſ. ver. in ſcriptis, de verb. ſign. Ideo ad euitandum huiuſmodi fraudes, & pericula, debet ſententia diffinitiua, poſtquam ſcripta fuerit, ab ipſo iudice de ſcripti recitatione proferri; aliàs nec nomen ſententiæ meretur habere, nec ab ea eſt appellare neceſſe. vt in tex. & l. ſtatutis. C. de ſent. ex breuic. recit. Interlocutoria autem, in qua non vertitur tantum præiudicium, cum ipſa non feratur ſuper principali, ſed ſuper incidentibus, & emergentibus inter principium cauſæ, & finem, puta ſuper libello admittendo, vel corrigendo, ſuper dilatione danda, vel neganda, & ſimilibus exceptionibus. c. ſignificantibus. ext. de offic. deleg. non eſt neceſſe, quod ex ſcripti recitatione proferatur; ſed ſufficit, vt, poſtquam iudex eſt interlocutus, illam tabellio, vel duo teſtes redigant in ſcriptis; aliàs circa eius continentiam iudici non crederetur. c. quoniam. ext. de probat.

EPISCOPVS tamen poteſt eam per alium recitare.

QVIA

QVIA recitare ſententiam per alium, eſt maior grauitas iudicantis. l.hac lege.C.de ſent. ex breuic. recit. Et quoniam Pontificali dignitate præditis, ob reuerentiam ſacri officij, quod exercent, plurimum deferri conuenit, & eos plus alijs honorari decet. c.2. ſup.de offic. deleg. Ideo conceditur epiſcopo, vt ſententiam diffinitiuam in ſcriptis redactam, poſſit per alium recitare: quod & alijs illuſtribus perſonis indulgetur. vt in tex.& d.l.hac lege.

ET debet ſedendo à iudice proferri.

QVIA dignitas iudicantis, & maturitas ſententiæ, in iudice ſedente magis comprobatur. S.Hieronym.ſuper Daniel. cap. 8. Et quoniam iudices debent & officij retinere dignitatem, & ſententias cum matura deliberatione proferre. Authent. vt ab illuſtr. §. ſancimus. coll.5. Ideo ſententia diffinitiua, quam à iudice, ſtando, non ſedendo, proferri contingit, nullius penitus eſt momenti. vt in tex. & l.2.§.dies.ff.quis ord.in bon. poſſ.ſeru. In cauſis tamen, in quibus proceditur ſimpliciter, & de plano, tenet ſententia, etiam ſi non ſedendo feratur.d.Clem.ſæpe.Sicut in cauſis breuibus non eſt neceſſe, quod feratur in ſcriptis.l.fin.C.de ſent.ex breuic. recit.

In Clement. Cap. 1. Vt calumnijs.

QVI tres ſententias contrarias in quauis cauſa reportauit, de illarum nullitate non agit, nec excipit, ipſarum executione non facta.

QVIA qui contra ſe habet tres ſententias, præſumitur poſtea velle litigare, non ad cauſæ ſuæ iuſtitiam tuendam, quam iam cenſetur non habere, ſed ad litem calumniosè protrahendam in refugium ſuæ iniquitatis,& in detrimẽtum aduerſarij.c.ſua.ext.de appell. & l.vnic. C.ne lic.in vna,ead.cauſ.ter.prou.Et hanc præſumptionem non excludit iuramentum præſtitum de calũnia,quia iſta præſumptio contraria ſubſequens eſt maior,quàm illa præcedens,quæ erat pro iurante.Anchar.hìc. Et quoniam calumnioſi litigantes, qui non poſſunt tertiò appellare, vt litem protraherent in infinitum,ſæpe dicerent ſententias nullas, vt earum executionem impedirent,& ſic obtinerent per viam nullitatis, quod non poſſent per viam appellationis. vt in tex.& ſup.c.1.Ideo vt calumnijs litigantium occurratur, is, qui in beneficiali, vel alia quauis cauſa, tres contra ſe in petitorio, vel poſſeſſorio, ſententias reportauit, ad agendum de nullitate ipſarum, vel alicuius ex eis,

ex eis, nullatenus eſt admittendus, donec huiuſmodi ſententiæ plenariè fuerint executioni mandatæ; Et ſimiliter ſi ille, contra quem tres ſententiæ diffinitiuæ latæ fuerint, ab interlocutoria, vel grauamine ante prolationem ipſarum, vel earum alicuius, ſe appellaſſe,& cauſam appellationis huiuſmodi adhuc pendere proponit, ſententiarum prædictarum executionem tali prætextu non poteſt impedire. vt in tex.& Oldrad.conſil.106. incip. quòd litera. Sed quia poſſet eſſe, quod talis ſit per aliquam ſententiam nullam condemnatus, & quod veniat abſoluendus. l.quod debetur. ff.de pecul. Ideo non impeditur ei, quin poſſit poſt factam executionem, obijcere, & probare nullitatem: qua probata, ſententia illa pronunciabitur nulla, & executio reuocabitur. Authent. quæ ſupplicatio. C.de precib.imper.offer.& glo.hic. ver.donec. Intra quantum tempus autem poſſit opponi de nullitate; Dic, quod ſi eſt cauſa, in qua vertitur animæ periculum, poteſt perpetuò de nullitate agi. c.loci.35.q.9. Et ſimiliter in cauſis, in quibus non cadit præſcriptio. c.quoniam. ext.de præſcript.& c.quod Deo.33.q.5. In alijs autem ſententijs poteſt agi vſque ad 30. vel 40.annos, & non vltra. c.penult.§.quas. 16.q.3. quia hoc tempus tollit omnem actionem. c. vigilanti. ext.de præſcript. Et ſine actione nemo experitur. l. ſi pupilli. §. fin.ff.de negot. geſt. Et hoc quo ad agendum; nam per viam exceptionis, poteſt perpetuò excipi de nullitate ſententiæ, quia omnes exceptiones ſunt perpetuæ. l. purè. §. fin. ff.de dol.except. præter exceptionem non numeratæ pecuniæ. Inſtit.de liter. oblig. §. vnic. & exceptionem non numeratæ dotis. l.in dotibus. C.de dot. caut.non num.

ET reſpicit etiam pendentia.

QVIA licet ante conſtitutionem quis non ſit in culpa per eius contrauentionem, & regulariter non debeat pati detrimentum in actibus geſtis ante illam. c.cognoſcentes.ext.de conſtit. Tamen quoniam propter bonum publicum, & vbi fraus eſt nimium præſumpta, & præſertim ſi eſt contra ius naturale, Princeps poteſt extendere conſtitutionem etiam ad actus geſtos ante illam. c.fin. de conſtit.& c. cum tu.de vſur. Ideo ad cauſas qualitercunque tunc pendentes fuit ad commune bonum hæc conſtitutio extenſa. vt in tex. & ſimile in Clem. diſpendioſum. de iudic.

Cap. 2. Paſtoralis.

SENTENTIA lata contra citatum extra citantis territorium exiſtentem, nulla eſt ipſo iure.

QVIA vbi ceſſat vera, vel ficta contumacia, ibi contra abſentem non poteſt ferri ſententia. l. ea, quæ. C. quomod. & quand. iud. Et quoniam extra territorium, iudex aliquem citare non poteſt. c.fin. de conſtit.in 6. Et paria ſunt non eſſe, & non legitimè eſſe. l.quoties.ff.

qui

qui ſatiſd.cog. Ideo ſententia lata contra talem non legitimè citatum, non tenet, & non meretur dici ſententia. vt in tex. & l.de vnoquoque. ff.de re iudic. Qualiter autem ſit procedendum contra exiſtentem extra territorium. Diſtingue, quod aut loquimur de iudice generali, vt domicilij, vel originis, & tunc, aut ſubditus latitat, aut non; primo modo citatio arctat eum, vt ſi intra territorium latitaret. Innoc.in c. 1. de raptor. Secundo caſu tenet citatio, vt afficiat bona, dummodo fiat ad domum, vel eccleſiam. c. ex tuæ.de cler. non reſid. non autem perſonam.d. c.fin. de conſtit. in 6. Aut de iudice ſingulari, vel rei, de qua eſt quæſtio, vel contractus, vel delicti; primo caſu citatio non tenet, vt arctet perſonaliter citatum, ſed bene, vt cõtra eum procedatur ſuper re illa. c.quoniam. §.in alijs. vt lit. non cont. & c. prout. de dol. & cont. Secundo caſu etiam non tenet, niſi in hoc, quod procedatur ſecundum formam.c.Romana.§.contrahentes. de for. comp. in 6. Tertio caſu diſtingue, aut crimen eſt graue, & etiam citatio citatum non arctat, ſed habet locum remiſſio. Authent. vt nulli iudic.§.ſi verò quis. coll 9. Aut eſt leue, & etiam nec tenet citatio, nec habet locum remiſſio, ſed fiet citatio per iudicem, vbi talis moratur ad requiſitionem iudicis delicti, & arctabitur perſonaliter, ita quod ſententia in eum poſtea lata teneat.c.1.de priuil. in 6.& Rota deciſ. 15.de iudic.in nouis.

Liber Secundus. Titulus XXVIII.

DE APPELLATIONIBVS, recuſationibus, & relationibus.

In Decretal. Cap.1. Dilecti.

COLLATIO beneficij facta poſt appellationem ex probabili, & veriſimili cauſa interpoſita, eſt ipſo iure nulla.

QVIA appellatio legitimè interpoſita ſuſpendit iuriſdictionem iudicis à quo, & cauſam deuoluit ad ſuperiorem iudicem ad quem. c.ſi à iudice. infr. in 6. Et quoniam ea, quæ fiunt à iudice, ſi ad eius non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt. c.ea, quæ. de reg.iur. in 6. Ideo collatio beneficij facta poſt legitimam appellationem, non eſt valida. vt in tex.& infr. c.bonæ.

Cap.

Cap. 2. Inter cætera.

APPELLATIO generalis reſpectu cauſæ non valet.

QVIA appellatio eſt adinuenta ad remouendum grauamen, quod à iudice malitiosè, vel ignoranter infertur. infr. c. ſuggeſtum, & l. 1. ff. eod. Et quoniam reſpectu cuiuſlibet cauſæ tentandæ in futurum, non poteſt prætendi grauamen de præſenti. infr. c. conſuluit, il 2. Ideo generalis appellatio non reſtricta ad certam cauſam, reprobatur. vt in tex. & infr. c. vt debitus.

Cap. 3. Ad noſtram.

A correctione legitima non appellatur.

QVIA remedium appellationis non eſt inuentum, vt alicui à religionis, & ordinis obſeruantia exorbitanti, debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere. vt in tex. & l. præfecti. ff. de minor. Et quoniam debemus vti rebus eo modo, ad quem ſunt inſtitutæ. c. is autem. 22. q. 2. Et non eſt alicui danda occaſio delinquendi. Matth. cap. 18. & rei criminum plerumque ad euitandas pœnas, & ſuperiorum ſubterfugienda iudicia: querelas, & grauamina ſimulant, vt appellationis diffugio iudicis proceſſum impediant. infr. c. eum ſpeciali. §. porrò. Ideo ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto, ad iniquitatis defenſionem homines abutantur, appellatio à legitima correctione non eſt admittenda. vt in tex. & Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 1.

NISI modus excedatur.

QVIA appellatio debet eſſe remedium oppreſſi contra iudicē grauantem. l. 1. ff. eod. Et quoniam qui nimis emungit, elicit ſanguinem. Prouerb. cap. 30. Et qui corrigit vltra modum, in eo, quod eſt vltra, grauat ſubditum. inf. c. reprehenſibilis. Ideo à ſuperiore excedente modum in corrigendo poteſt appellari. vt in tex. & infr. c. de priore.

Cap. 4. Perſonas.

SI appellans intra terminum à iudice, à quo appellauit, vel à ſe ipſo, ſtatutum, appellationem non proſequitur, ſententiæ, vel iudicio illius ſtare compellitur.

QVIA terminus iſte hominis ſuccedit loco termini iuris, qui regulariter ad appellationem proſequendam eſt vnius anni, & ex cauſa biennij. infr. c. quod ad conſultationem. Et quoniam qui non proſequitur appellationē intra debitū tempus, cenſetur non appellaſſe. & ſententiæ contra eū latæ tenetur parere. l. fin. §. illud. C. de temp. appell. Ideo ſimiliter compellitur ſtare ſententiæ, ſi appellationē ab illa interpoſitam, non eſt proſecutus intra terminum à iudice ſtatutum, vel à ſe aſſumptum ad ipſam proſequendam. vt in tex. & infr. c. oblatæ.

Cap. 5. Cum ſit.

APPELLANS ad proſequendum habet annum.

QVIA multi appellant non ad effectum, vt à grauamine, quod ſimulant ſibi eſſe à iudice illatum, releuentur, ſed vt iudicis proceſſum, & ſententiæ executionem ſuſpendant. infr. c. cum ſpeciali. Et quoniam fraudibus eſt obuiandum. c. plerumque. de reſcript. Et lites ſunt amputandæ. l. properandum. C. de iudic. Ideo ſi ante ſententiam, vel poſtea fuerit appellatum, ipſi appellanti præfigitur regulariter à iure terminus vnius anni, intra quem debeat proſequi appellationem, vt ſic nec eis refugium impediatur, nec lites in infinitum protrahantur. vt in tex. & Authent. ei, qui. C. de temp. appell.

ET ex cauſa biennium.

QVIA poteſt facilè contingere, quod intra annum quis non proſequatur appellationem, non ex ſuo defectu, ſed vel quod per iudicem ſteterit, vel quod ob aliam inexorabilem cauſam ſubſecutam fuerit legitimè impeditus. l. fin. §. illud. C. d. tit. de temp. appell. Et quoniam rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. c. 2. de conſtit. Ideo ſi intra annum quis non fuerit appellationem proſecutus, ex neceſſaria, & euidenti cauſa, ei aliud annale tempus indulgetur. vt in tex. & d. Authent. ei, qui.

NISI iudex moderetur.

QVIA iudex poteſt ex cauſa mutare omnem dilationem datam à lege, ſiue arctando, ſiue prorogando, prout cauſæ qualitas, & quantitas, vel perſonarum obſequium, aut contumacia, viderit expedire. l. 2. ff. de re iudic. Et quoniam ſæpe interponitur appellatio, & poſtea fraudulenter omittitur eius proſecutio. infr. cap. cum ſpeciali. Et hoc poteſt melius iudicis officio diſcerni, quàm aliqua locutione exprimi. l. ratum. ff. de ſolut. Ideo licet regulariter induciæ, quæ dantur à lege ſint ſeruandæ. c. indultum. de reg. iur. in 6. Ex cauſa tamen poteſt iudex illas mutare, & terminus ab eo aſſignatus operatur eundem effectum, quem operabatur ille, qui competebat à lege. vt in tex. & infr. cap. conſuluit, il 1. Et ad hoc vide Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 10.

ET ſi intra id tempus non proſequitur, rata manet ſententia.

QVIA lapſus huius temporis operatur, vt ille, qui non eſt intra ipſum appellationem proſecutus, cenſeatur non appellaſſe. d. §. illud. Et quoniam qui intra decendium non appellat, ſententiæ latæ parere tenetur. c. quod ad conſultationem. ſup. tit. prox. & l. ingenuum.

genuum. ff. de ſtat.hom. Ideo ſi is, qui appellauit, cauſam appellationis non fuerit intra debitum tempus proſecutus, ſententia lata tenet, ſi poſt ſententiam appellauit, & à cauſa ſua cecidiſſe videtur, nec vltra ſuper eodem negotio auditur. vt in tex. & d. Authent. ei qui. non enim amplius præſumitur, quod prouenerit difficultas à iudice, quem poterat apud ſuperiorem querelare, ſi per tot tempus litem non expediebat, nec ex alio impedimento, per quod poterat apud Principem ſupplicare, ſed cenſetur ex proprio defectu malitiosè protraxiſſe. d. §. illud.

VEL redit ad primum, ſi ante ſententiam appellauit.

QVIA vbi cœptum eſt iudicium, ibi & finem accipere debet. l. vbi acceptum. ff. de iudic. Et quoniam talis fingitur non appellaſſe. d. §. illud. Ideo qui ante ſententiam appellauit, & intra debitum tempus non eſt appellationem proſecutus, debet ſtare iudicio iudicis à quo, ac ſi ab eo non appellaſſet. vt in tex. & ſup. c. prox.

§. Præterea.

QVI de crimine impetitur, appellare poteſt.

QVIA appellatio eſt adinuenta ad remouendum grauamen, quod per iniquitatem, vel imperitiam iudicantium alicui infertur. inf. c. cum ſpeciali, & l. 1. ff. eod. Et quoniam per iudicem non ſolùm poteſt inferri grauamen in cauſa ciuili, ſed etiam in criminali, in qua forſan condemnaret abſoluendum, vel grauiorem pœnam imponeret, quàm eſſet infligenda. cap. qualiter. de accuſat. & l. à proconſulibus. C. de appell. Et in criminali vertitur maius periculum, quàm in ciuili, cum in illa agatur ad publicam pœnam, in hac ad intereſſe partis; in illa tractatur de corpore, & vita hominis, in hac de externis fortunæ bonis. l. ſciant. C. de probat. Et vbi maius periculum vertitur, cautius eſt agendum. c. vbi. de elect. in 6. Ideo qui de crimine conuenitur, ſi grauatur, debet per appellationis præſidium ſubleuari. vt in tex. & l. non tantum. ff. eod.

NISI ſit notorium.

QVIA in notorijs reus non opprimitur, cum ſua culpa oculis omnium ſponte ſe ingerat, & clare appareat. c. quæ Lotharius. 2. q. 1. Et quoniam appellationis remedium non eſt ad defenſionem iniquitatis inſtitutum. infr. c. ſuggeſtum. Ideo notoriè criminoſus, vt ſi eſt conuictus, & ſponte confeſſus, appellans non auditur. vt in tex. & l. 2. C. quor. appell. non recip. Et ad hoc vide Concil. Trid. ſeſſ. 24 cap. 10. Quando autem dicatur aliquid eſſe notorium, not. in c. cum olim. de verb. ſign. & in c. manifeſta. 2. q. 1.

Cap. 6. Ad hæc.

CORAM iudice, à quo appellaui in vna cauſa, poſſum in alia conueniri.

QVIA immediata cauſa appellationis eſt grauamen. infr. c. ſuggeſtum. Et quoniam qui grauatur in vna cauſa, non per hoc grauatur in alia. infr. c paſtoralis. & l. Papinianus. ff. de minor. & ceſſante cauſa ceſſat effectus. infr. c. cum ceſſante. Ideo appellatio ſuſpendit iuriſdictionem iudicis in ea cauſa, in qua eſt appellatum, non autem in alia, in qua non grauauit, & quæ ab illa eſt ſeparata. vt in tex. & l. vnic. ff. apud eum, à quo appell.

NISI eum recuſem vt ſuſpectum.

QVIA ſuſpicio non fundatur ſuper grauamine, ſed ſuper iniquo iudicis animo. c. cum ſuper. de offic. deleg. Et quoniam qui declarauit ſe fouere malum animum contra aliquem in caſu, quo eum grauauit, præſumitur, quod etiam in ſimilibus erit talis, niſi appareat mutatus. c. ſcribam. de præſumpt. Et quodammodo naturale eſt ſuſpectorũ iudicum inſidias declinare, & inimicorum iudicium velle refugere. c. quod ſuſpecti. 3. q. 5. Ideo iudex, qui in vna cauſa grauauit, poteſt in alia vt ſuſpectus recuſari, licet non poſſit per viam appellationis in illa ab eo recedi. vt in tex. & infr. c. propoſuit. Debet tamen prius probari grauamen, quàm eius ſuſpicio legitima iudicetur. Io. And. hic.

Cap. 7. Si duobus.

SI à iudice inferiori vnus appellat ad Papam, alius ad inferiorem, tenetur appellans ad Papam comparere ad citationem iudicis inferioris, ſaltem allegaturus appellationem ſuam.

QVIA ex quacunque cauſa quis vocatur in ius ab eo, qui iuriſdictioni præeſt, etiam ſi dubium ſit, an ſit de ſua iuriſdictione, debet comparere, vt per allegationem ſui iuris appareat, an ab eo ſit exemptus: alias erit de ſua contumacia puniendus, niſi pro ſimplicitate excuſetur. l. 2. ff. ſi quis in ius voc. non ier. Et quoniam appellatio, quæ fit ad proximum ſuperiorem, ei defert iuriſdictionem. infr. c. vt debitus, licet illa ſit elidibilis, ſi alter appellauit ad Papã. c. per tuas. de maior. & obed. Ideo ſi talis non comparet ad allegãdam appellationem ſuam interpoſitam ad Papam, poterit pro iſta ſua contumacia ab ipſo iudice puniri, & ſi illa erit grauis, excommunicari. vt in tex. & infr. c. cum parati.

ALIAS valebit proceſſus à minori.

QVIA in tali appellatione tam Papa, quàm iſte iudex proximè ſuperior habet competentem iuriſdictionem. Innocen. hìc. Et quo-

quoniam poteſt eſſe, quod ille, qui appellauit ad Papam voluerit ſuæ appellationi renunciare. Abb. hic. Ideo ex quo iſte eſt citatus, & non excipit, & Papa ad ſe cauſam non aduocat, & ipſe iudex ignorat ad Papam eſſe appellatum, ipſe in cauſa valide procedit, vt in tex. & l. ſi forte. ff. de offic. præſid.

NISI ſciuerit appellationem interiectam ad Papam.

QVIA qui aliquid ſcit, de eo amplius certiorari non oportet. l. 1. in fin. ff. de act. empt. & vend. Et vbi certum eſt, quod quis non eſt de iuriſdictione alicuius, ad eius citationem ille comparere non tenetur. l. fin. ff. de iuriſd. omn. iud. Et quoniam ne continentia cauſæ diuidatur, vnica debet præualere appellatio. l. nulli. C. de iudic. Et propter dignitatis excellentiam eſt præponenda illa, quæ fit ad Papam. c. cum in diſtribuendis. de temp. ordin. Ideo ex quo talis iudex ſcit ſe iuriſdictionem in huiuſmodi appellatione non habere, non valet eius proceſſus, nec ſuper ipſa cauſa principali, nec ſuper non comparentis contumacia. vt in tex. & l. ſi prætor. §. fin. ff. de iudic.

§. Denique.

A ciuili iudice, qui non eſt de temporali iuriſdictione eccleſiæ, non appellatur ad Papam.

QVIA licet in poteſtate Papæ ſit vterque gladius, ſpiritualis, ſcilicet, & materialis, per quos deſignatur eius auctoritas, non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus ſuper omnes. c. vnam ſanctam. de maior. & obed. in extrauag. com. & cap. ſolitæ. ſup. eod. tit. Tamen quoniam Papa non exercet actu vbique iuriſdictionem temporalem, niſi in cauſis concernentibus fidei fauorem, vel deficiente ſuperiore. c. nouit. de iudic. & c. ad apoſtolicæ. de re iudic. in 6. & regulariter non intendit aliorum Principum iuriſdictioni in aliquo detrahere. c. cauſam. qui fil. ſint leg. Ideo in terris eccleſiæ, in quibus ipſe exercet actualem iuriſdictionem etiam in temporalibus, appellatur ad Papam; in alijs autem, & ſi de conſuetudine eccleſiæ teneat talis appellatio, ſecundum tamen iuris rigorem regulariter à laicis ad eum non appellatur. vt in tex. & c. lator. qui fil. ſint leg.

Cap. 8. Ex ratione.

LAPSVS biennij non præiudicat appellanti, quominus ex cauſa legitima audiatur.

QVIA imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum. c. imputari. de reg. iur. in 6. Et quoniam ſæpe contingit, vt in cauſis ſuperſedeatur propter compromiſſum, quod in aliquem faciunt partes, vel propter aliam cauſam, de expreſſo ipſarum partium conſenſu. infr. Clement. quandiù. vel ex

eo quod lis sit in consistorio Principis, & ipse propter alia impedimenta, illam non determinat. Authent. sed & lis. C. de tempor. appell. Ideo in his casibus appellans ipso iure conseruatur illæsus, vt ei lapsus biennij non præiudicet, quin postea debeat in causa audiri. vt in tex. & infr. c. ex insinuatione.

SALTEM per beneficium restitutionis in integrum.

QVIA restitutio in integrum fundatur super æquitate, vt quandocunque æquitas requirit, illa à Principe concedatur. c. ex literis. de in integr. restit. Et quoniam rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. c. 2. de constit. Ideo licet regulariter per lapsum biennij, appellatio sit censenda deserta. l. fin. §. illud. C. de temp. appell. tamen si æquitas appareat, propter quam appellãs debeat etiam postea audiri, poterit ei in integrum restitutio concedi. vt in tex. & c. anteriorum, & ibi glos. ver. vitium. 2. q. 6. Quæ restitutio fiet ad tantum tempus, quantum fuit illud, in quo iste appellans ex legitima causa non est appellationem prosecutus. Clement. vnic. de in integr. restit.

Cap. 9. Meminimus.

SI reus post citationem, vel notitiam literarum, iuit ad curiam, delegatus in causa procedet.

QVIA qui se absentat, postquam fuit citatus, vel scit causam alicui commissam, videtur malitiose euitare iudicium, & de iustitia suæ causæ censetur diffisus. infr. c. suggestum. Et quoniam malitijs non est indulgendum. c. plerumque. de rescript. Et vbi cœptum est semel iudicium, & ibi finem accipere debet. l. vbi acceptum. ff. de iudic. Ideo per huiusmodi itineris arreptionem iste non excusatur, quin coram iudice priùs delegato comparere, & causam prosequi teneatur. vt in tex. & infr. c. vt debitus.

ALIAS non.

QVIA si iste non fuit priùs citatus, nec habuit notitiam de causa alicui commissa, censetur arripuisse iter ad curiam, non ad iudicium euitandum, sed ad superiorem pro exhibitione iustitiæ adeundum. infr. c. dilecti. & 2. q. 6. c. ad Romanam. Et quoniam itinerans ex iusta causa ad Papam, est sub protectione sedis apostolicæ, vt interim contra eum in partibus non procedatur. cap. vnic. infr. tit. prox. Ideo si ante citationem, vel notitiam, quod causa sit commissa, quis ad curiam iter arripuerit, non est in partibus contra eum à iudice aliquatenus procedendum. vt in tex. & infr. c. vt nostrum.

Cap.

Cap. 10. Super eo, il 1.

SVPERSEDETVR propter articulum, in quo eſt appellatum, etiam ſuper principali cauſa, ſi ſine illo articulo expediri non poteſt.

QVIA ſi iudex ad quem, cognoſceret ſuper articulo, de quo appellatur, & iudex à quo, eodem tempore cognoſceret ſuper cauſa principali, cui articulus ille eſt connexus, continentia cauſæ diuideretur, & partes in diuerſis iudicijs, maioribus laboribus, & expenſis fatigarentur. c.1.de cauſ.poſſ.& propr. & c. diſpendia. de reſcript.in 6. Et quoniam continentia cauſæ diuidi non debet. l. nulli.C. de iudic. Et litium vexationes ſunt amputandæ. c.finem.de dol.& cont. Ideo ſi legitimè ſuper vno articulo appellatur, & cauſa principalis ſine illo terminari non poteſt, iudex à quo debet ſuperſedere in vtroque.vt in tex.& l.1.ff.de quib.reb.ad eund.iud.eat.

§. Si autem.

NON obſtante appellatione, ex falſa cauſa, interpoſita, poteſt iudex ad vlteriora procedere.

QVIA talis appellatio cenſetur fraudulenter interpoſita. l. ſi veteris. C.de fid.inſtr. Et quoniam appellatio non debet eſſe præſidium iniquitatis. infr.c.cum ſpeciali. Ideo ſi quis ex falſi ſuggeſtione in appellationem prorupit, non eſt ſententia ſuper hoc differenda. vt in tex. & infr. c.vt debitus.

Cap. 11. De appellationibus.

ETIAM pro minoribus, ſeu leuioribus cauſis, appellari poteſt.

QVIA non eſt quantitas cauſæ, quæ faciat, vt ſit introducta appellatio, ſed grauamen à iudice malitioſe, vel ignoranter illatum. l. 1. ff. eod. Et quoniam grauamen ita poteſt inferri in cauſis magnis, ſicut in paruis. gloſ.hic, ſicut furtum committitur etiam in rebus paruis.c.fur.14.q.6. Ideo appellationibus, pro cauſis minimis, interpoſitis, non minus, quàm ſi pro maioribus fierent, eſt deferendum. vt in tex.& infr.c.ſuggeſtum.

Cap. 12. Super eo, il 2.

SECVNDVM canones appellatur etiam ante ſententiam.

QVIA ius canonicum principaliter intendit præcidere peccata, & dirigere homines in Deum. ſup.in prœm. Decretal. & magis attendit æquitatem, quàm rigorem. gloſ.in l.1.ff.à quib.appell.non lic. Et quoniam facilius prouidetur aduerſus iudicis iniquitatem, & æquius quælibet pars illæſa ſeruatur, ſi à quolibet grauamine admittitur appellatio, quàm ſi tantùm à diffinitiua appelletur. infr.c.vt debitus. Ideo

ſacri canones, ante, & poſt litis conteſtationem, & in prolatione ſententiæ, & poſt, ſingulis facultatem tribuũt appellandi. vt in tex. & ſup. c. cum ſit.

SECVNDVM leges non.

QVIA ius ciuile principaliter intendit publicum reipublicæ bonum. Inſtitut. in proœm. Et vt lites citò expediantur. l. properandum. C. de iudic. Et quoniam per longas lites laboribus, & expenſis litigantes ſæpe grauantur. c. finem. de dol. & cont. Et non admittendo appellationem, niſi à diffinitiua, lites citius expediuntur. l. fin. C. de ſent. & interl. omn. iud. Ideo leges ſæculares appellationem ante ſententiam regulariter non admittunt. vt in tex. & l. ante. C. quor. appell. non recip.

NISI in quibuſdam caſibus.

QVIA ſunt aliqui caſus, in quibus, ſi ab interlocutoria non poſſet appellari, grauamen per illam illatum, eſſet poſtea irreuocabile. c. ſignificantibus. de offic. deleg. & Authent. habita, & ibi gl. C. ne fil. pro patr. puta, ſi iudex decreuerit, aliquem eſſe torquendũ, vel ſi poſt grauamen non expectatur diffinitiua, puta, ſi quis pronunciauerit, ſe non eſſe iudicem. l. 2. ff. de appell. recip. Et quoniam nulla lex debet permittere, vt quis in iudicio iniuſtè opprimatur. c. erit autem. diſt. 4. ne inde naſcantur iniuriæ, vnde ius debet oriri: l. meminerint. C. vnde vi. Ideo licet regulariter de iure ciuili, ante ſententiam diffinitiuam non appelletur. l. apertiſſimi. C. de iudic. in ijs caſibus tamen, in quibus per interlocutoriam præiudicium irreparabile generaretur, etiam de iure ciuili appellatio admittitur. vt in tex. & l. intra vtile. ff. de minor.

APPELLATIO, & recuſatio æquiparantur in hoc, quod ſicut in appellatione requiritur cauſa rationabilis, ita & in recuſatione.

QVIA ſicut naturale eſt, per appellationem iudicis grauamen euitare. infr. c. ſuggeſtum. ita & per recuſationem, ſuſpectorum iudicum inſidias declinare. c. quod ſuſpecti. 3. q. 5. Et ſicut appellatio non debet eſſe præſidium iniquitatis. infr. c. cum ſpeciali. ita & recuſatio non debet eſſe impedimentum iuſtitiæ adminiſtrandæ. inf. c. nouit. Et quoniam vbi eadem eſt ratio, ius idem conſtitui oportet. l. illud. ff. ad leg. aquil. Ideo ſicut appellatio, cauſa probabili non expreſſa, ante ſententiam non admittitur. infr. c. vt debitus. ita nec recuſationis exceptio eſt ſine expreſſa eius probabili cauſa, admittenda. vt in tex. & c. ſuſpicionis. de offic. deleg.

TEM-

TEMPVS assignatum iudici ad causam decidendam, incipit currere à tempore præsentationis rescripti.

QVIA ante præsentationem rescripti iudex non habet iurisdictionem in actu, sed in habitu. c. pastoralis. §. quoniam. de rescrip. Et quoniam frustra videretur esse appositum tempus in rescripto ad causam decidendam, si illud curreret, antequam iudex ipsam decidere posset. c. præterea. de offic. deleg. & l. aliquando. C. ad sen. conf. Velleian. Ideo si intra certum tempus lis decidenda comittitur, ex tunc tempus incipit currere, cum iudices contigerit literas recepisse: vt in tex. & c. plerunque. de rescript. Vnde vt cautius agatur, quando in rescripto est appositum tale tempus, debet fieri adnotatio authentica de præsentatione illius, vt sic appareat, quanto tempore durat iurisdictio; & præsentans debet aduertere, ne illud præsentet, quando iudex est legitimè impeditus propter absentiam rei, vel propter aliam iustam causam, ne tempus inutiliter labatur. Ioan. And. hic.

Cap. 13. Peruenit, il 1.

CONVENTVS super iniuria clerici, vel super adulterio, appellare potest.

QVIA appellatio fuit instituta, vt sit præsidium litigantibus, ad grauamen, à iudice illatum, remouendum. infr. c. suggestum. Et quoniam qui pro aliquo delicto conuenitur, posset à iudice grauari, tum declarando eum delinquentem, qui forsan innocens existit. c. qualiter. de accusat. tum imponendo pœnam maiorem, quam debeatur delicto. infr. c. reprehensibilis. Ideo pro crimine conuentus, appellationis remedio regulariter carere non debet. vt in tex. & sup. c. cum sit.

NISI sit notorius.

QVIA notorius delinquens, si pro illo crimine puniatur, & modus in pœna non excedatur, non potest prætendere grauamen, cum oculis omnium sua culpa pateat manifesta. infr. c. prox. & c. quæ Lotharius. 2. q. 1. Et quoniam appellationis remedium ad iniquitatis defensionem non est trahendum. infr. c. cum speciali. Ideo notorius, & publicus delinquens non potest per appellationem, criminis pœnam euitare. vt in tex. & sup. c. ad nostram.

Cap. 14. Consuluit, il 1.

NON est de facili procedendum super aliquo, tanquam notorio.

QVIA multa dicuntur notoria, quæ non sunt. vt in tex. Notorium enim non facilè comprehenditur corporis sensu, sed boni intellectus discursu; adeo, quod etiam periti titubant, quando factum sit notorium censendum; & sæpe de notorio loquimur, & quid sit notorium

igno-

ignoramus. c. manifesta, & ibi glos. 2. q. 1. Dicitur tamen notorium tribus modis, scilicet, per confessionem in iure factam; per sententiam, à qua non est appellatum: & per rei euidentiam. glos. in c. fin. de temp. ordin. Et quoniam si illud, quod non est notorium, esse notorium censeretur, sæpe quis iniustè puniretur, & indebitè infamaretur. sup. c. prox. & l. 2. C. quor. appell. non recip. cum iuris ordo in notorijs necessario non sit seruandus. c. ad nostram, il. 2. de iureiur. & cum illud pro vero accipiatur. c. de manifesta. Absens. 2. q. 1. Ideo ne quis grauetur, iudex debet prouidere, vt quod dubium est, pro notorio non habeatur, vt in tex. & c. ex parte, il. 1. de verb. sign.

IVDEX debet cogere appellantem, vt vel intra tempus conueniens appellationem interpositam prosequatur, vel iudicio suo, illa remota, pareat.

QVIA sicut prouidendum est, ne sub appellationis diffugio quis euitet indebitè iudicium, à quo recessit; & ne aliud eludat, ad quod prouocauit, & in quo, forsan fraudulenter, appellationem non prosequitur. infr. c. cum speciali; ita iustæ pœnitudinis humanitas non est appellanti amputanda, ne, si voluerit ad iudicem, à quo appellauit, reuerti, & fauori pro se introducto renunciare, rigidè impediatur. c. ei, qui. §. si quis. 2. q. 6. Et quoniam sub huiusmodi præcepto alternatiuo, vtriq; inconuenienti medetur. infr. c. sæpe. Ideo iudex à quo non cogit præcisè ad appellationem interpositam prosequendam: sed alternatiue, vt vel in termino statuto illam appellans prosequatur, vel, eo elapso, iudicio suo, illa remota, pareat. vt in tex. & sup. c. cum sit.

Cap. 15. Suggestum.

APPELLATIONI malitiosè interpositæ non est deferendum.

QVIA appellationis remedium non ad deprimendam cuiusque iustitiam, sed ad remouendum grauamen, fuit institutum. infr. c. cum speciali. & l. 1. ff. eod. Et quoniam multi appellant ad iustitiam fraudulenter euitandam. sup. c. ad nostram. Ideo vbicunque appellatio apparet ex fraude, & non propter grauamen, interposita, iudex illi deferre non debet, nec ob illam debet causam sibi commissam postponere terminare. vt in tex. & infr. c. vt debitus. Quod enim prouisum est ad cõcordiam, non debet vergere ad noxam. c. licet, il. 2. distin. 45. Et iuris occasio, ad iniquum dispendium non est trahenda. l. eum, qui. C. de vsuc. pro empt.

Cap. 16. Ad præsentiam.

EXCOMMVNICATVS, pendente cognitione appellationis, absolui potest ad cautelam.

QVIA

QVIA absolutio, quæ datur ad cautelam, potest multum iuuare, & nihil obesse. c. solet. de sent. excom. in 6. Et quoniam vbi vertitur periculum animarum, tutior pars est eligẽda. c. 2. de homicid. Et excommunicatus non potest stare in iudicio vt actor. c. 1. de excep. in 6. Ideo si quis dicat, se post legitimam appellationem fuisse excommunicatum, & sic eo tempore, quo iudicis iurisdictio erat suspensa, & non poterat excommunicare. c. per tuas. de sent. excom. vel aliter de inualiditate excommunicationis opponat, dum talis cognitio pendet, ipse debet ad cautelam absolutionem petere, & superior ei illam concedere debet. vt in tex. & c. venerabili. de sent. excom.

ET si apparet, eum legitime appellasse, non punitur pro eo, quod interim celebrauit diuina.

QVIA vbi non est culpa, ibi non debet pœna imponi. S. Thom. par. 3. q. 52. art. 1. in addit. Et quoniam excommunicatio lata post legitimam appellationem, est inualida: & ille, qui appellauit, ei contraueniendo, nõ peccat; dummodo aliter non contemnat. infr. c. dilectis. Ideo appellans, qui post talem excommunicationem celebrat, propter illam non punitur. vt in tex. & c. 1. de sent. excom. in 6.

Cap. 17. Cum teneamur.

SI appellans turbatur in possessione, super qua fuit appellatum, iudex à quo potest illam possessionem sibi reformare, appellatione in suo statu permanente.

QVIA iudex à quo potest interponere officium suum in his, quæ tendunt ad faciliorem exitum causæ appellationis. Butr. hic. cum per appellationem interpositam, eius iurisdictio nõ sit extincta, sed tantum suspensa, quatenus versatur cognitio causæ appellationis. c. à iudice. eod. in 6. Et quoniam ad facilioré causæ exitum interest, vt, appellatione pendente, nihil attentetur. l. fin. C. vt lit. pend. Ideo non obstante appellatione, potest iudex à quo reuocare attentata in præiudicium appellationis, dummodo in cognitione ipsius appellationis se non intromittat. vt in tex. & c. 2. & ibi glos. de matr. con. contr. interd. eccl.

Cap. 18. Consuluit il 2.

GENERALIS, & vaga appellatio respectu cuiuslibet grauaminis, non valet.

QVIA appellatio est adinuenta ad remouendum grauamen, quod à iudice infertur. sup. c. suggestum. & l. 1. ff. eod. Et quoniam respectu cuiuslibet causæ intentandæ in futurum, non potest prætendi grauamen de præsenti. infr. c. vt debitus. & l. eius, qui. ff. si cert. pet. & cessante causa, cessat effectus. infr. c. cum cessante. Ideo si generaliter

liter quis appellationem interponit ab omni grauamine, quod sibi cõtingere potest, huiusmodi appellatio tenere non debet. vt in tex. & sup. cap. inter cætera.

SED restricta ad certam causam sic.

QVIA quando appellatio restringitur ad certam causam, tunc vel grauamen præcessit, vel prætenditur de præsenti in aliquo articulo. d. c. vt debitus. Et quoniam propter continentiam, & connexitatem, seu vnitatem causæ, videtur tale grauamen totam causam contigisse. supr. c. super eo. & l. vulgaris. ff. de furt. Ideo si quis appellat ab aliquo iudice super omni grauamine, quod in vna causa sibi possit inferri, quanquam generaliter talis appellatio sit interposita, appellationi tamen eius est ab eodem iudice deferendum. vt in tex. & l. in tradendis. ff. commun. præd.

Cap. 19. Cum parati.

APPELLATIO friuola non excusat inferiorem, quominus teneatur obedire superiori.

QVIA remedium appellationis non est inuentum, vt alicui à religionis, & ordinis obseruantia exorbitanti, debeat in sua nequitia patrocinium exhibere. supr. c. ad nostram. Et quoniam subditus, qui non obedit superiori licita præcipienti, peccat. cap. si quis. de maior. & obed. & c. si dominus. 11. q. 3. Ideo per appellationem, sine rationabili causa interpositam, quis non excusatur, si iusto superioris mandato non paret. vt in tex. & Concil. Trid. sess. 24. cap. 10.

ET vt de contemptu puniatur.

QVIA contemnere superiorem, & eius præcepta negligere, est peccatum. cap. certum. 11. q. 3. Et quoniam peccata non debent transire impunita. S. Thom. par. 3. q. 2. art. 1. Ideo si quis contemnit superiorem, per friuolam appellationem non excusatur, & pro tali contemptu venit puniendus. vt in tex. & supr. c. si duobus.

NISI innocentiam suam aliter purget.

QVIA rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. c. 2. de constit. Et quoniam potest esse, quod ex legitimo impedimento quis non fecerit, quod superior iubebat. cap. 1. de dol. & cont. & de iure canonico non punitur temerè appellans, quando aliter non peccauit. glos. in l. 1. ff. à quib. appell. non lic. Ideo qui remouet præsumptionem, quæ erat, quod friuole appellasset in contemptum præcepti facti à superiore, etiam si postea eius appellatio denuntietur inualida, non per hoc punitur. vt in tex. & infr. cap. vt debitus.

Cap.

Cap. 20. Ad hæc. & Cap. 21. Quæstioni.

§ I mandatum factum ei, qui iurauit stare iudicio ecclesiæ, excedit limites iuramenti, & licitæ promissionis, appellare poterit.

QVIA iuramenta generaliter præstita, sunt restringenda ad causam honestam, & verisimiliter cogitatam. cap quintavallis. de iureiur. Et quoniam mandatum alicui factum ratione eius iuramenti, si limites illius excedit, grauat iurantem. c. 1. de iureiur. in 6. Ideo propter illud grauamen potest licite appellari. vt in tex. & supr. c. peruenit.

ALIAS secus.

QVIA iuramenta licita sunt seruanda. c. si verò. de iureiur. Et quoniam iudex, qui præcipit alicui, vt adimpleat, quod iurauit, eum non grauat, sed ad euitandum peccatum prouidet. c quanto. de iureiur. Ideo ex quo in isto casu iurans non grauatur, eius appellatio non tenet. vt in tex. & infr. c. cum speciali.

Cap. 22. Præterea, il 1.

APPELLANS ab ordinario, postea de delicto ab eo commisso puniri potest per ipsum ordinarium; & idem de antea commissis, si nunc de illis accusetur.

QVIA appellatio non suspendit iurisdictionem iudicis à quo, nisi in causa, in qua fuit interposita. supr. c. cum teneamur. Et quoniam ordinarius non habet iurisdictionem restrictam ad certam causam, & ad eum spectat delinquentes coercere. c. 1. de offic. ordin. Et appellatio non debet quemquam in peccatis enutrire, supr. cap. suggestum. Ideo si aliqui ad superiorem in vna causa appellant, talis appellatio non debet eos tueri, quominus eorum excessus ab inferiore iudice loci debita pœna corrigantur. vt in tex. & infr. c. proposuit.

Cap. 23. Constitutis, il 1.

QVI non detulit appellationi sui aduersarij, de sua posteriori circa idem contra eum excipere nequit.

QVIA quod quisque iuris in alium statuerit, conuenit, vt & ipse eodem iure vtatur. l. 1. ff. quod quisque iur. Et frustra legis implorat auxilium, qui committit in legem. c. quia frustra. de vsur. & l. auxilium. ff. de minor. Et quoniam qui non detulit appellationi aduersarij, videtur illam reprobasse vt iniustam. infr. cap. sæpe. Ideo non tenetur iudex, nec aduersarius deferre appellationi, cui in simili casu non detulit appellans. vt in tex. & infr. c. an sit.

Cap.

Cap. 24. Proposuit.

APPELLANS ab ordinario in vna causa, in alijs coram eo respondere tenetur.

QVIA appellatio non eximit appellantem à iudicis iurisdictione, nisi in eo tantum, super quo appellatur. supr. c. cum teneamur. Et quoniam ordinarius habet in loco iurisdictionem vniuersalẽ, & non limitatam ad vnam causam tantum. c. 1. de offic. ord. Ideo per apppellationem interpositam ab ordinario in vna causa, non impeditur eius iurisdictio in alijs contrà illum appellantem. vt in tex. & l. vnic ff. apud eum, à quo appell.

POTEST tamen eum recusare vt suspectum.

QVIA suspicio fundatur super iniquo animo iudicis. c. cum super. de offic. deleg. sed appellatio fundatur super grauamine supr. c. suggestum. Et quoniam qui ex malo animo in vna causa grauauit, præsumitur, quod eodem modo erit promptus grauare in alijs. c. semel. de reg. iur. in 6. Et naturale quodammodo est, suspectorum iudicũ insidias declinare, & inimicorũ refugere iudicium. c. quod suspecti. 3. q. 5. Ideo iudex, à quo, propter grauamen in vna causa illatum, appellatur, potest vt suspectus in alijs causis ab illo appellante recusari. vt in tex. & supr. c. ad hæc.

NISI conueniatur de crimine manifesto, & in quo non cadit excusatio, nec suspicio, vt quia imponitur pœna iuris surgens ipso facto.

QVIA vbi delictum est manifestum, non potest iudici imputari, quod ex malo animo illud attribuat delinquenti. c. quæ Lotharius. 2. q. 1. Et vbi pœna est determinata à iure, non potest dici, quod iudex grauet in ea, modum excedendo. l. respiciendum. ff. de pœnis. tunc enim ipse potius videtur esse legis executor, quam iudex condemnans. Innoc. in c. ex parte. de verb. sign. Et quoniam sine legitima causa non potest ordinarij iudicis tribunal euitari. c. irrefragabili. de offic. ord. Et reipublicæ interest, ne delicta remaneant impunita. l. ita vulneratus. ff. ad leg. aquil. Ideo in crimine manifesto, & cui est in iure certa pœna assignata, non potest ordinarius vt suspectus recusari, quantumcunque propter grauamen illatum, fuerit ab eo in alia causa appellatũ. vt in tex. & sup. c. cum sit. Sed si pœna imponẽda esset arbitraria, tunc posset iudex recusari; licet delictũ esset manifestum. Host. hic. quia posset nocere in impositione grauioris pœnæ. sup. c. ad nostrã. Vnde quando dicitur, quod in delicto notorio iudex potest etiã in proprio facto, & in

facto

facto suorum familiarium, & consanguineorum procedere. c. irrefragabili. de off. ord. & c. & qui emendat. dist. 45. est intelligendum, quando pœna illius delicti est determinata in lege. Abb. hic. & Bart. in l. si quis forte. ff. de pœnis. Secus, si pœna esset ei arbitraria. l. 1. C. ne quis in sua caus. ius sibi dic. nam ex quo tunc habet interesse in causa, non censetur habere rectum iudicium ad pœnam arbitrandam. c. repellantur. de accusat. & c. quatuor. 11. q. 3.

Cap. 25. Qua fronte.

ABSOLVITVR excommunicatus, cautione recepta, licet aduersarius, vel excommunicator, ne absoluatur, appellet, si excommunicatio non fuit lata pro manifesta contumacia, vel offensa.

QVIA per huiusmodi absolutionem consulitur animæ ipsius excommunicati, ne extra ecclesiæ gremium decedat. c. si quem. de sent. excom. & ipse habilitatur, vt possit stare in iudicio vt actor. c. 1. de except. in 6. Et nihil deperit aduersario, vel excommunicatori, cum eis prouideatur per sufficientem cautionem de stando mandatis ecclesiæ, & de iuri parēdo. c. solet. de sent. excom. in 6. Et quoniā animarum salus est maximè attendenda. c. ne pro defectu. de elect. & quod vni prodest, & alteri non nocet, facile concedi potest. c. olim. 8. q. 1. Ideo si quis pro contumacia, vel alia qualibet causa: interdicto, vel excommunicatione tenetur adstrictus, & offert se ad iustitiam de his, pro quibus sententiam ipsam excipit, iudex eum (ne in excommunicatione decedat) absoluere poterit; etiam si pars aduersa, ne absoluatur, appellationis obstaculum interponat; ab ipso tamen ante absolutionem sufficienti cautione recepta, quod vel in præsentia Romani Pontificis, ad cuius audientiam appellatur, si maluerit aduersarius, vel coram iudice, cui causā delegauerit, iuris pareat æquitati. vt in tex. & c. per tuas. de sent. excom. Si autem quis esset excōmunicatus pro manifesta contumacia, vel offensa, tunc non absolueretur sub cautione, sed prius deberet satisfacere. c. venerabilibus. §. porro. de sent. excom. cum enim tunc clare appareat de iustitia latæ excommunicationis, ipsa non est tam facilè relaxanda, ne in eius contemptum videatur interposita appellatio. c. ex parte. de verb. sign.

Cap. 26. Reprehensibilis.

PRAELATVS subditum suspendere, vel excommunicare non debet, nisi mònitione præmissa.

QVIA suspensio est pœna. c. 1. de sent. excom. in 6. & excommunicatio est pœna maxima. c. corripiantur. 24. q. 3. & quāuis eius gladius sit neruus ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris; sobriè tamen, magnaq; circumspectione exercendus est. Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. Et quoniam in omni actu iudiciali,

ciali, in quo vertitur alicuius interesse, requiritur, quod ille citetur. l. de vnoquoque. ff. de re iudic. Ideo sententia suspensionis, vel excommunicationis nunquam est ab homine ferenda, nisi canonica monitione præmissa. vt in tex. & c. sacro. de sent. excom. Monitio autem ista debet esse trina, vel vna peremptoria continens tres terminos. c. omnes. 16. q. 7. Tenet tamen excommunicatio lata à pastore, & prælato ad illam ferendam potestatem habente, quamuis hæc monitio non præcedat. c. sententia. 11. q. 3. sed ipse excommunicator ob illam sic incompetenter latam, pœnas incurrit. c. 1. de sent. excom. in 6. & d. c. sacro. Vnde cum excommunicatio nunquam sit ferenda ab homine, nisi canonica monitione præmissa; hinc est, quod ab homine non fertur excommunicatio, nisi pro contumacia; siue in non parendo in iudicio, siue in non satisfaciendo, quod ab ipso excommunicatore præcipitur. c. nemo, & c. episcopi. 11. q. 3. Et hæc de excommunicatione, quæ fertur ab homine; nam vbi ius illam fulminat propter delictum, tunc iudex potest delinquentem excommunicare sine alia monitione. vt in tex. & c. si quis suadente. 17. q. 4. tunc enim nil noui videtur facere iudex, nisi ius exequendo; quod cum habeat pœnam determinatam, & cum de delicto constet, pars non potest à iudice exequente prætendere grauamen. sup. c. prox. & l. ab executione. C. quor. appell. non recip.

NEC subditus contra disciplinam ecclesiasticam appellare potest.

QVIA rei criminum plerumque, ad euitandas pœnas, & superiorum subterfugienda iudicia: querelas, & grauamina simulant, & appellationis diffugio, iudicis processum impedire procurant. infr. c. cũ speciali. Et quoniam appellationis remedium non est inuentum, vt alicui a religionis, & iustitiæ obseruantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere. supr. c. ad nostram. Ideo vbi superior non excedit modum in corrigendo, ab eius correctione appellari non potest. vt in tex. & Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. & sess. 24. cap. 10. Si autem grauet in corrigendo, tunc potest a tali grauamine appellari. sup. c. ad nostram. Qui enim nimis emungit, elicit sanguinem. Prou. c. 30.

MAXIME, si est religiosus.

QVIA religiosus in professione sui ordinis, emittit obedientiæ votum, & ita propriæ voluntati renunciat, vt eius velle, aut nolle ex superioris arbitrio dependere debeat. c. placuit. 16. q. 1. Et quoniam si liceret religiosis per appellationis diffugium a legitima superioris correctione se subtrahere, sæpe contra obedientiæ votum deuenirent insolentes, & eorum delicta cum publico scandalo per tribunalia propalarentur. c. ea, quæ. de stat. monach. Ideo præcipuè in religiosis est obseruandum, ne cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem prælati sui, & capituli disciplinam, appellare præsumant; sed humiliter,

militer, ac deuotè ſuſcipiant, quod pro ſalute ſua fuerit eiſdem iniunctum. vt in tex. & Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 4.

ET iudex à quo præfigit terminum appellanti, ad appellationem proſequendam.

QVIA à multis interponitur appellatio ad euitandum iudicium iudicis à quo, & poſtea illam non proſequuntur coram iudice ad quem, & ſic malitiosè quærunt vtriuſque iudicis ſententias euitare. infr. c. oblatæ. Et quoniam iudex à quo poteſt interponere officium ſuum in his, quæ tendunt ad faciliorem exitum cauſæ appellationis, dummodo circa cognitionem ipſius appellationis ſe non intromittat. ſupr. c. cum teneamur. Et ex cauſa iudex poteſt omnem dilationem legalem mutare. l. 2. ff. de re iudic. Et appellatio non debet eſſe præſidium iniquitatis. infr. c. cum ſpeciali. Ideo licet ad proſequendam appellationem, à iure ſtatuatur terminus vnius anni, & ex cauſa biennij. l. fin. §. illud. C. de temp. appell. iudex tamen ſi videt appellantem eſſe negligentem ad ipſam proſequendã, poteſt ei terminum illum coarctare, & loco illius breuius tẽpus aſſignare. vt in tex. & ſup. c. cũ ſit.

INTRA quem ſi non proſequitur, iudex à quo reaſſumit iuriſdictionem.

QVIA talis terminus hominis eſt loco termini iuris. d. l. 2. ff. de re iudic. Et quoniam ſi intra annum, vel biennium datum à lege ad appellationem proſequendam, appellans illam non fuerit proſecutus, cenſetur ipſam deſeruiſſe, & perinde habetur, ac ſi non appellaſſet. ſupr. c. cum ſit. & d. §. illud. Ideo iſte terminus aſſignatus à iudice, eſt peremptorius ad appellationem proſequendam, & eo tranſacto, & illa non proſecuta, iudex à quo procedet in cauſa, ſicut ante ipſam appellationem feciſſet. vt in tex. & infr. c. ſæpe.

APPELLANS verò non proſequens appellationem ſuam, condemnatur in expenſis appellato hoc proſequenti.

QVIA qui intra debitum tempus appellationem non proſequitur, cenſetur temerè appellaſſe. Authent. ei, qui. C. de temp. appell. Et quoniam victus, qui non habuit probabilem cauſam litigandi, eſt in ſui pœnam, & in victoris releuamen, in expenſis litis condemnandus. c. calumniam. de pœnis. & l. eum, quem. ff. de iudic. Ideo in quocunque negotio aliquis appellauerit, & eo, qui appellatus fuerit, veniente, ſi ipſe appellans venire neglexerit, competentem illi recompenſationem expenſarum facere debet; vt hoc ſaltem timore perterritus, in grauamen alterius non facile quis appellet. vt in tex. & infr. c. vt debitus. Sed licet de iure canonico non procedatur contra temerè appellantem ad aliam pœnam, quàm ad condemnationem expenſa rum, quas appellatus

pro illa appellatione fecit. d. c. vt debitus. de iure tamen ciuili etiam alię pœnæ contra temerè appellantem infliguntur. l. eos, qui. C. de appellat. & l. ab executione. C. quor. appell. non recip.

Cap. 27. Ad hæc, il 3.

IVDEX à quo, non obstante appellatione, cognoscit de causa, si appellans non prosequitur.

QVIA qui non prosequitur appellationem intra debitum tempus, censetur nō appellasse. l. fin. §. illud. C. de temp. appell. Et quoniam si quis non appellat, vel aliter legitimè à iudice non recedit, causa debet finiri coram eodem iudice, qui illam cognoscere cœpit. l. nulli. C. de iudic. Ideo cum à iudice super aliqua causa fuerit appellatum, fas ei est, appellantes, appellatione cessante, compellere, vt vel appellationem interpositam prosequantur, vel coram ipso iuris pareant æquitati. vt in tex. & sup. c. consuluit, il 1.

ET iudex, vt suspectus recusatus, potest alteri causam committere.

QVIA sicut prouidendum est, ne quis cogatur coram suspecto iudice litigare. c. quod suspecti. 3. q. 5. ita est aduertendum, ne sub prætextu friuolæ recusationis, proprij iudicis iurisdictio eludatur. infr. c. cum speciali. Et quoniam eligendo arbitrum, qui de huiusmodi suspicione cognoscat, vel committendo causam alteri de partium consensu, tam iudicis dignitati, quam partium incolumitati consulitur. c. suspicionis. de offic. deleg. & c. si quis. de for. comp. Ideo si alterutra partium iudicem suspectum habuerit, ipso insistente, alterum eligere possunt, qui propositam inter eos valeat dirimere quæstionem. vt in tex. & l. cum speciales. C. de iudic.

Cap. 28. Peruenit, il 2.

SI canonicus, ad residentiam monitus, appellat, statuitur sibi terminus ad appellationem prosequendam.

QVIA talis appellatio prima fronte præsumitur frustratoria, cū sit contra iuris communis dispositionem, per quod tenetur quilibet clericus in beneficio residere. c. ex tuæ. de cler. nō resid. & c. si quis in clero. 7. q. 1. Et quoniam vbi est præsumptio malitiæ contra appellantem, iudex debet ei prefigere terminum ad appellationē prosequendam, ne per annum, vel biennium lis fraudulenter protrahatur. sup. c. reprehensibilis. Ideo canonicus, qui monitus ad residēdum, à tali monitione appellat, debet ab episcopo adstringi, vel ad residentiam faciendam, vel ad appellationē intra competentem terminum prosequēdam. vt in tex. & sup. c. personas. Admittitur autem hæc appellatio, licet præsumatur frustratoria, quia illud ius commune habet plures exceptiones, quæ à residentia excusant. c. relatum. de cleric. non resid. vnde posset esse,

quod

quod ex iusta causa iste non resideret. glos. hic. Et de residentia canonicorum, & aliarum personarum ecclesiasticarum, vide quid nouissimè diffinierit Concil. Trid. sess. 24. cap. 12.

ET interim deseruitur beneficio per vicarium de fructibus beneficij sustentandum.

QVIA cum ista appellatio præsumatur frustratoria, non debet eius prætextu ecclesia interim clerici suffragio carere. sup. c. ad nostram. Et quoniam qui altari seruit, conueniens est, vt de altari viuat. 1. ad Corinth. cap. 9. non enim est alligandum os boui trituranti. Deuteron. cap. 25. Et dignus est operarius mercede sua. Matth. cap. 10. Ideo, pendente tali appellatione, deputandus est clericus, qui pro illo canonico deseruiat ecclesiæ, sustentandus ex fructibus ipsius canonicatus. vt in tex. & c. cum ex eo. de elect. in 6. Et licet regulariter, appellatione pendente, nihil sit innouandum. c. post appellationem. 2. q. 6. & l. vnic. ff. nil nou. appell. interp. secus tamen est, quando appellatio præsumitur friuola, & per eius pendentiam cultus diuinus diminueretur. glos. hic. & c. cum personæ. de priuileg. in 6.

ET si appellationem non prosequitur, vel residentiam non facit, priuatur præbenda.

QVIA qui non vult onus, non debet habere munus. c. qui sentit. de reg. iur. in 6. Et qui non vult facere id, ad quod scit se teneri, & potest, est in dolo. l. dolus. ff. mand. Et quoniam ecclesiastica beneficia non debent esse diu sine proprio administratore, ne in spiritualibus, & temporalibus patiantur detrimentum. c. quoniam. §. porrò. vt lit. non cont. Ideo si talis canonicus non prosequitur appellationem intra debitum tempus, nec ad residentiam redit, est canonicatu priuandus: & ille est alteri, qui ecclesiæ deseruiat, concedendus. vt in tex. & c. fin. de cleric. non resid.

Cap. 29. Consuluit, il 3.

A iudice iuris dispositionem exequente, non appellatur.

QVIA ius neminem grauat, cum sit rationabile, honestum, possibile, & iustum. c. erit autem. dist. 4. Et quoniam iudex, qui exequitur ius, nihil aliud facit, quàm quod per ius statuitur. sup. c. ad nostram. & l. Gracchus. C. de adulter. Et appellatio ad nihil aliud est inuenta, quàm ad remouendum grauamen, quod à iudice infertur. l. 1. ff. de appell. Ideo à iudice ius exequente non potest appellari. vt in tex. & l. ab executione. C. quor. appell. non recip.

Cap. 30. Ad hæc, il 4.

QVI ante citationem, vel notitiam literarum, miſit nuncium ad Papam, appellare poteſt, ne delegatus procedat.

QVIA ſicut arreptio itineris perſonaliter facta ad ſedem Apoſtolicam, defendit itinerantem, vt cenſeatur eſſe ſub protectione Papæ, & ob id iudex in partibus non poteſt procedere contra illum, ſi non fuerit per citationem, vel notitiam literarum præuentus. infr. tit. prox. c. vnic. ſic miſſio nuncij eundem effectum debet operari: cum ille, qui per alium facit, per ſeipſum facere cenſeatur. c. vt famæ. de ſent. excom. Sed quoniam multi hoc priuilegio abutebantur, & impediebant cauſarum progreſſum in partibus, & in curia illas non proſequebantur. gl. hic. Ideo hodie talis miſſio nuncij non excuſat, & per eam non validatur appellatio, niſi fuerint obtentæ litteræ, & iudici præſentatæ. infr. c. vt debitus. & c. non ſolent. §. eius. 2. q. 6.

SECVS, ſi poſt.

QVIA Per ſolam citationem acquiritur iuriſdictio, & incipit exerceri iudicium. c. gratum. de offic. deleg. Et qui ſe abſentat, vel mittit nuncium ad euitandum ſine legitima cauſa iudicem competentem, videtur de iuſtitia ſuæ cauſæ diffiſus. ſupr. c. ſuggeſtum. Et quoniam vbi cęptum eſt iudicium, ibi & finem accipere debet. l. vbi acceptum. ff. de iud. Et appellatio non debet eſſe præſidiũ iniquitatis. inf. c. cum ſpeciali. Ideo ſi poſt citationem, vel notitiam literarum, nuncius fuerit miſſus ad curiam, per ſolam talem miſſionem non validatur appellatio. vt in tex. & ſupr. c. meminimus.

Cap. 31. De priore.

QVI non detulit appellationi interpoſitæ ad Papam, mittitur cum literis ordinarij ad curiam puniendus.

QVIA qui legitimæ appellationi non defert, offendit ſuperiorem, quẽ parùm reuereri demonſtrat. c. qui ſcit. 2. q. 6. & lædit partẽ, cui debitâ defenſionem aufert. inf. c. cum ſpeciali. Et quoniã Papa, qui aliorũ iura tuetur, non debet pati ſe debita reuerentia fraudari. c. quia. de off. ord. in 6. Et partes non debent in iudicijs earũ iuribus priuari. l. meminerint. C. vnde vi. Et ad Romanã eccleſiam ab omnibus (maximè tamen ab oppreſſis) eſt appellandũ, & concurrendum quaſi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, auctoritate defendãtur, à ſuis oppreſſionibus releuentur, quia non poteſt, nec debet, mater obliuiſci filiũ ſuum. c. ad Romanam. 2. q. 6. Ideo iudex, quem per literas ordinarij conſtiterit deliquiſſe in non admittendo legitimam appellationem, ne de tali exceſſu tranſeat impunitus, ab ipſa ſede apoſtolica, ad quam fuerat appellatum, eſt puniendus. vt in tex. & c. ideo. 2. q. 6.

Cap.

Cap. 32. Quia nos.

CONTRA conſtitutiones regulares, appellatio religioſum non defendit.

QVIA conſtitutiones regulares ſunt leges religioſorum. c.in ſingulis.de ſtat.regul.Et quoniam contra ius, & diſciplinam eccleſiaſticam non appellatur. ſupr. c. conſuluit,il 3.Ideo contra religionis conſtitutiones, & ordinis obſeruantiam,religioſi appellare non poſſunt.vt in tex.& ſup.c.ad noſtram.

Cap. 33. Ad aures.

IVDEX à quo poteſt præfigere terminum appellanti, ad proſequendam appellationem.

QVIA vbi rationabilis cauſa ſuadet, iudex poteſt mutare omnem dilationem datam à lege.l.2.ff. de re iudic. Et quoniam multi appellant ad ſubterfugiendam iuſtitiam iudicis a quo, & cauſam coram iudice ad quem malitiosè non proſequuntur.infr.c.cum ſpeciali.Ideo licet de iure communi competat terminus vnius anni, & ex cauſa biennij,ad appellationem proſequendam.Authent.ei,qui.C.de temp. appell. Si rationabilis cauſa ſubeſt, iudex a quo poteſt iſtud tempus coarctare,& immutare.vt in tex.& ſup. c. cum ſit.

QVO lapſo, reaſſumit iudex iuriſdictionem.

QVIA talis terminus, qui datur à iudice, eſt loco illius termini, qui dabatur à iure.c. quod ad conſultationem. ſup. tit.prox. & ſubrogatum ſapit naturam eius,in cuius locum ſubrogatur. §. fuerat.Inſtit.de action.Et quoniam,qui non proſequitur appellationem intra terminum datum a lege,cenſetur non appellaſſe.l.fin. §. illud.C. de temp.appell.& qui non appellat, vel aliter ex cauſa indulta a iure, a iudice non recedit,vbi cęptum eſt iudicium,ibi finem accipere debet. l.nulli.C. de iudic. Ideo iuriſdictio iudicis à quo, quæ erat per appellationem ſuſpenſa.c.ſi a iudice.infr.in 6.ceſſante ipſa appellatione, reuertitur ad ſuam naturam, & in iudice eſt libera ad ipſam cauſam terminandam.vt in tex.& ſup.c.perſonas.

Cap. 34. Ad audientiam.

SI præcedente grauamine, quis ſubmittit ſe protectioni ſuperioris, habetur pro appellante.

QVIA vbi ad certum actum explicandum, non eſt præfixa ſolemnitas verborum,ſufficit exprimere conceptum,& effectum rei per æquipollens, licet non exprimantur propria verba illi actui conformia. c. petitio. de procur.ſecus vbi verba aliqua requirerentur de ſubſtantia,& forma actus.l.1. §. ſi quis ita,& ibi Bart.ff.de verb.oblig.

Et quoniam ad appellationem interponendam non eſt præfixa certa forma verborum.infr.c.vt noſtrum. Ideo licet quis non dicat, appello, ſed me protectioni ſuperioris ſubmitto,vel aliquid aliud habens eundē effectum, quem habet verbum, appello,ſi grauamen præcedat, eſt pro appellante habendus.vt in tex.& infr. c. dilecti.

DVM MODO ſeruauerit ea,quæ in appellatione ſunt neceſſaria.

QVIA fictio non poteſt plus operari,quàm veritas.l.cum hæres.ff. de ſtat.lib.Et quoniam talis, re vera, non protulit propria verba appellationis,ſed fingitur illa protuliſſe, propter eundem conceptum,& effectum,quem etiam iſta verba demonſtrant. vt in tex.& d.c. vt noſtrum.Ideo,vt iſte habeatur pro legitimè appellante,debet eſſe in termino, vt ſeruauerit ea,quæ requiruntur in illo,qui per propria verba appellat.vt in tex.& d. c.dilecti. Vnde ſi ſubmittit ſe protectioni ſuperioris ante ſententiam diffinitiuam, debet exprimere rationabilem cauſam, ſicut deberet facere,ſi per proprium verbum appellaret. infr. c.vt debitus.& debet petere apoſtolos, & alia, quæ in appellatione interpoſita,ſtatuuntur facienda.infr.c.1.in 6.

Cap. 35. Accepta.

CAVSA non eſt ad iudicem à quo, remittenda, appellatione adhuc non iuſtificata.

QVIA officium iudicis ad quem,eſt de appellatione cognoſcere, & illam pronunciare iuſtam,vel iniuſtam extitiſſe.l.eos.C. de appell.& quoniam iudicare eſt munus publicum.l.munerum.§. iudicandi. ff.de muner.& hon.& ab ijs,quæ publici muneris ſunt, non poteſt quis ſe ſubtrahere.l.legatus.ff.de offic.præſid.Ideo non eſt in facultate iudicis ad quem, appellationem reſpuere, & litigantes ad iudicem à quo remittere,ſed ipſemet debet de appellatione cognoſcere. vt in text. & c.ei,qui.2.q.6.Vnde iudex ad quem,vt faciat quod ſpectat ad eius officium,debet de appellatione cognoſcere, & ſi viderit illam fuiſſe legitimè interpoſitam, debet pronunciare appellationem iuſtam, ſi viderit eſſe indebitè interpoſitam,debet illam pronũciare iniuſtam.d. l.eos.Et poſtea,ſi illam pronunciauit iuſtam;ſi eſt appellatum a grauamine ante diffinitiuam, ipſe debet incipere cognoſcere de cauſa principali; ſi autem pronunciauit iniuſtam,debet remittere partes ad priorem iudicem,condemnando appellantem in expenſis.infr.c.interpoſita. Si autē fuerit appellatum à diffinitiua, tunc ipſe iudex ad quem,debet cognoſcere de meritis cauſæ,& videre an bene, vel male fuerit iudicatum; ſi viderit bene iudicatum,confirmabit ſententiam; ſi viderit eſſe male iudicatum,illam caſſabit. inf.c. vt debitus.Si vero plures articuli ſunt in ſententia,iudex poteſt pro parte confirmare,& pro parte caſſare,& reformare ſententiã,ſecundum,quod iuſtũ fuerit.c.Raynutius.de teſtam.

NISI

NISI de partium conſenſu.

QVIA vt cauſa non remittatur ad iudicem à quo, antequam appareat, quod fuerit male appellatum, fuit ſtatutum in fauorem appellantis, qui ab illo prætendit eſſe grauatus. d.c.interpoſita. §.ille. Et quoniam fauori pro ſe introducto quilibet renunciare poteſt. c.ad apoſtolicam. de regular. Ideò ſi appellans conſentiat, poteſt fieri hæc remiſſio, etiam ſi adhuc non conſtiterit de meritis appellationis. vt in tex. & d.§.ille. Quam remiſſionem non poteſt appellatus impedire, cum ipſe non receſſerit ab illo iudice propter aliquod grauamen; vnde etiam ſi ipſe non conſentiat huic remiſſioni, poteſt fieri remiſsio: ſed appellans eſt condemnandus in expenſis, quas propter talem appellationem fecit; in quas non condemnatur, ſi appellatus liberè huic remiſsioni conſentiat. d.c.interpoſita. §. 1.

Cap 36. Poſtremo.

DELEGATVS recuſari poteſt, ſi eſt conſanguineus impetrãtis, vel ſi fuit aduocatus eius in illa cauſa.

QVIA nemo eſt cogendus coram ſuſpecto iudice litigare. c. ſuſpicionis. de off. deleg. Et quoniam conſanguineus cenſetur, propter ſanguinis affectionem, nimium fauere ſuo conſanguineo. c.quatuor. 11. q. 3. Et qui fuit in cauſa aduocatus, iam manifeſtauit animum ſuum, quòd eſt ad illam cauſam affectus, & integri, & incorrupti iudicis, cum difficultate officium exerceret. l. prætor. ff. de iuriſd. omn. iud. Ideo tam conſanguineus, quam ille, qui in cauſa fuit aduocatus, licitè poſſunt vt ſuſpecti, ab alia parte recuſari. vt in tex. & l. apertiſſimi. C. de iudic.

ETIAM datus cum clauſula, appellatione remota.

QVIA facilius admittitur iudicis recuſatio, quam ab eo appellatio; nam ad recuſandum ſufficit iniquus animus iudicis contra vnum, & eius affectio erga alium. c.quod ſuſpecti. 3 q. 5. ad appellandũ autem attenditur non ſolum ignorantia, vel malitia eius, ſed grauamẽ, quod per ipſum infertur, in quo principaliter fundatur appellatio. ſup. c. ſuggeſtum, vnde licet appellatio, & recuſatio in aliquibus æquiparẽtur, non tamen procedunt de pari in omnibus. ſup. c. ſuper eo. Et quoniam ex diuerſis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Ideo per remotionem appellationis, non impeditur legitima cauſa recuſationis. vt in tex. & infr. c. cum ſpeciali.

Cap. 37. Ad hæc, il 5.

SENTENTIA interdicti non ſuſpẽditur per appellationẽ ſequẽtẽ.

QVIA interdictum eſt cenſura eccleſiaſtica ſalubriter inſtituta ad remouendum eos, in quos, vel in quorum loca fertur, ab aliqua

inobedientia,& peccato. c.1. & c. is, qui. de sent.excom.in 6. Et quoniam disciplina ecclesiastica est adiuuanda, vt timeatur,non autem est aperienda via, vt contemnatur. c.sciendum. 8.q.1. & si de viribus talis sententiæ dubitatur, potest peti absolutio ad cautelam, per quam animarum saluti,& censuræ existimationi consulitur,& absoluto nullum præiudicium infertur.c.venerabili.de sent.excom. Et vbi vertitur animæ periculum,tutior pars est eligenda. c.2. de homicid. Ideo licet regulariter per appellationem executio sententiæ suspendatur,donec appellationis merita plenius fuerint discussa. c.pastoralis.§.præterea. de offic.deleg. interdicti tamen, & excommunicationis sententiæ per appellationem sequentem non suspenduntur, vt in tex. & infr. c.pastoralis. §. verum.

Cap. 38. Cum in ecclesia.

IVDEX appellationis remittit appellantem,& causam ad priorem iudicem, nisi sibi constiterit à grauamine, vel iniusta sententia fuisse appellatum.

QVIA qui appellationem intra statutum tempus non iustificat, censetur non appellasse.supr.c.cum sit. Et quoniam vbi cæptum est iudicium, ibi finem accipere debet. l. vbi acceptum. ff. de iudic. & iniuria fieret iudici à quo,si sine rationabili causa ante litem finitam partes ab eo recedere possent. infr. c.vt debitus. Ideo si appellatio interposita non probatur legitima, appellans est remittendus ad priorem iudicem,qui in causa procedat,si fuit appellatum ante diffinitiuam: vel quod sententiam exequatur,si fuit à diffinitiua appellatum. vt in tex. & supr. c. reprehensibilis. Et hoc, si iudex à quo non detulit appellationi: nam si detulit,non fit ei remissio de necessitate. infr. cap. cum appellationibus. in 6. Sententia autem diffinitiua lata per iudicem à quo, si fuerit confirmata per iudicem ad quem, potest executioni ab vtroque iudice mandari.c.pastoralis. §.præterea,& ibi glos.de offic. deleg.

Cap. 39. Directæ.

SI appellans, qui non prosequitur, redit ad iudicem à quo, & iterum grauatur, non obstante prima desertione, potest iterum appellare.

QVIA per voluntarium reditum ad ipsum iudicem,purgatur contumacia, quæ poterat esse in ipso appellante. Clem.vnic.de dol. & cont. Et iudex ille recipit iurisdictionem, quæ per appellationem,in eo erat suspensa. supr. cap. reprehensibilis. Et quoniam super vnoquoque articulo licitum est in omni causa cuilibet parti bis appellare. cap. si autem. 2. quæst.6. & l. vnic. C. ne lic. in vna, ead. caus.

cauſ. ter. prou. Ideo ſi talis, qui appellauit, iterum grauatur, iterum poteſt etiam ſuper eodem articulo appellare. vt in tex. & infr. cap. ſua.

Cap. 40. Præterea, il 2.

SENTENTIA excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti lata ſub conditione, ſuſpenditur, ſi ante conditionis euentum fuerit appellatum.

QVIA conditio appoſita in ſententia cenſuræ, non trahitur retro ad tempus ſententiæ, ſed ſolum reſpicit tempus euentus ipſius conditionis. Imol. hic. vnde ante conditionis euentum, hæc ſententia non iniecit vires ſuas. Abb. hic. Et quoniam poſt appellationem legitimè interpoſitam, iudex à quo fuit appellatum, valide excommunicare non poteſt. c. per tuas. de ſent. excom. Et in hoc cum excommunicatione procedunt à pari etiam ſententiæ ſuſpenſionis, & interdicti. c. 1. de ſent. excom. in 6. Ideo ex quo talis non eſt per huiuſmodi ſententiam ligatus tempore interiectæ appellationis, nec etiam poſt ipſam appellationem per illam ſententiam adſtringitur. vt in tex. & c. Romana. §. caueant. de ſent. excom. in 6.

Cap. 41. Secundo requiris.

SI per reſcriptum committantur plures articuli connexi, & in vno remoueatur appellatio, intelligitur remota etiam in alijs.

QVIA clauſula in principio, vel in medio, aut in fine poſita, refertur ad omnia in eadem diſpoſitione contenta, vbi non eſt dare rationem diuerſitatis, quare ad vnum magis, quam ad aliud referatur. c. Apoſtolus. 32. q. 7. & l. 1. C. de liber. præt. De connexis enim idem eſt iudicium. c. tranſlato. de conſtit. & l. ſi libertam. C. de nupt. Et quoniam intentio Papæ apponentis clauſulam, appellatione remota, eſt, vt de omnibus articulis, qui in commiſſione ponuntur, iuſtitia ſuum conſequatur effectum. vt in tex. Et verba debent intentioni deſeruire. c. humanæ. 22. q. 5. Ideo per huiuſmodi clauſulam non ſolum intelligitur remota appellatio in illo articulo, in quo ipſa clauſula apponitur, ſed etiam in omnibus alijs articulis in eodem reſcripto contentis, & connexis. vt in tex. & infr. c. paſtoralis. Et licet Princeps non poſſit auferre illa, quæ ſunt defenſionis, introducta à iure naturali. Clem. paſtoralis. §. cæterum. de re iudic. poteſt tamen tollere formam defenſionis introductam à mero iure poſitiuo, ſicut ſunt illæ, quæ de appellatione ſtatuuntur. c. ſuper quæſtionum. de offic. deleg.

§. Tertio poſtulas.

CAVSA ſuſpicionis proponenda eſt coram iudice, qui recuſatur, & probanda coram arbitris.

QVIA

QVIA ſicut prouidendum eſt, vt debitus honor iudicibus deferatur, & ne per friuolam ſuſpicionem eorum tribunal euitetur; ita eſt partibus conſulendum, vt coram iudice maleuolo non vexentur, ne loco iuſtitiæ iniurias, & iniuſtitiam reportent. infr. c. vt debitus. & c. cum ſpeciali. Et quoniam quemadmodum quis timet, ne iniquus iudex ipſum grauet in principali, ita veriſimiliter poteſt timere, ne ab eo grauetur ſuper exceptione recuſationis; nam de facili ille pronunciaret ſe iudicem, vt poſſet ei nocere. c. ſuſpicionis. de offic. deleg. & c. quod ſuſpecti. 3. q. 5. Et regulariter ex recuſatione iudex ſolet prouocari, & indignari. l. litigatores. ff. de arbitr. Ideo vt tam iudici, quàm litigatoribus conſulatur, cum aliquis iudicem proponit ſe habere ſuſpectum, ſuſpicionis cauſam coram eodem iudice allegare tenetur; ſed partes, vt in aliquos non valdè remotos conueniant, per eundem iudicem debent cogi, coram quibus ſi cauſa ſuſpicionis intra terminum competentem probata non fuerit, tunc demum auctoritate ſua iudex vtetur; Quod ſi coram ipſis cauſa ſuſpicionis probata fuerit, cauſæ cognitioni ſuperſedere tenebitur recuſatus; Ipſa namque ratio dictat, quod ſuſpecti, & inimici, iudices eſſe non poſſunt. vt in tex. & infr. c. cum ſpeciali.

Cap. 42. An ſit.

NON tenetur iudex, vel aduerſarius deferre appellationi, cui non detulit appellans.

QVIA fruſtra legis *auxilium implorat, qui committit in legem*. c. quia fruſtra. de vſur. Et quoniam, qui in ſimili caſu non detulit appellationi, quam interpoſuit aduerſarius, videtur appellationem illam indebitam cenſuiſſe. c. eum, qui. de dol. & cont. in 6. Ideo cum in eo quis puniendus ſit, in quo deliquit, qui appellationi deferre neglexit, ſe beneficio reddit appellationis indignum. vt in tex. & ſup. c. conſtitutis.

Cap. 43. Nouit.

A iudice ſuſpecto non receditur per appellationem.

QVIA appellatio eſt introducta ad remouendum grauamen, quod à iudice infertur. ſup. c. ſuggeſtum. & l. 1. ff. eod. Et quoniam iudex, qui eſt ſuſpectus, ne grauet, non per hoc adhuc grauat. ſup. c. propoſuit. Ideo ex eo ſolùm, quod ſit ſuſpectus, per viam appellationis à iudice recedere non licet. vt in tex. & ſup. c. conſuluit, il 3. Sed ſi quis vult iudicem ſuſpectum euitare, debet eum recuſare. infr. c. cum ſpeciali. & ſi recuſationem iudex non acceptat, tunc poteſt ab eo appellari: non ex eo, quod ſit ſuſpectus, ſed ex eo, quod grauat in non recipiendo legitimam recuſationem. c. ſuper. de offic. deleg.

NISI modum excedat.

QVIA iudex, qui modum excedit, in eo, quod excedit, infert grauamen. ſup.c.reprehenſibilis. Et quoniam ad remouendum grauamen eſt introducta appellatio. infr.c.vt debitus. Ideo à iudice ſuſpecto poteſt recedi per viam recuſationis, antequam grauet; & ab eodem poſtea poteſt recedi per viam appellationis, ſi modum excedendo grauat. vt in tex.& c.quod ad conſultationem.ſup.tit.prox.

Cap. 44. Sæpe.

SI appellatio recipitur à iudice, vel approbatur à parte, terminus, ad eam proſequendam præfixus, obtinet vicem peremptorij, vt in abſentem procedatur, ac ſi peremptoriè fuiſſet citatus.

QVIA iſte terminus hominis ſuccedit loco termini iuris. ſup. c. perſonas. Et quoniam terminus datus à iure ad appellationem proſequendam, eſt peremptorius. l.fin.§.illud. C.de temp.appel. Ideo ſimiliter debet eſſe iſte terminus præfixus à iudice, vt ſi intra illum, appellans cauſam non proſequitur, contumax cenſeatur, & contra eum abſentem, tanquam contra contumacem, niſi fuerit legitimè impeditus, procedatur. vt in tex.& infr.c.1.in 6.

NEC talis terminus præueniri poteſt ab aliqua partium.

QVIA ſi iſte terminus datus à iudice, poſſet ab altera partium præueniri,pars, quæ eſſet præuenta, poſſet ab alia facilè decipi, & ſupplantari. infr. c.oblatæ. Et quoniam fraudibus eſt obuiandum. c. plerumque. de reſcript. Ideo ſi quis talem terminum appellationis præueniens, hoc tacito, literas impetrauit, debet carere impetratis, & pœnam contumaciæ non euadit. vt in tex. & c. ei,qui. §.appellatore, & ibi gloſ.2.q.6.

Cap.45. Conſtitutus.

APPELLATIONE deſerta per negligentiam appellantis, poteſt iudex ex officio procedere in caſibus, in quibus eius officium exuberat.

QVIA negligentia partis non debet nocere officio iudicis. c. ad noſtram, il 2.de iureiur. Et quoniam vbi exuberat officium iudicis, ipſe habet alium modum procedendi, quàm ad inſtantiam partis. l. quamuis. C.de adulter. Et vbi ſunt duo modi procedendi,vno ſublato, remanet alius.c. ex tuarum. de auct & vſu pall. Ideo, deſerta appellatione ex negligentia appellantis, non ceſſat officium iudicis, quominus poſſit procedere, & inquirere de meritis eorum, propter quæ fuerat appellatum, ſi eſt caſus, in quo iudex ex officio aliter procedere potuiſſet, puta, in cauſa electionis. vt in tex.& c. cum nobis. de elect.

elect. Secus dic, vbi esset talis causa, in qua iudicis officium non exuberaret, puta, si concerneret merum commodum priuatum. l. 1. §. magistratibus. ff. de magistr. conuen. nam tunc non debet iudex se impedire, actore, vel appellatore cessante. c. crimina. de colluſ. deteg. & l. 4. §. hoc autem. ff. de damn. infect.

Cap. 46. Constitutis.

CONTRA electum, vel confirmatum, nullum aliud ius expectantem, non admittitur regulariter exceptio, vel appellatio, maximè frustratoria, ad impediendum electionis, vel confirmationis effectum.

QVIA huiusmodi exceptio, & appellatio præsumuntur contra talem calumniosè obiectæ, vt per eas impediatur electionis, vel confirmationis possessio, & effectus, postquam ius plene assecutum aliter impediri amplius non potest. glos. fin. hìc. Et quoniam calumnijs non est indulgendum. c. plerumque. de rescript. Ideo taliter electus non debet per huiusmodi exceptionem, aut appellationem, à consecutione suæ possessionis retardari. vt in tex. & c. accedens. de accusat.

SED possessione habita, poterit accusari, vel denunciari.

QVIA tunc cessat illa præsumptio, quod talis obiectio calumniosè fieret, ad ipsam possessionem impediendam. d. glos. hìc. Et quoniam criminosis non debent portæ dignitatum patere. c. infamibus. de reg. iur. in 6. Et per accusationem, & denunciationem proceditur contra criminosos. c. super his. de accusat. Ideo si talis electus, postquam est etiam possessionem adeptus, appareat indignus, poterit contra eum per viam accusationis, vel denunciationis procedi. vt in tex. & c. nihil. de elect.

Cap. 47. Ex parte.

APPELLARI potest, si locus non tutus partibus assignatur.

QVIA locus iudicij debet esse securus omnibus, qui habeant accedere ad illum, vt liberè ius suum dicere possint, & sine cuiusque timore valeant iustitiam reportare. c. siue. 33. q. 2. ne inde nascantur iniuriæ, vnde ius debet oriri. l. meminerint. C. vnde vi. Et quoniam pars, quæ non potest tutè accedere, grauatur à iudice, qui locum illum assignat. Clem. pastoralis. §. Pisana. de re iudic. & l. si locus. ff. de iudic. Et appellatio est inuenta ad remouendum grauamen, quod à iudice infertur. infr. c. cum specialis. Ideo excusatur honestè, qui citatus non potest securè ad iudicis præsentiam accedere, & si iudex velit eum ad veniendum cogere, ipse poterit liberè appellare. vt in tex. & c. accedens. vt lic. non cont.

ETIAM

ETIAM, si sit scriptum, appellatione remota.

QVIA clausula, appellatione remota, non intelligitur prohibere appellationem, quæ euidenter apparet rationabilis, & iusta. infr. c. pastoralis. Et quoniam iudex, qui assignat locum non tutum, notoriè grauat partem, quæ ad illum securè accedere non potest. c. hortamur. 3. q. 9. & l. si cum dies. §. si arbiter. ff. de recept. arbitr. Ideo ob huiusmodi grauamen potest ipsa pars licitè appellare, quamuis in literis commissionis sit appellationis remedium intercluſum. vt in tex. & c. ex conquestione. de restit. spol.

Cap. 48. Significauit.

LICITE appellat reus, si non auditur excipiens, procuratorem actoris non habere sufficiens mandatum.

QVIA iudicium agitatum cum procuratore non habente sufficiens mandatum, est inualidum. c. qui ad agendum. de procur. in 6. & l. Pomponius. ff. eod. Et quoniam præiudicium fieret reo, si iudicium, in quo conuenitur, & contra petitionem actoris veniret absoluendus, frustratorium redderetur, & ipse interim indebite vexaretur. c. mandato. de procur. Ideo ob grauamen, quod reo fit à iudice non faciente, ad eius instantiam, constare de mandato actoris, ipse reus licitè appellat. vt in tex. & c. 1. de procur.

VEL se prius conuentum per alias literas, de quibus non fit mentio in secundis.

QVIA per solam citationem incipitur iudicium, & præuenitur alterius iudicis iurisdictio. c. gratum. de offic. deleg. & vbi inceptum est iudicium, ibi & finem accipere debet. l. vbi acceptum. ff. de iudic. Et quoniam secundæ literæ non facientes mentionem de primis, quæ illarum impetrationem retardassent, sunt subreptitiæ, & inualidæ. cap. ex tenore. de rescript. Et coram iudice incompetente quis non tenetur respondere. l. fin. ff. de iurisd. omn. iud. Ideo si quis fuit conuentus per primas literas validas, postea non potest conueniri per secundas non facientes mentionem de primis; & à iudice, qui, huiusmodi exceptionem non admittendo, grauat, legitimè appellatur. vt in tex. & inf. c. vt debitus.

Cap. 49. Significantibus.

LICITE appellat reus, si non auditur petens declarari rem petitam in libello.

QVIA libellus porrigitur ab actore, tũ vt per illum reus cognoscat, & deliberet, an cum ipso contendere, vel an ei cedere velit. c. 1. de libell. obl. & c. inducias. §. offeratur. 3. q. 3. tum vt iudex possit iuxta illius

illius petitionem, ſententiam abſolutoriam, vel condemnatoriam ferre. c. licet Hely. de ſimon. Et quoniam per obſcuram petitionem actoris, non poteſt reus deliberare, an cedere, vel contendere debeat. l. ſi in rem. ff. de rei vind. Et iudex non debet ferre ſententiam ſuper incerto. c. graue. 11. q. 3. & §. curare. Inſtit. de action. ideo ſi reus, qui petit declarari libellum, non auditur, grauatur, & ob id licitè appellat. vt in tex. & c. 2. de lib. oblat.

Cap. 50. Ex inſinuatione.

IVDEX à quo, non poteſt ſtatuere terminum ad finiendam appellationem.

QVIA finire appellationem non ſpectat ad partes litigantes, ſed ad iudicem, ad quem fuit appellatum. c. anteriorum. §. ad hoc. 2. q. 6. Et quoniam appellatio fit à minori iudice ad maiorem. infra. c. vt debitus. & l. præfecti. ff. de minor. Et inferior non poteſt imponere legem ſuperiori. c. cum inferior. de maior. & obed. Ideo iudex, à quo appellatur, non poteſt alicui præfigere terminum ad appellationem finiendam. vt in tex. & Authent. de appell. §. 2. coll. 4.

QVOD ſi fecerit, intelligitur ſtatuiſſe ad ſe præſentandum.

QVIA terminus præfixus ad appellationem finiendam, includit in ſe terminum ad illam proſequendã. infr. Clem. 1. Et quoniam iudex poteſt præfigere partibus terminum ad ſe iudici præſentandum, & appellationem proſequendam. ſup. cap. perſonas, & c. ſæpe. Et vbi vtile eſt ſeparabile ab inutili, illud per iſtud non vitiatur. c. vtile. de reg. iur. in 6. Et interpretatio eſt potius facienda, vt actus ſuſtentetur, quàm vt pereat. c. vnic. §. 2. de deſponſ. impub. in 6. Ideo licet talis terminus non valeat reſpectu appellationis finiendæ, interpretatur tamen, vt valeat reſpectu illius proſequendæ. vt in tex. & ſup. c. cum ſit.

Cap. 51. Bonæ.

QVI extra iudicium appellat ex veriſimilibus, & probabilibus cauſis, ne in poſſeſſione moleſtetur, ſi poſtea ſpoliatur, reſtituitur ante omnia in ſtatum, in quo erat tẽpore appellationis emiſſæ.

QVIA ſacri canones, etiam extra iudicium, appellare permittunt. c. accedens. vt lit. non cont. & c. ad Romanam. 2. q. 6. licet propriè hæc non ſit appellatio, ſed potius querimonia, & prouocatio ad cauſam. ſup. c. cum ſit. Et quoniam appellatione pendente, nihil eſt attentandum. l. vnic. ff. nil nou. appell. interp. nam qui aliquid attentat in præiudicium appellationis, lædit reuerentiã iudicis, ad quem fuit appellatum, & detrahit iuri partis appellantis. d. l. vnic. Et iſta læſio, & offenſio fit non ſolum in appellatione iudiciali, ſed etiam in extraiudiciali. infr. c. prox. Ideo ſicut omnia attentata contra pendentem

tem appellationem iudicialem, ſunt reuocanda: ita attentata, & immutata contra licitam, & rationabilem appellationem extraiudicialem, ſunt reſtituenda in ſtatum, in quo erant tempore appellationis emiſſæ. vt in tex.& c.non ſolum. in 6. In quibus autem conueniat, & in quibus diſcordet appellatio extraiudicialis ab appellatione iudiciali, latè tractant Abb. & Imol. hìc.

Cap. 52. Dilecti, il 2.

ITINERIS arreptio habet vim appellationis, ſi ſeruantur ea, quæ ſeruari debent in appellatione.

QVIA ad ſubſtantiam appellationis, non eſt neceſſe exprimere verbum, appello; ſed ſatis eſt dicere, vel facere aliquid æquipollens huic verbo. ſup. c. ad audientiam. Et quoniam plus eſt aliquid explicare facto, quàm verbo. vt in tex.& l.ſi tamen. §.ei,qui.ff. de ædilit. edict. Ideo ſi quis arripit iter ad ſuperiorem, & ſeruat alia requiſita in tali appellatione, puta, quod exprimat in ſcriptis cauſam rationabilem, ſi eſt ante diffinitiuam, & quod petat apoſtolos.infr.c.1. in 6. habetur pro appellante, ac ſi verbum,appello, expreſſiſſet. vt in tex.& infr.c.vt noſtrum.

Cap. 53. Paſtoralis.

PER clauſulam, appellatione remota, inhibetur omnis appellatio, quæ à iure non indulgetur expreſſe.

QVIA intentio principis remouentis appellationem,non eſt alia, niſi vt iuſtitia ſuum conſequatur effectum. ſup. c. ſecundo requiris. Et quando ipſe priuilegiat perſonam, vt ab ea non poſſit appellari, hoc facit, quia præſumit de virtutibus illius priuilegiatæ perſonæ. l.vnic. C. de ſent.præf.præt.Et quoniam vbi quis grauatur,iuſtitiam non conſequitur ſuum effectum. infr. c. vt debitus. & ſic ceſſat intentio principis illam clauſulam apponentis, præſertim cum defenſio ſit de iure naturali. Clemen. paſtoralis. de re iudic. Ideo quando in reſcripto inhibetur appellatio,non intelligitur inhibita fruſtratoria tantum, quia per appellationem fruſtratoriam, etiam ſi non fuiſſet inhibita, non debet negotium impediri: nec intelligitur inhibitum, quòd, ſi appellans fuerit grauatus iniuſtè, grauamen huiuſmodi non poſſit per ſuperiorem emendari:ſed quælibet prouocatio intelligitur remoueri, quæ à iure non indulgetur expreſsè. vt in tex.& c.ſuper eo.de offic. deleg. Sed dices, quid ergo operatur hæc clauſula, ſi propter grauamen poteſt appellari? Reſpond. quod præcipue operatur tres effectus; Primus eſt, quod vbi proceditur, appellatione remota, non tenetur iudex, à quo appellatur, appellationi deferre; vnde talis appellatio non ſuſpendit eius iuriſdictionem, & ſic poteſt ſuam ſententiam mandare executioni, antequam appellatio ſit à ſuperiore recepta. c.paſtoralis.

ralis. §. præterea. de offic. deleg. Secundus, quia iudex non deferens huic appellationi, quantumcunque probabili, non punitur; ex quo enim ſibi à iure expreſſe indulgetur, eam non admittendo, non peccat. c.qui peccat. 21. q.4. & l. Gracchus. C. de adulter. Tertius effectus eſt reſpectu reuocationis attentatorum poſt appellationem, nam taliter attentata non reuocantur per viam attentati, & nullitatis, quia ex quo per talem appellationem non erat ſuſpenſa iudicis iuriſdictio, tenuerunt geſta, licet poſſint à ſuperiore per viam querelæ reuocari. gloſ. 3. infr. in c. vt debitus, & ibi Abb. vbi enumerat alios ſeptem effectus minus principales, quos parit hæc clauſula.

§. Verum.

LICET excommunicatus ab excommunicatione appellet, nihilominus denunciari poteſt.

QVIA excommunicatio ſecum trahit executionem: & excommunicatus, per denunciationem amplius non ligatur. vt in tex. & ſup. c.ad hæc, il 5. Et quoniam vbicunque appellatio non ſuſpendit actum iam geſtum, ſimiliter non ſuſpendit actum gerendum conſecutiuum, & acceſſorium ad ipſum actum geſtum; cum talis actus gerendus attribuatur ratione connexitatis ipſi actui geſto. c.cum tu. de vſur. & Clem. vt hi, qui. de ætat. & qual. præf. Et ille, qui denunciat, vel declarat, non dicitur diſponere aliquid de nouo. gloſ. in c.vnic. de ſum. Trinit. in 6. & l. hæredes palàm. ff. de teſtam. Ideo licet excommunicatus appellauerit, iudex à quo poteſt eum, etiam poſt appellationem interpoſitam, denunciare, vt ab alijs euitetur. vt in tex. & c. licet. de ſent. excom. in 6.

ET beneficij redditibus ſpoliari.

QVIA per maiorem excommunicationem quis à communione fidelium ſeparatur. c.ſi quem. de ſent. excom. Et quoniam qui eſt extra eccleſiam, non debet de eccleſiæ bonis gaudere. c.quo iure. diſt. 8. Ideo prouentus eccleſiaſtici ei meritò ſubtrahuntur, cui eccleſiæ communio denegatur. vt in tex. & c.quod. 23. q.7.

Cap. 54. Solicitudinem.

SI appellans ad ſuperiorem, comparet coram iudice inferiori ſuper concernentibus ipſam appellationem, ipſi appellationi renunciare videtur.

QVIA ſicut appellationi renunciat, qui coram iudice, à quo appellauit, litem proſequitur. c. gratum. de offic. deleg. ita videtur à ſuperiore receſſiſſe, & appellationem deſeruiſſe, qui comparet coram alio iudice inferiore illo, ad quem appellauit; in vtroque enim conſideratur receſſus à ſuperiore. Abb. hic. Et quoniam appellatio fuit

inuen-

inuenta ad fauorem partis,quæ prætendit,se esse à iudice indebitè grauatam.l.1.ff.eod. & iuri pro se introducto,quilibet renunciare potest. c.ad apostolicam.de regular. Ideo qui comparet in causa appellationis coram iudice inferiore illo, ad quem appellauit, ipsi appellationi renunciat.vt in tex.& c.ex ore.de his,quæ fi.à ma.par.cap.

SI autem protestetur,quòd propter hoc non intendit renunciare appellationi, tanquam contraria allegans,non est audiendus.

QVIA duo contraria simul esse non possunt. l. hæc verba. ff. de verb.sign. Et quoniam,quod quis recedat à iudice, ad quem appellauit, & quod eodem tempore dicat, se nolle ab eo recedere, sunt contraria;& non est maior ratio,cur potius eius negatiuæ, quàm affirmatiuæ sit credendum. c.quam.13. q.2. Ideo talis appellans, qui facto appellationi renunciat, & verbo se nolle ei renunciare protestatur, tanquam aduersa petens,& sibi contrarius non est audiendus.vt in tex. & l.vbi pugnantia. ff.de reg.iur.

NISI notorium sit,actum illum esse iniustum, super cuius emendatione adiuit inferiorem.

QVIA qui alias non habet iurisdictionem,si crimen est notorium, illam habet. supr. c. peruenit. Et quoniam iudex iste, quem appellans adiuit super notorio,non per hoc se ingerit in cognitione causę appellationis. Abb.hic.cum notoria crimina causæ examinatione non egeant.c.ad nostram.de iureiur. Ideo in tali casu non est in appellante repugnantia, nec in iudice inferiori est aliqua officij superioris vsurpatio, sed ipse iudex aditus recte procedit. vt in tex. & c. Romana. §. notoria.de censib.in 6.

Cap. 55. Dilectis.

PER appellationem legitimè interpositam, principale cum accessorijs ad iudicem appellationis defertur.

QVIA accessorium sequitur naturam sui principalis. c. accessorium. de reg.iur. in 6. Et quoniam per legitimam appellationem suspenditur iurisdictio iudicis à quo, & illa in iudicem ad quem deuoluitur. cap. si à iudice. infr. in 6. Ideo per appellationem non solum defertur ad iudicem negotium principale, sed etiam deferuntur consecutiua, & accessoria ad illud. vt in tex. & cap. præterea. de offic. deleg.

ET sententiæ excommunicationis, & interdicti post appellationem latæ non tenent.

QVIA sententia lata ab eo, qui ad illam ferendam non habet potestatem, non meretur nomen sententiæ habere, & non est ali-

cuius effectus. cap. at si clerici. de iudic. & l. 1. C. si à non comp. iud. Et quoniam iurisdictio iudicis à quo, per legitimam appellationem est suspensa. d. c. si à iudice. Et appellatione interposita, nihil est innouandum. c. post appellationem. 2. q. 6. & l. vnic. ff. nil. nou. appell. interp. Ideo ob defectum potestatis in excommunicatore, vel interdicente, huiusmodi sententiæ latæ post appellationem legitimè interpositam, non ligant appellantem. vt in tex. & c. per tuas. de sent. excom.

Cap. 56. Vt nostrum.

POST QVAM Papa aliquam causam ad se reuocat, non valet processus postea per minorem iudicem factus, sicut non valeret, si fuisset ab eo legitimè appellatum.

QVIA plus est, Romanum Pontificem ad se aliquod reuocare negotium, quàm quemquam ad eum super aliquo negotio prouocare. vt in tex. & supr. c. dilecti. Et quoniam post legitimam appellationem, iurisdictio iudicis à quo est suspensa, & in causa ipse nihil potest innouare. infr. c. bonæ. Ideo multo fortius eius iurisdictio est suspensa, & non potest aliquid attentare, postquam summus Pontifex causam ad se auocauit, & manus ad negotium apposuit. vt in tex. & c. nomen. 2. q. 1. Et ad hoc vide Concil. Trid. sess. 24. cap. 20.

Cap. 57. Oblatæ.

SI terminum appellationis prosequendæ statutum ab homine altera pars præuenit, hoc tacito, literas impetrando, literæ non valent.

QVIA huiusmodi literæ sunt subreptitiæ, cum sint impetratæ, tacita ea veritate, quam si superior sciuisset, illas non concessisset. vt in tex. non enim consensisset superior, vt altera pars hunc terminum præueniret, ne aliam partem per talem præuentionem ipsa deciperet, & supplantaret. supr. c. sæpe. Et quoniam rescriptum subreptitiè impetratum, est inualidum. c. cæterum. de rescript. Ideo literæ taliter impetratæ aliquam non debent obtinere firmitatem. vt in tex. & c. ex parte, il. 2. de rescript.

SED terminum iuris etiam appellatus præuenire potest.

QVIA terminus iuris datur ad appellationem prosequendam, & finiendam. infr. Clem. sicut. Sed terminus hominis datur ad illam tantum prosequendam. supr. c. cum sit. Et quoniam si appellatus non posset talem iuris terminum præuenire, lis reduceretur ita in extremo, vt intra illum terminum non posset finem habere. Io. Andr. hic. Ideo licet appellatus non possit præuenire illum terminum hominis, bene potest præuenire hunc terminum iuris. vt in tex. & Authent. ei, qui. C. de temp. appell.

DVM.

DVM MODO nimium non præcurrat.

QVIA si appellatus nimium præcurreret hunc terminum, videretur velle appellantem supplantare, cui ad prosequendam appellationem, à iure datus est annus. vt in tex. Et quoniam iste annus principaliter datur appellanti, quia ipse agit, & cum tendat ad infirmationem sententiæ, debet multa probare; appellatus verò, cum se defendat, & nil aliud expectet, nisi confirmationem sententiæ, intra breue tempus, puta intra mensem, præsumitur, quod possit omne ius suum deducere. d. Authent. ei, qui. Et indultum à iure beneficium non est alicui auferendum. c. indultum. de reg. iur. in 6. Ideo hunc terminum non potest appellatus nimium præuenire. vt in tex. & l. fin. §. illud. C. de temp. appell.

ET vbi ex dilatione imminet periculum, etiam neutra parte prosequente, potest iudex ad quem supplere, partes compellendo ad prosecutionem.

QVIA licet iudex non debeat ad vtilitatem priuatam suum officium interponere, nisi petatur. l. 4. §. hoc autem. ff. de damn. infect. Tamen quoniam vbicunque vertitur periculum animarum, vel reipublicæ, ipse potest supplere etiam in causis priuatis. c. cum nobis. de elect. & l. 1. ff. de damn. infect. Ideo si ex huiusmodi dilatione iudex ad quem viderit aliquod tale periculum imminere, potest partes ad appellationem prosequendam compellere. vt in tex. & cap. fin. de iudic. Et hoc quo ad terminum moderandum per iudicem ad quem, secus est in iudice à quo, nam ipse potest semper restringere terminum iuris, respectu appellationis prosequendæ. sup. c. personas. & c. cum sit. Et ratio, cur in hoc plus indulgeatur iudici à quo, quàm iudici ad quem, est, quia iudex à quo sæpe grauatur per appellationem indebitè interpositam, ideo in hoc releuatur per termini restrictionem; sed iudex ad quem nullum potest prætendere præiudicium, cum adhuc nulla pars eum de iniustitia inculpet, ideo non tantum ei indulgetur. infr. c. vt debitus.

Cap. 58. Per tuas.

ALTERA parte contumaciter absente, potest iudex appellationis etiam principale negotium definire, si post litem contestatam fuerit appellatum.

QVIA iudex ad quem succedit loco iudicis à quo. infr. c. prox. Et quoniam quando post litem contestatam aliquis est contumax, si aliàs liquebat de causa, iudex à quo sententiam potuisset diffinitiuam ferre. cap. prout. de dol. & cont. Ideo licet, data præsentia vtriusque partis, debeat etiam coram iudice ad quem libellus offerri,

& lis conteſtari. c. Raynaldus, & ibi gloſ. ver. conteſtata. de teſtam. & c. ſi autem. 2. q. 6. vbi tamen altera pars contumaciter eſt abſens, ſi lis fuit conteſtata coram iudice à quo, poteſt iudex ad quem procedere, ſine alia litis conteſtatione, nam conteſtatio prius facta poteſt referri ad articulum, de quo nunc coram iudice iſto ſubrogato tractatur. vt in tex. & l. fin. ſ. illud. C. de temp. appell.

Cap. 59. Vt debitus.

APPELLANS ante ſententiam, tenetur exprimere cauſam rationabilem coram ipſo iudice à quo.

QVIA in cauſa appellationis concurrunt quatuor perſonæ, ſcilicet, appellans, appellatus, iudex à quo, & iudex ad quem; & quiſque eorum, ſecundum quod tangit eum, debet conſiderare, & diſcernere, an cauſa appellationis ſit probabilis; nam appellans debet hoc intra ſe diſcutere, ne temerè appellet. ſup. c. ſuggeſtum. Appellatus diſcutiet, ad videndum, an appellationem approbare, & ei conſentire debeat. ſup. c. ſæpe. Iudex à quo debet aduertere, an appellationi habeat deferre, nam ſi non defert legitimæ appellationi, venit puniendus. ſup. cap. de priore. & l. quoniam. C. eod. ſi defert appellationi friuolæ, etiam debet puniri. c. ei, qui. 2. q. 6. Iudex ad quem habet finaliter diſcernere iudicialiter, & ſententiare, an appellatio ſit legitima, & ſi minus bene pronunciat, poteſt ab eo ſecundò appellari. infr. c. ſententia. Et quoniam prouidendum eſt iudicum dignitati, ne eorum tribunal per friuolam appellationem illudatur, & ne ab eis indebitè recedatur. l. cui muneris. ff. de muner. & honor. Et conſulendum eſt litigantium incolumitati, ne loco iuſtitiæ iniurias, & iniuſtitiam in iudicijs reportent. infr. c. cum ſpeciali. & l. 1. ff. de appell. Ideo vt debitus honor iudicibus deferatur, & litigatoribus ſuper laboribus, & expenſis conſulatur, ſtatuitur, vt ſi quis coram idoneo iudice conuenerit aduerſarium, ille ante ſententiam, ad ſuperiorem iudicem abſque rationabili cauſa non prouocet, ſed coram illo ſuam iuſtitiam proſequatur; & cum ex rationabili cauſa putauerit appellandum, coram eodem iudice, cauſa probabili appellationis expoſita, tali videlicet, quæ ſi foret probata, deberet legitima reputari, ſuperior de appellatione cognoſcat; Et ſi minus rationabiliter eum appellaſſe conſtiterit, illum ad inferiorem remittat, & in expenſis alteri parti condemnet; alioquin ipſe procedet; ſaluis conſtitutionibus de maioribus cauſis ad Sedem Apoſtolicam referendis. vt in tex. & infr. c. interpoſita; Et ad hoc vide Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 20. & ſeſſ. 13. cap. 1.

NEC admittitur exceptio, quòd prius miſerit nuncium ad Sedem Apoſtolicam.

QVIA

QVIA licet accedens ad Papam, sit sub eius protectione, vt interim in partibus contra eum non procedatur. sup. c. dilecti. Tamen quoniam illud est priuilegium datum ei, qui propria persona arripit iter. infr. tit. prox. c. vnic. Et priuilegium est strictè interpretandum. c. sanè. de priuil. Ideo per illud non est tutus appellans ante diffinitiuam, si dicat, se nuncium misisse ad curiam, & aliam rationabilem causam appellandi non exprimat. vt in tex. & Innoc. hic.

VEL quod literas impetrauerit, quæ nondum sunt iudici præsentatæ.

QVIA iudex per istas literas impetratus, non priùs dicitur iurisdictionem cum effectu recepisse, quam ei fiat ipsæ literæ præsentatæ. sup. c. super eo, il 2. Et quoniam iudex, à quo appellatur, præuenit illum in exercitio iurisdictionis. c. gratum. de offic. deleg. Et vbi incæptum est iudicium, ibi & finem accipere debet. l. vbi acceptum. ff. de iudic. Ideo qui coram iudice competenti fuit conuentus, non excusatur, si postea dicat, se literas impetrasse, per quas causa alteri committatur, & literæ illæ non fuerunt delegato assignatæ. vt in tex. & c. penult. de for. comp.

Cap. 60. Cum cessante.

SI iudex, à quo est appellatum à grauamine, illud reuocat, potest in principali causa procedere.

QVIA causa immediata appellationis est grauamen, quod à iudice infertur, ad quod remouendum illa fuit instituta. sup. c. suggestum. & l. 1. ff. eod. Et quoniam cessante causa, cessat effectus. c. magnæ. de vot. & l. generaliter. C. de episc. & cleric. Ideo si iudex ordinarius, vel delegatus aliquid comminando, vel interloquendo protulerit, quo executioni mandato, alter litigantium grauaretur, & sano vsus consilio, ab huiusmodi interlocutionis, vel comminationis effectu destiterit, liberè in causæ cognitione procedere potest, non obstante, si à tali comminatione, vel interlocutione fuerit appellatum, dummodo non sit ex alia legitima causa suspectus; ne processus negotij friuolis occasionibus retardetur. vt in tex. & l. quod iussit. ff. de re iudic. An autem indistincte iudex possit interlocutoriam reuocare? Dic, quod ad petitionem partis læsæ, non potest, nisi intra decendium, c. cum dilectus. de elect. nam postea quo ad ipsam partem, transit in rem iudicatam, sicut diffinitiua. c. significauerunt. de testib. Sed ipse iudex regulariter potest ex officio illam reuocare vsque ad sententiam diffinitiuam, quia tanto tempore durat eius iurisdictio in principali. infr. c. fin. in 6. vbi tamen interlocutoria est executioni mandata, iudex non potest illam reuocare, nisi partibus consentientibus, vel causa cognita. Bart. in d. l. quod iussit. Diffinitiuam autem non potest reuo-

care regulariter, etiam ante lapsum decendij. l. iudex. ff. de re iudic. quia per diffinitiuam iudex functus est officio suo, & in illa causa desinit in iudicando eius iurisdictio. c. literis. de offic. deleg. Et diffinitiua fertur cum maiori maturitate, quàm interlocutoria, vnde etiam ob hanc causam debet difficilius reuocari. d.l.iudex. Sunt etiam aliqui casus speciales, in quibus iudex non potest suam interlocutoriam reuocare; Primus est, quando interlocutoria habet vim diffinitiuæ. Bart. in l. Titia. ff. de accusat. Secundus, quando finitur iudicis iurisdictio, puta, si pronunciauit se non iudicem. c. significantibus. de offic. deleg. Tertius, si ab interlocutoria fuit bis appellatum, & semper confirmata. infr. Clem. fin. Quartus, si fuit lata de partium consensu, tunc non sufficit alterius consensus. sup. c. significante. Quintus, si iudex detulit appellationi, nam tunc iurisdictio est translata in superiorem. infr. c. cum appellationibus, in 6. Sextus, si aliter, finita iurisdictione, illa deuoluitur in alium iudicem, vt si ipse iudex noluit tradere apostolos intra legitimum tempus. c. super, & c. ab eo. infr. in 6. Septimus, si iudex ad quem, recepta appellatione, inhibuit ipsi iudici à quo, ne procedat in causa. c. Romana. §. si verò, in 6. Et cum dicitur in tex. quod cessante causa, cessat effectus; intellige, cum cessat causa finalis; secus, si cesset impulsiua. c. ex parte. de conuers. coniug. & glo. in c. post translationem. de renunc. Item intellige, quando causa finalis est vnica, nam si sunt plures causæ finales alicuius effectus, seu constitutionis, quarum quælibet per se sufficit ad illum effectum producendum, licet vna cesset, non per hoc cessat effectus. Instit. de nupt. §. affinitatis. Secus dic, vbi quælibet causa per se distributiuè non sufficit ad illum effectum producendum, nam tunc si cessat vna causa, debet cessare effectus. c. frequenter. §. porrò. & §. si autem. vt lit. non contest.

Cap. 61. Cum speciali.

VOLENS iudicem recusare, debet coram eodem suspicionis causam probabilem proponere, & eam coram arbitris communiter eligendis probare.

QVIA sicut prouidendum est iudicis dignitati, ne sub friuolæ suspicionis prætextu recusetur. sup. c. super eo, il 2. ita est consulendum partium indemnitati, ne coram iudice iniquo, vel inimico, teneantur in causa respondere. sup. c. secundo requiris. Et quoniam proponendo rationabilem causam recusandi coram ipso iudice, & illam coram arbitris communiter eligendis probando; ita debitus honor iudici defertur, vt tamen pars, quæ ipsum allegat suspectum, non possit ab eo grauari. sup. c. vt debitus. Ideo si quis allegat, se iudicem habere suspectum, coram eodem causam iustæ suspicionis debet assignare, & ipse cum aduersario, vel si forte aduersarium non habeat,

cum

cum iudice arbitros communiter eliget, aut si communiter conuenire non possint, absque malitia ipse vnum, & ille alium eliget, qui de suspicionis causa cognoscant, & si nequiuerint in vnam concordare sententiam, aduocent tertium, vt quod duo ex ipsis decreuerint, robur obtineat firmitatis. Et ad id fideliter exequendum, sub inobedientiæ pœna adstringuntur. vt in tex. & c. suspicionis. de offic. deleg.

QVA non probata, sua iurisdictione iudex vtitur in principali.

QVIA defectus iuris, & defectus probationis, in iudicijs æquiparantur. c. fin. de iureiur. & l. qui accusare. C. de edend. cum in eis sit iudicandum secundum allegata, & probata. l. illicitas. ff. de offic. præsid. Et quoniam deficiente legitima causa suspicionis, non admittitur iudicis recusatio. sup. c. super eo, il 2. Ideo causa suspicionis legitima coram ipsis arbitris intra competentem terminum non probata, iudex sua iurisdictione vtetur. vt in tex. & c. legitima. infr. in 6. Vnde licet de iure ciuili sufficiat, iudicem allegare suspectum, & stetur recusatoris iuramento, quamuis suspicionis causam non assignet. l. apertissimi. C. de iudic. de iure tamen canonico, causa suspicionis est alleganda, & probanda. vt in tex. Alia differentia est etiam in hoc inter ius canonicum, & ciuile, quia de iure canonico potest iudex, etiam ordinarius in totum recusari, quamuis sit episcopus. c. si quis. de for. comp. sed de iure ciuili ordinarius non recusatur in totum, verùm ei datur adiunctus. *Authent. si verò. C. de iudic. nisi in casu l. vnic. C. si quacunque præd. pot.* qui tamen casus limitatur, prout per Bart. in l. vnic. ff. apud eum, à quo appell.

EA verò probata, remittit negotium ad superiorem.

QVIA immediatus superior regulariter supplet negligentiam, vel malitiam inferioris. c. quanto. de offic. ord. in 6. Et quoniam iudex, qui fuit recusatus, & suspectus fuit probatus, non est idoneus ad illam causam iudicandam. c. quod suspecti. 3. q. 5. Ideo causa suspicionis coram arbitris legitime probata, iudex recusatus non debet cognoscere de negotio, sed illud remittet ad superiorem, vt ipse in eo procedat, secundum quod fuerit procedendum. vt in tex. & sup. c. secundo requiris. Vnde appellatio, & recusatio æquiparantur quoad iurisdictionem ex legitima causa in superiorem transferendam. sup. d. c. super eo. & c. iudex. de offic. deleg. in 6.

VEL causam committit de recusatoris consensu.

QVIA quilibet ordinarius habet à iure facultatem, causam delegandi. c. pastoralis. de offic. ordin. & l. vnic. C. qui pro sua iurisd. Sed quoniam iudex, qui est parti suspectus respectu cognoscendi, potest verisimiliter prætendi suspectus etiam respectu delegandi,

nam posset delegare alicui magis suspecto : quæ tamen suspicio forsan probari non posset. c.suspicionis. de offic. deleg. Ideo vt ordinario, pro suspecto recusato, auferatur occasio committendi alteri suspecto, & vt recusatori impediatur via iterum recusandi, & litem protrahendi, si ipse ordinarius non remittat causam ad superiorem, poterit de recusatoris assensu illam alteri committere. vt in tex. & cap. si quis. de for. comp. Sed intellige, quod arbitri eliguntur ad cognoscendam causam suspicionis, quando illa est dubia. c. super. §. verum. de offic. deleg. & c. peruenit. 11. q. 1. nam si est euidenter frustratoria, iudex debet illam exceptionem spernere, & eam non admittendo, in causa procedere. c. 1. de iudic. Si est euidenter rationabilis, & clara, sine alia discussione est admittenda, ita vt ipse iudex ad nihil debeat se ingerere. c. accedens. vt lite non cont.

§. Porrò.

IN notorijs non admittitur appellatio.

QVIA in notorijs constat de iniquitate appellantis. sup. c. proposuit. Et quoniam appellatio non debet esse præsidium iniquitatis. sup. c. suggestum. Ideo quando alicuius excessus euidentia rei, vel ipsius confessione, aut alio modo legitimo est manifestus, si ille appellauerit, non est huiusmodi eius appellationi à iudice deferendum. vt in tex. & l. 2. C. quor. appell. non recip. Et ad hoc vide Concil. Trid. sess. 13. cap. 1.

IN dubijs causa probabilis coram iudice est exprimenda, quæ debeat legitima reputari.

QVIA sicut prouidendum est, ne quis in iudicio grauetur. l. 1. ff. eod. ita est consulendum, vt debitus honor iudicibus deferatur: & attendendum, ne friuolæ appellationis diffugio, causæ processus impediatur. infr. c. interposita. Et quoniam, cum ab interlocutoria appellatur, proponendo rationabilem causam appellandi coram ipso iudice à quo, & illam postea probando coram iudice ad quem, tam iudicum dignitati, & ordini iudiciario, quàm litigantibus, ne possint grauari, sufficienter prouidetur. sup. c. vt debitus. Ideo excessu dubio existente, debet appellans ab interlocutoria, causam probabilem appellationis coram iudice, à quo appellat, proponere; talem videlicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari. vt in tex. & d. c. vt debitus.

QVAM si non prosequitur, iudex à quo in causa procedat.

QVIA qui intra debitum tempus appellationem non prosequitur, censetur illam habuisse pro deserta, & perinde est, ac si non appellasset. sup. c. cum sit. & l. fin. §. illud. C. de temp. appell. Et quoniam quando à iudice ex iusta causa non receditur, vbi cæptum est iudicium,

ibi

ibi & finem accipere debet. l. vbi acceptum. ff. de iudic. Ideo appellans, intra terminum, secundum locorum distantiam, & temporis qualitatem, & naturam negotij, à iudice à quo moderatum, appellationis causam prosequi habet, quam si prosequi non curauerit, ex tunc ipse iudex, appellatione non obstante, in causa procedere potest, ad instantiam aduersarij, si appellans habet aduersarium, vel ex officio, si est causa, in qua iudex ex officio procedat. vt in tex. & supr. c. personas.

IDEM, si prosequitur, & non probat.

QVIA defectus iuris, & defectus probationis, in iudicijs æquiparantur. c. fin. de iureiur. & l. duo sunt. ff. de testam. tut. Et quoniam si non adest rationabilis causa, ante diffinitiuam appellari non potest. supr. c. vt debitus. Ideo si appellans in eius probatione defecerit, ad eum, à quo ipsum malitiosè appellasse præsumitur, est remittendus. vt in tex. & supr. c. reprehensibilis.

HAEC autem constitutio non extenditur ad regulares.

QVIA religiosi habent eorum speciales obseruantias, & constitutiones, quæ ipsorum leges existunt. c. ea, quæ, de stat. monach. Et quoniam non est eis danda occasio, vt contra votum obedientiæ, superioribus contradicant. c. placuit. 16. q. 1. nec eis est aperienda via, vt per tribunalia decurrant, & cum publico scandalo eorum defectus propalentur. supr. d. c. reprehensibilis. Ideo correctio, quæ fit religiosis de plano, & sine iudiciorum strepitu, secundum eorum regulas, per ea, quæ in hoc cap. statuuntur, non intelligitur immutata. vt in tex. & simile. supr. in c. ad nostram.

Cap. 62. Cum causam.

SI iudex confessionem aduocati, eadem die reuocatam, pro litis contestatione velit habere, licitè appellatur.

QVIA confessio aduocati, cum ipse in hoc non habeat mandatum, non præiudicat clientulo, nisi illam approbet. l. 1. C. de error. aduoc. Et quoniam si clientulus illam reuocat eadem die, antequam alium actum in iudicio faciat, apparet, quod ipse eam non approbat. c. olim, & ibi glos. de censib. Et iudex, qui illam reuocationem non admitteret, sed per eam vellet esse litem contestatam, partem grauaret. c. vnic. de lit. contest. Ideo ab huiusmodi grauamine licitè appellatur. vt in tex. & c. cum olim, il 1. de offic. deleg. Et circa reuocationem confessionis, quæ fit in iudicio, distingue, quod aut quis vult reuocare confessionem propriam, prætextu erroris, & oportet, quod probet errorem, & licitum est, eam reuocare vsque ad sententiam diffinitiuam. c. fin. de confess. & l. error. C. de iur. & fact. ignor. Et hoc intellige, quando vult illam reuocare ex interuallo, nam incontinenti, non est

necesse

neceſſe probare errorem.c.præterea.de teſtib.cog. Aut vult reuocare confeſſionem aduocati, & tunc, aut illa præiudicat ad proceſſum, vt quia inducit litis conteſtationem, & ſic præcludit viam dilatorijs proponendis,& in tali caſu oportet, quod pars reuocet illam, antequam faciat aliquid,quod ſoleat fieri poſt litem conteſtatam. vt in tex.vnde ſi eadem die,certificatus de confeſſione aduocati, producit teſtes, vel aliquid aliud facit, quod ſoleat fieri poſt litem conteſtatam, videtur ipſo facto confeſſionem aduocati approbaſſe. Abb.hic.cum plus ſit aliquid facto approbare,quam verbo.ſupr.c.dilecti. Si verò præiudicat ad merita cauſæ,debet eam reuocare intra triduum.l.3.C.de error.aduoc. poſt triduum verò non poteſt,niſi velit docere de errore;nam ſicut docendo de errore,poteſt reuocare confeſſionem propriam vſque ad ſententiam. d. l.error. multo magis debet hoc poſſe in confeſſione aduocati. c.loci, & ibi gloſ.35.q.9. Si autem clientulus expreſſe approbaret confeſſionem aduocati,idem dicendum eſt in ea, quod in confeſſione propria. d. l.1. C. de error. aduoc. nam omnia noſtra facimus, quibus auctoritatem impartimur. c.ſi apoſtolicæ. de præb.in 6. & l.vnic. C. de nou.Cod. fac. Confeſſio autem facta à procuratore habente ad illam ſufficiens mandatum,cenſetur eiuſdem iuris cum confeſsione propria. c.fin.de confeſſ. Et de his vide Specul.de confeſſ.§.poſtremo.

SIMILITER, ſi iudex ratificat proceſſum à ſubdelegato ſubdelegati factum.

QVIA delegatus ab alio, quam à principe, cauſam alij ſubdelegare non poteſt.c.ſuper.§.ſi verò.de offic.deleg. & l.à iudice. C. de iudic. Et quoniam proceſſus factus ab eo,qui ad illum faciendum non habet poteſtatem;eſt inualidus. c.præſenti.de offic.leg.in 6. Et iudex,qui per illum in cauſa procederet, grauaret partem. Clem.vnic. de offic. deleg. Ideo ab huiuſmodi grauamine, & ratificatione proceſſus, poteſt legitimè appellari. vt in tex.& ſupr.c.cum ſpeciali.

Cap.63. Dilecto.

NON ſufficit appellanti docere, quod exceptionem legitimam, & veram oppoſuit, & appellauit, niſi doceat propter exceptionem non admiſſam appellaſſe.

QVIA in iudicio non poteſt appellari à grauamine futuro. infr. cap.interpoſita. etiam ſi quis appellaret ſub conditione,vt ſi me grauaueris, appello. Innoc. hic. Debet enim ſibi prius apparere,quod iudex eum effectualiter grauet,& poſtea appellare.ſupr.vt debitus. licet in appellatione extraiudiciali poſsit à futuro grauamine appellari. ſupr.c.bonæ. vbi Abb. enumerat duas concordantias, & quatuordecim differentias, quæ ſunt inter appellationem iudicialem,& extraiudicialem. Et quoniam qui appellat, antequam iudex ſuam propoſitam

exce-

exceptionem tacitè, vel expreſsè repellerit, non appellat à grauamine illato, ſed à grauamine, quod ſibi poſſet afferri, ſi exceptio illa non admitteretur. c. ex parte, & ibi gloſ. ver. teſtes. de teſtib. non enim probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe. l. neque natales. C. de probat. Ideo antequam iudex grauauerit propter iuſtam exceptionem non admiſſam, non poteſt appellari propter illam ſolum propoſitam, & de qua timetur, quod iudex forſan eam non admittet. vt in tex. & ſupr. c. cum ſpeciali. Dicitur autem iudex non admittere exceptionem, vel quando eam expreſſe repellit. infr. c. interpoſita. vel quando eam tacitè repellit, ad vlteriora procedendo. infr. c. ex parte. & Bart. in l. à procedente. C. de dilat. Sed quid ſi iudex nec expreſſe repellit, nec ad vlteriora procedit, ſed cauſa vexandi excipientem, malitioſe ſuperſedet? Dic, quod tunc remedium eſt, vt excipiens, iudicem tertiò humiliter requirat, vt exceptionem recipiat: quod ſi non fecerit, tunc excipiens poterit ab illa denegata iuſtitia appellare, quia iudex tunc denegando iuſtitiam, eum grauat. c. 1. de ſuppl. negl. præl.

Cap. 64. Nicolao.

APPELLANS, qui terminum appellationi præfigit, ſi mittit procuratorem ad impetrandum, & contradicendum tantum, & appellatio fuit recepta à iudice, vel approbata à parte, aduerſario legitimè proſequenti condemnatur in expenſis.

QVIA terminus, quem ſibi ipſi appellans præfigit ad appellationem proſequendam, obtinet vicem peremptorij. ſupr. c. ſæpe. Et appellatus, qui approbauit appellationem factam ad curiam, poteſt adſtringere appellantem ab interlocutoria, vt etiam in cauſa principali ibi ſtare teneatur. infr. c. 1. in 6. Et quoniam procurator conſtitutus ab appellante ad impetrandum, & contradicendum, non per hoc eſt ſufficienter conſtitutus ad appellationem proſequendam. c. veniens. de renunc. & paria ſunt, non comparere, vel comparere per procuratorem minus ſufficientem. l. quoties. ff. qui ſatiſd. cog. & inter alias pœnas contumacis eſt, vt reficiat expenſas eius culpa ab aduerſario comparente factas. c. ex literis. de dol. & cont. Ideo talis appellans, qui ſufficienter procuratorem non conſtituit, contumax reputatur, & aduerſario comparenti, & cauſam appellationis proſequenti, ad reſtituendas expenſas à tempore appellationis factas, eſt condemnandus, vt in tex. & ſupr. c. reprehenſibilis.

Cap. 65. Sua nobis.

AB eadem ſententia diffinitiua tertiò appellare non licet.

QVIA qui bis appellauit, & ſemper ſuccubuit, præſumitur, quod in illo articulo iniuſtam cauſam foueat, & quod ad litem protrahendam

hendam malitiosè appellet.l.vnic.& ibi glos. C.ne lic.in vna,ead.caus. ter.prou. Et quoniam appellatio non debet esse præsidium iniquitatis. supr c.suggestum. Et properandum est,ne lites fiant penè immortales, & vitæ hominum modum excedant. c.finem de dol.& cont.& l.properandum. C. de iudic. Ideo qui in duplici appellatione vnius articuli in causa succubuit, super illo amplius appellare non potest; sicut nec in causa principali,si duplicem sententiam in illa contra se reportauit, & dupliciter appellando,succubuit. vt in tex. & c. si autem. 2.q.6. Prouidere enim, vt intra competentem terminum litibus iustus finis imponatur,ne populi diù laboribus,& expensis vexentur, optimi principis est. Quod & summus Pontifex Paulus Quintus in præterito anno vigilantissimè effecit, Vrbis tribunalia reformando; & in præsenti MDCXIII. Serenissimus Franciscus Maria II. Vrbini Dux VI. inter alias constitutiones, quas ad subditorum vtilitatem edidit, maxima prudentia curauit, statuendo,vt ad causarum decisiones, non nisi textus iuris canonici, & ciuilis, eorumq. certi primarij expositores allegentur; ablatis tot varijs,contrarijsq. Doctorum opinionibus, & consilijs plerumq. ex nimio affectu datis,per quæ leges rationabiles,& claræ, quibus est iudicandum, in proprio fonte non inspiciuntur: & lites amputandæ, sæpe longiores, difficiliores q. redduntur.

Cap. 66. Dilecti, il 3.

APPELLATIO, omisso medio iudice, interposita, causam non deuoluit, exceptione opposita.

QVIA licet ad Papam, propter plenitudinem eius potestatis, qua est ordinarius omnium, possit appellari,omisso medio. c.ad Romanam.2.q.6.& c.cuncta.9.q. 3. ad alios tamen superiores,tam de iure canonico,quàm ciuili,regulariter est gradatim appellandum. c. anteriorum. §.illo.2. q.6.& l.Imperatores. ff.de appell.Et hoc fit, vt parcatur partium laboribus,& expensis.c.super quæstionum. §. porrò. de offic. deleg. & l.præcipimus.C.de appell. & vt medius iudex non videatur contemptus.c.metropolitanum.2.q.7. Sed quoniam appellare gradatim,non est de substantialibus appellationis, sed de circumstantijs.c.Romana §.2.infr.in 6. & circumstantiæ contractuum, & aliorum actuum,in quibus principaliter agitur de commodo contrahentium, per eorum pactum tacitum, vel expressum tolli possunt. c.1. de iuram. cal.& c.vnic. de commod. Ideo si excipiatur,quod appellatio sit,omisso medio, interposita,illa causam non deuoluit; sed si non excipiatur, appellatus censetur fauori suo renunciasse, & talis appellatio tenet. vt in tex.& l.1.§.si quis.ff.eod.Sunt tamen aliqui casus,in quibus propter specialem rationem appellatur ad superiorem mediatum, & tunc contra talem appellationem excipi non potest,quos notat Abb.hic. & Archid.infr.in c.1.in 6.

Cap.

Cap. 67. Ex parte, il 2.

SI is, qui desijt esse tutor, nomine pupilli conuenitur inuitus, poterit appellare.

QVIA qualificata causa qualificatum producit effectum. sup.cap. cum cessante. Et quoniam tutor conuenitur nomine pupilli ratione tutelæ. Institut. de tutel. §. 2. Et si is, qui desijt esse tutor, conueniretur super causis tunc inchoandis,grauaretur. Ita autem. §.si tutor. ff.de administr.& peric.tut. Ideo ob huiusmodi grauamen,potest is, qui desijt esse tutor, legitimè appellare. vt in tex. & sup. c.cum speciali. licet secus sit in causis inchoatis tempore, quo erat tutor, quamuis non sint finitæ, durante eius tutela; vnde illas prosequi tenetur, etiam post expiratam tutelam per aduentum pubertatis, nisi administratio sit translata in curatorem, cum tales causæ trahantur retro ad tempus, quo fuerunt inchoatæ.l.vnic.C. vt caus.post pub.ads.tut.

Cap. 68. Intimasti.

SI iudex de iure dubitans vult consulere superiorem, debet consultationis copiam partibus edere, aliàs eius verbis consultationis fides non adhibetur.

QVIA quando fit relatio superiori, causa consulendi eum de aliquo dubio in iure, non mittitur ad eum totus processus, ne ipse princeps nimium fatigetur in perspectione illius, sed solùm elicitur ex actis pūctus dubius,super quo de iure,quod iudici videtur dubium, principis interpretatio habeatur. l. 1.C.de relation. Et quoniam iudex posset in dubij formatione aliquam partem grauare,tacendo veritatem, vel falsitatem immiscendo. c.biduum, in fin. 2.q. 6. Ideo non statur relationi ipsius iudicis, nisi partibus dederit copiam de dubio, & de ipsarum assensu ille appareat formatus. vt in tex. & l. 2. C. de relat. Et hæc copia debet tradi authentica, vt in ea nihil possit immutari. c.quoniam. de probat.

Cap. 69. Significante.

SI ante litem contestatam circa principale negotium, iudex aliquid innouat, licitè appellatur.

QVIA iudex debet pronunciare secundum allegata, & probata. l. illicitas. ff. de offic. præsid. Et quoniam ante probationum receptionem, debet præcedere litis contestatio.c.quoniam.§.sunt. vt lit. non cont. Ideo si ante litis contestationem, & libelli porrectionem, iudex aliquid innouat ad partis vtilitatem, grauat alteram partem, & ob id ipsa licitè appellat. vt in tex.& c.exhibita. de iudic.

SIMILITER, si diem assignatam, sine causa præuenit.

QVIA

QVIA pendente dilatione, iudicis officium conquieſcit, niſi partes conſentiant, vel niſi noua cauſa emergat. ſup. c. reprehenſibilis. & l. ſiue. C. de dilat. Et quoniam indultum à iure beneficium non eſt alicui auferendum. cap. indultum. de reg. iur. in 6. Ideo ſi iudex, poſt datam dilationem, ante illius expirationem aliquid innouat, facit, quod non debet, & partem grauat, quæ ob huiuſmodi grauamen legitimè appellat. vt in tex. & ſup. c. ad aures.

ET ſi procurator datus ad impetrandum ſuper appellatione, non ſeruauit formam mandati, auditur appellans, etiam poſt annum.

QVIA procurator, qui excedit fines mandati, non præiudicat domino. c. cum olim. de offic. deleg. & l. ſi procurator. ff. de procur. Et quoniam qui ex iuſto impedimento non proſequitur appellationem intra annum, debet ad illam proſequendam habere alium annum. ſup. cap. cum ſit, & Authent. ei, qui. C. de temp. appell. Ideo qui non fuit negligens ad conſtituendum procuratorem ad impetrandum ſuper appellatione, non debet ex culpa ipſius procuratoris priuari alio anno ad appellationem interpoſitam proſequendam. vt in tex. & infr. cap. prox.

Cap. 70. Interpoſita.

AD iuſtificandam appellationem ex cauſa interpoſitam, probare oportet cauſæ veritatem coram iudice ad quem.

QVIA ſæpe cauſa, quæ in appellatione allegatur, eſt legitima, & tamen appellatio illa non eſt admittenda, quia cauſa illa eſt falſa. ſup. c. vt debitus. puta, ſi quis excipiat contra actorem, quod eſt excommunicatus, qui tamen non ſit. c. 1. de except. in 6. Et quoniam appellatio non debet eſſe præſidium iniquitatis. ſup. c. ſuggeſtum. Ideo interpoſita appellatione ex cauſa probabili, non ſufficit appellanti probare, quod ex cauſa huiuſmodi prouocauit, ſi eam non doceat eſſe veram. vt in tex. & c. olim. de except.

NISI fuerit coram iudice à quo, oblata probatio, & reiecta.

QVIA quando quis offert, ſe probaturum incontinenti, purgatur omnis præſumptio, quæ poterat eſſe, quod ad differendum iudicium, cauſa illa fuerit ab appellante malitioſè interiecta. c. prudentiam. §. ſexta. de offic. deleg. cum in mora modici temporis non ſit periculum præſumendum. l. ſi debitori. ff. de iudic. Et quoniam iudex, qui huiuſmodi oblatam probationem reijcit, oſtendit ipſo facto ſuam iniquitatem, & etiam in hoc grauat partem. ſup. c. cum ſpeciali. Ideo ad iuſtificandam appellationem, ſufficit appellanti probare, quod à iudice non fuit admiſſus ad probandum in continenti cauſam grauaminis,

minis, licet modò illius cauſæ veritatem probare nolit. vt in tex. & c. ex parte. de teſtib.

§. Eidem.

SI appellatio non fuit recepta à iudice, vel approbata à parte, ſufficit appellanti mittere procuratorem ad impetrandum, & contradicendum, licet pars appellata ſit parata in curia proſequi.

QVIA vbi appellationi non eſt à iudice delatum, vel illa non eſt à parte approbata, cauſa non deuoluitur ad curiam, ad finem, vt ibi tractari debeat, ſed vt ſuper illa iudex debeat dari in partibus. infr. c. 1. in 6. Et quoniam quando cauſa non eſt neceſſario ibi tractanda, appellans habet iuſtam excuſationem veniendi non paratus. Archid. in d. c. 1. col. 4. Et fuit in poteſtate appellati, vt approbaret appellationem, ſi volebat cauſam illam in curia tractari. ſup. c. Nicolao. Ideo ſibi imputet appellatus, ſi poſtea non poteſt adſtringere appellantem ad cauſam in curia proſequendam, ſed ei ſufficit mittere procuratorem ad contradicendum appellato, & ad iudicem commiſſarium in partibus impetrandum. vt in tex. & ſup. c. ſæpe. Sit ergo cautus, qui appellat, circa duo; primò, quod cum appellat ex cauſa probabili, vt offerat, eam ſe probaturum, quia in appellatione releuabitur, quod non oportebit, eum probare, cauſam eſſe veram. ſup. §. prox. Item in alio, quòd cum recipitur appellatio à iudice, vel ab aduerſario approbatur, proſequatur cauſam per ſufficientem procuratorem ad totam cauſam, ne ex defectu mandati, condemnetur in expenſis alteri parti eam proſequenti. infr. c. 1. in 6.

§. Ille denique.

ANTE inchoatam proſecutionem appellationis, appellans poteſt, ſi vult, inuito appellato, petere, vt remittatur ad iudicem à quo.

QVIA ſolùm in fauorem appellantis, qui prætendit eſſe grauatus, & præſumitur habere iudicem indignatum, fuit ſtatutum, vt ſi non conſtat, eſſe male appellatum, ad eum non remittatur, à quo appellauit. ſup. c. accepta. appellatus enim, qui ſententiam approbauit, de ipſo iudice ſe confidere demonſtrat. ſup. c. vt debitus. Et quoniam fauori pro ſe introducto quilibet renunciare poteſt. c. ad apoſtolicam. de regular. & l. ſi quis. C. de pact. Et iuſtæ pœnitudinis humanitas non eſt amputanda, vbi de alterius præiudicio non tractatur. c. ei, qui. 2. q. 6. Et appellans poſſet non probare cauſam appellationis ab interlocutoria, & ſic eſſet remittendus ad iudicem à quo. ſup. c. vt debitus. Ideo ille, qui vocem appellationis emiſit, cuius nondum eſt alij cognitio delegata, ad petitionem eiuſdem, ad eum, à quo prouocauit, de iure remittitur, contradictione partis alterius non obſtante. vt in tex. & l. ſi quis libellos. C. de appellat. Sed hoc intellige verum, ſi per iudicem

à quo

à quo non fuit appellationi delatum, nam si detuliſſet, non poſſent partes, etiam conſentientes, ad ipſum redire, niſi iudex ad quem cauſam remitteret, cum iuriſdictio ſit tunc ab eo quoad exercitium abdicata, & in iudicem ad quem transfuſa. c. cum appellationibus. infr. in 6. Re autem non integra, non poteſt appellans, in præiudicium appellati, appellationi renunciare. vt in tex. quia tunc appellatio eſt effecta communis, & de tali receſſu à iudice ad quem, poſſet appellatus ſentire incommodum. l. ampliorem. C. eod. Et in alterius detrimentum quis non poteſt mutare conſilium. c. mutare. de reg. iur. in 6.

SED condemnabitur in expenſis factis per partem aduerſam in illa appellatione.

QVIA qui appellationem intra debitum tempus non proſequitur, cenſetur temerè appellaſſe. Authent. ei, qui. C. de temp. appell. Et quoniam qui ab appellatione ſponte recedit, perinde eſt, ac ſi ipſe non fuiſſet appellationem proſecutus, altero proſequente. ſup. c. reprehenſibilis. Et victus, qui non habuit probabilem cauſam litigandi, eſt in ſui pœnam, & in aduerſarij releuamen, condemnandus in expenſis, quas ille eius culpa fecit in lite. c. calumniam. de pœnis. Ideo ille, qui ab appellatione, per ipſum interpoſita, ſponte recedit, eſt in legitimis expenſis, aduerſario, quas eum propter hoc feciſſe conſtiterit, condemnandus. vt in tex. & c. cum appellationibus. infr. in 6.

§. Sanè.

ARTICVLVS appellationis interpoſitæ à grauamine, diſcutitur per iudicem ad quem, parte abſente per contumaciam, etiam lite non conteſtata in appellatione, vel principali cauſa.

QVIA in hoc caſu iniquitas prioris iudicis principaliter arguitur, non autem de negotio principali, vel de facto aduerſarij agitur. vt in tex. Et quoniam ſi iuris rigor eſſet tunc requirendus, vt litis conteſtatio fieret cum parte contumaciter abſente, antequam appareat, quod ſit bene appellatum, ſequeretur, quod iudex ad quem ingereret ſe in negotio principali in caſu, quo forſan non eſſet bene appellatum, & ſic ad eum non eſſet principalis cauſa deuoluta. d. c. cum appellationibus. Ideo cum aliquis paratus eſt probare grauamen, propter quod appellauit, & pars aduerſa ſe contumaciter abſentat, poteſt ſuper hoc, lite non conteſtata, procedi, etiam ſi litis conteſtatio nondum facta fuerit in ipſo appellationis articulo, vel negotio principali. vt in tex. & l. fin. §. illud. C. de temp. appell. Quando tamen vtraque pars eſſet præſens, vt facilior haberetur de meritis ipſius appellationis cognitio, tunc eſſet etiã ſuper ea litis conteſtatio facienda. c. prudentiam. §. ſexta. de offic. deleg. & l. vnic. C. ne lic. in vna, ead. cauſ. ter. prou.

Cap.

Cap. 71. Inquisitioni.

CLAVSVLA, appellatione remota, in medio literarum posita, respicit præmissa, quibus annectitur, non sequentia, nisi repetatur in fine literarum; & hoc si negotia sunt separata.

QVIA clausula, per quam remouetur appellatio, est odiosa, cum tollat eam defensionem, quæ regulariter indulgetur. sup. cap. vt debitus. & l. 1. ff. à quib. appell. non lic. Et quoniam odia sunt restringenda. c. odia. de reg. iur. in 6. Et determinationes habent respectum tantum ad præcedentia, nisi sequentia sint illis connexa, & sit eadem ratio in vtrisque. sup. c. secundo requiris. Ideo quoties clausula, per quam tollitur appellationis remedium, in medio literarum ponitur; si sunt plura negotia se minimè contingentia, præmissa tantum complectitur, nisi fortè in fine literarum prædicta clausula iteretur. vt in tex. & Bart. in l. prætor, la 2. ff. vi bon. rapt.

Cap. 72. Vna sententia.

APPELLATIO vnius prodest alteri, si communi iure iuuentur, & idem sit negotium, & eadem defensionis causa, & sint eadem sententia condemnati.

QVIA in tali casu est eadem ratio vincendi in omnibus; & commune eorum factum non recipit separationem. c. ei, qui. §. quandoque. 2. q. 6. Et quoniam vbi est eadem ratio, idem ius constitui oportet. l. illud. ff. ad leg. aquil. Et iura sunt promptiora ad absoluendũ, quam ad condemnandum. c. fin. de iureiur. Ideo vna sententia pluribus condemnatis, si vnus solus ad appellationis beneficium conuolauerit, illius victoria iure communi cæteris suffragatur, si communi iure iuuentur, idemq. negotium, & eadem causa defensionis existat. vt in tex. & l. 1. C. si vnus ex plur. appell.

ALIAS secus.

QVIA si istæ circumstantiæ simul non concurrant, factum huiusmodi recipit separationem; & non est in omnibus illis eadem ratio vincendi. l. 2. C. si vnus ex plur. appell. Et quoniam res inter alios acta, regulariter alijs nocere, vel prodesse non debet. c. inter dilectos. de fid. instr. & l. 1. C. res inter al. act. Ideo si aliquid desit de istis requisitis, appellatio vnius alteri non prodest. vt in tex. & l. si qui. §. penult. ff. de appellat.

Cap. 73. Si iustus.

IVSTVS metus excusat adeò, quod non appellans habetur pro appellante, si fuerit protestatus, & appellationis causas duxerit exprimendas.

QVIA ſicut metus, qui poteſt cadere in conſtantem virum, operatur, vt ea, quæ ab huiuſmodi metuente fiunt, debeant pro infectis haberi. l. 1. ff. de eo, quod met. cauſ. & Ariſt. 3. Ethic. cap. 1. ita debet excuſare, ſi propter illum quis non facit id, quod aliter eſſet facturus. c. imputari. de reg. iur. in 6. Sed quoniam fictio non debet plus operari, quàm veritas. l. cum hæres. ff. de ſtat. lib. Et non quilibet metus excuſat metuentem. c. cum dilectus. de his, quæ vi, met. cauſ. fi. Ideo vt metus faciat, quem haberi pro appellante, debet eſſe iuſtus; & ipſe metuens debet intra tempus, quo licitè appellatur, coram iudice, à quo appellaſſe voluerat, vel ſi habere copiam ipſius nequiuit, in præſentia bonorum virorum proteſtari, quod propter talem metum non appellat, cauſas appellationis exprimendo. vt in tex. & l. 2. C. de his, qui per met. iud. non appell.

In Sexto. Cap. 1. Cordi.

APPELLANS ad Papam, in iudicio, vel extra, appellare debet in ſcriptis, & cauſam exprimere, & apoſtolos petere.

QVIA per ſcripturam obuiatur appellanti, vt ſi malitiosè vellet variare, & de nouo fingere appellationis cauſas, quod hoc facere non poſſit. c. ſaluberrimum. 1. q. 7. & l. contrahitur. ff. de pignor. Per cauſæ expreſſionem, prouidetur, vt poſſit animaduertere iudex, cui porrigitur appellatio, an illa ſit iuſta; & ſic, an appellantem admittere, vel repellere debeat. ext. c. vt debitus. vnde Papa in committendo appellationes à grauamine, ſemper ſcribit; ſi ita eſt. gloſ. hic. Per apoſtolos, ſiue libellos dimiſſoriales, qui dantur à iudice à quo, inſtruitur ſuperior, quare appellationi ſit delatum, vel quare non. infr. c. vt ſuper. & l. iudicibus. C. de appell. Apoſtolorum enim huiuſmodi, quinque ſunt ſpecies; nam alij ſunt conuentionales, quando ſcilicet, pars admittit appellationem, ſiue in iudicio, iudice refutante, vel tacente, ſiue extra iudicium. ext. c. ſæpe, & c. oblatæ. Alij ſunt teſtimoniales, quia teſtificantur de appellatione facta coram iudice, vel coram publicis, vel honeſtis perſonis. ext. c. fin. Alij ſunt dimiſſorij. c. ab eo, & c. poſt appellationem. 2. q. 9. per quos appareat, quod iudex appellationi detulit, & ſic partem à ſua manu, & iuriſdictione dimittit, & eam illi, ad quem appellatum eſt, mittit. l. vnic. ff. de libel. dimiſſ. Alij dicuntur refutatorij, per quos apparet, quod iudex non defert appellationi; & in ipſis refutationis cauſam iudex dicere debet. l. penult. & vlt. ff. de appell. non recip. Alij ſunt reuerendi, ſiue reuerentiales, quando ſcilicet,

cet, propter ſuperioris reuerentiam appellationi defertur. l. eos. §. ſuper his. C. de appell. Et de illorum formis, & dandi modis, vide Specul. de apoſtol. §. 1. Et quoniam ſummo Pontifici cordi eſt, lites minuere, & à laboribus releuare ſubiectos. vt in tex. & ſup. in proœmio ſexti Decretal. Et præcipue in cauſis, quæ ad Sedem Apoſtolicam deferuntur, eſt curandum, ne aliquid per ſubreptionem obtineatur. c. 2. extr. de reſcript. Cum inde debeat maxima iuſtitia expectari. c. nouit. extr. de iudic. Et propter multitudinem negotiorum, ea, quæ facti ſunt, ibi poſſunt probabilius ignorari. ſup. c. 1. de conſtit. Ideo vt in cauſis, quæ per appellationem ad Papam deuoluuntur, cautius agatur, ſtatuitur, vt ſi quis in iudicio, vel extra, ſuper interlocutoria, vel grauamine aliquo ad Papam duxerit appellandum, cauſam appellationis in ſcriptis aſſignare deproperet, petat apoſtolos, (quos ei ſummus Pontifex præcipit exhiberi) in quibus iudex, vel alius, ad quem ſpectat, cauſam appellationis exprimat, & cur appellatio non ſit admiſſa, vel ſi appellationi, forſan ex ſuperioris reuerentia, ſit delatum. vt in tex. Et in quantum hæc conſtitutio inducit aliqua de nouo, puta, quod in ſcriptis appelletur, & non ſufficiat, quod poſtea per notarium appellatio in ſcriptis redigatur, non extenditur, niſi in appellationibus, quæ ad Papam interponuntur. gloſ. hic. ver. ad nos. cum de eo hic exprimatur, & de alijs taceatur. vt in tex. Et quia hæc determinatio eſt pœnalis. d. gloſ. hic. ideo venit reſtringenda. c. odia. infr. de reg. iur.

SI vult, & petit appellatus, principales perſonæ per ſe, vel per procuratores inſtructos ſuper principali, accedere debent ad Papam.

QVIA appellans ante ſententiam, innuit appellationem eſſe legitimam, propter grauamen, quod ſibi prætendit eſſe illatum, & ſic cauſam eſſe deuolutam. extr. c. vt debitus. Et quoniam volenti non fit iniuria. l. 1. §. vſque adeo. ff. de iniur. Et Papa eſt ordinarius omnium. c. cuncta. 9. q. 3. Ideo poſt huiuſmodi appellationem interpoſitam, ſi voluerit appellatus, iudex, à quo appellatum eſt, debet ſecundum locorum diſtantiam, perſonarum, & negotij qualitatem, appellatori tempus proſequendæ appellationis aſſignare, & accedendi per ſe, vel procuratorem ad Sedem Apoſtolicam, cum rationibus, & monumentis ad cauſam ſpectantibus, vt ſi ſummo Pontifici viſum fuerit expedire, finito appellationis articulo, vel de partium voluntate omiſſo, procedatur in negotio principali, quantum de iure poterit, & debebit. vt in tex. & extr. cap. interpoſita. §. eidem. Appellans autem non poteſt efficere, inuito appellato, vt in curia cauſa principalis cognoſcatur. vt in tex. quia appellatus, qui non prouocat, ſed eſt prouocatus, ſatis adimplet officium ſuum, ibi proſequendo

articulum appellationis, quem appellans interposuit. extr. cap. Nicolao.

IN appellationibus à sententia diffinitiua interpositis, nil mutatur.

QVIA appellatio à diffinitiua, tam de iure canonico, quàm ciuili admittitur. extr. cap. super eo, il ». Et illa super negotio principali tantùm interponitur. l. 1. ff. eod. nec in ea est regulariter exprimenda causa, propter quam appellatur, sed sufficit dicere à tali iniqua sententia appello. ext. c. vt debitus. & l. eos, qui. C. eod. Et quoniam per multa iura est sufficienter dispositum, quid circa illam sit seruandum. infr. c. cum appellationibus. & leges sicut ex rationabili causa possunt immutari. c. non debet. extr. de consang. & affinit. ita sine euidenti vtilitate non debent variari. c. inter cunctas. de priuil. in extrauag. com. Ideo ea, quæ in appellationibus à definitiuis sententijs interpositis, antiquitas statuit, per hanc constitutionem non mutantur. vt in tex. vnde etiam hodie potest à diffinitiua, sine causæ expressione, & sine scriptura appellari. Archid. hic. Sed intellige, quod à diffinitiua non est necesse appellare in scriptis, si appelletur illicò post sententiam latam. l. litigatoribus. C. eod. nam si appellatur, postquam iudex ad alia se diuertit, est necesse etiam in ea appellare in scriptis. l. eos, qui. §. fin. C. eod.

DEMVM vtrique contrafacienti imponitur pœna.

QVIA iustum est, vt in eum iura insurgant, qui ius, & iudicem, & partem eludit. vt in tex. & l. fin. C. de sportul. Et quoniam, quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c. literas. extr. de temp. ordin. Ideo si appellator ab interlocutoria ad Papam, causam appellationis non expressit in scriptis, & apostolos non petijt, & per se, vel per procuratorem ad Sedem Apostolicam, cum scripturis facientibus ad causam, instructus non venit, reputabitur non appellans, & ad prioris iudicis redibit examen, in expensis legitimis condemnandus; Appellatus autem, qui approbauit causam principalem in curia prosequi, si id postea facere contempserit, & non venerit instructus, vt debebat, in eum, tanquam in contumacem, tam in expensis, quàm in causa (quantum à iure permittitur) procedetur. vt in tex. Et qualiter procedatur contra contumacem, reum, vel actorem, lite contestata, vel non contestata, vel quasi contestata, habetur in c. prout. ext. de dol. & cont.

Cap. 2. Legitima.

IVDEX, qui recusatur, statuit competens tempus arbitris, ad finiendam causam.

QVIA

QVIA sæpe contingit, quòd arbitri, à partibus secundum formam iuris electi, ad cognoscendam causam suspicionis contra iudicem assignatam, plus debito illius decisionem protrahunt, & interim ad cognitionem negotij principalis non proceditur. vt in tex. & c. super quæstionum. §. fin. ext. de offic. deleg. Et quoniam prouidendum est, vt lites terminentur, & non fiant penè immortales, & vitæ hominum modum excedant. c. finem. ext. de dol. & cont. & l. properandum. C. de iudic. Ideo vt huiusmodi morbo medela necessaria adhibeatur, statuitur, vt ipsis arbitris per iudicem, qui recusatur, competens terminus præfigatur, intra quem in idem conueniant, vel tertium concorditer aduocent, cum quo ambo, vel alter eorum, eiusdem suspicionis negotium terminare procurent. vt in tex. & c. suspicionis. ex. de offic. del. Et de forma, quam ius dat ad eligendos arbitros, qui cognoscant causam suspicionis allegatam contra iudicem, habetur in c. cum speciali. ext. de appell. & Specul. de recusat. §. fin.

QVO elapso, si finita non fuerit, in principali negotio procedit.

QVIA recusatio iudicis, & electio facta de arbitris ad causam suspicionis propositæ cognoscendam, non priuant ipsum iudicem habitu iurisdictionis, sed tantùm illius exercitium suspendunt. c. iudex. sup. de offic. deleg. Et quoniam non est ferendum, vt in præiudicium negotij principalis, illius iurisdictio sit diu in suspenso. extr. c. secundo requiris. Ideo statuitur, vt si arbitri intrà competens tempus eis ab ipso iudice assignatum, suspicionis causam non determinauerint, ex tunc iudex ipse in negotio principali procedere non omittat. vt in tex. & ext. c. cum speciali.

Cap. 3. Cum Romana.

DE officiali Episcopi non appellatur ad Episcopum.

QVIA audientia, siue tribunal episcopi, & eius officialis, siue vicarij generalis, vnum, & idem est censendum. c. 2. sup. de consuet. Et quoniam de substantia appellationis est, vt interponatur de minori iudice ad maiorem. l. 1. §. si quis. ff. eod. Et si à tali officiali appellaretur ad ipsum episcopum, appellatio videretur interposita ab eodem ad seipsum. vt in tex. Ideo de vicario generali ad episcopum non potest appellatio interponi. vt in tex. & d. c. 2. de consuet.

SED ad Archiepiscopum.

QVIA appellatio est regulariter interponenda gradatim à iudice inferiori ad proximum superiorem. c. anteriorum. §. illo. 2. q. 6. & l. præcipimus. C. de appell. Et quoniam proximus superior Episcopi, est Archiepiscopus. c. 1. de offic. ord. in 6. Ideo de vicario generali Episcopi, ad Archiepiscopum licitè appellatur. vt in tex. & c. pastoralis. ext.

de offic.ord. Ad Papam tamen poteſt appellari, etiam omiſſo medio. extr. c.ſi duobus.& c. ad Romanam.2.q.6. quia ipſe eſt ordinarius omnium. c.cuncta.9.q.3. Et ſimiliter in prouincia poteſt non gradatim appellari ad legatum Papæ.c.1.ext.de offic.leg.quia ipſe concurrit cum omnibus illius prouinciæ ordinarijs, cum in illa gerat vices Papæ.cap. legatos. de offic.leg.in 6.

§. Ab Archidiaconis.

DE ſubdito Epiſcopi, ad ipſum, non ad Archiepiſcopum appellatur.

QVIA Epiſcopus eſt proximus ſuperior, & ordinarius ſuorum ſubditorum.c.1.ext.de offic.ord.non autem Archiepiſcopus, qui non habet iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, niſi in quibuſdam caſibus exceptis. c.paſtoralis.d.tit.Et quoniam appellatio eſt regulariter interponenda gradatim.d.c.anteriorum. Ideo ab Archidiaconis, alijsq. inferioribus prælatis epiſcopo ſubiectis, ad ipſum epiſcopum, non autem ad Archiepiſcopum, omiſſo epiſcopo, eſt appellandum. vt in tex.& c.1.de offic.ordin.in 6.

NISI aliud eſſet de conſuetudine.

QVIA appellare gradatim, non eſt de ſubſtantialibus appellationis, ſed de circumſtantijs. gloſ.in cap.2.ſup.de conſuet. Et quoniam conſuetudo dat iuriſdictionem.c.cum contingat.extr. de for. comp. Et circumſtantiæ contractuum, & aliorum actuum, poſſunt per conſuetudinem immutari.c.ex literis.ext. de conſuet. Ideo Archiepiſcopo poteſt competere, vt ad eum appelletur de ſubdito epiſcopi, omiſſo epiſcopo. vt in tex.& c.1.ſup.de for.comp.

§. Cum autem.

ARCHIEPISCOPVS cauſam appellationis ab epiſcopo interpoſitæ non debet committere, vel partes citare, niſi in appellatione probabilis cauſa ſit expreſſa.

QVIA ſi in appellatione ante diffinitiuam, cauſa rationabilis appellandi non exprimitur, appellatio illa non eſt valida. ſup.cap. prox. Et quoniam appellatio fruſtratoria iuriſdictionem non deuoluit.ext. c.vt debitus. & Archiepiſcopus non habet regulariter iuriſdictionem in ſubditos ſui ſuffraganei, niſi per legitimam appellationem. ſup. de for. comp. c. 1. Ideo ſi in appellatione interpoſita ab interlocutoria à ſubditis ſuffraganei, non ſit rationabilis cauſa appellandi expreſſa, Archiepiſcopus circa illam cauſam ſe intromittere non poteſt. vt in tex.& c.duo ſimul.ext.de offic.ordin.

§. Si

§. Si verò.

SI negetur per appellationem negotium deuolutum, non inhibebit Archiepiſcopus iudicem principalis cauſæ procedere, niſi prius de deuolutione conſtiterit.

QVIA prius debet de fundamento iuriſdictionis conſtare, quàm ad illius exercitium procedatur. c. ſuper literis. extr. de reſcript. Et quoniam poſſet eſſe, quòd quis non appellauerit, licet dicat ſe appellaſſe, vel quod non appellauerit intra debitum tempus, & cum debitis requiſitis, & ſic ad iudicem ſuperiorem non eſſet iuriſdictio deuoluta. infr. c. non ſolum. Ideo ſi vocatis partibus, vel nullatenus, aut non intra decem dies poſt interlocutoriam, vel diffinitiuam ſententiam appellatũ fuiſſe, ſeu aliquid aliud ſimile opponatur, ſicq. non eſſe per appellationem ad ipſum Archiepiſcopum, vel eius officialem, deuolutum negotium proponatur; ijdem (niſi prius ipſis conſtiterit, cauſam ipſam ad eos totaliter fuiſſe delatam) prohibere, ne in cauſa illa, vel ne ad executionem procedatur ſententiæ, præſumere non debent. vt in tex. & ext. c. interpoſita. Iudex tamen à quo, quamdiu dubitatur, an per appellationem interpoſitam ſit ad ſuperiorem negotium deuolutum, aliquid innouare non debet, licet ad eum non emanauerit inhibitio. l. vnic. ff. nil nou. appell. interp. cum per ipſam appellationem eius iuriſdictio ſit ſuſpenſa. infr. c. ſi à iudice. & l. ſi cuius. ff. de appell. recip. vel non.

§. Quod ſi obijciatur.

SI dicitur ex iniuſta cauſa appellatum, Archiepiſcopus inhibere non poteſt, niſi prius recepta appellatione, vt probabili, incipiat cognoſcere de cauſæ veritate.

QVIA appellatio interpoſita ex iniuſta cauſa, non eſt valida. ex. c. vt debitus. Et quoniam antequam iudex ad quem inhibeat iudici à quo, debet conſtare, quod ad eum ſit per appellationem cauſa deuoluta. ſup. §. prox. & c. dilectus, il 2. & ibi gloſ. ext. de reſcript. Ideo ſi obijciatur, ex iniuſta cauſa, ſeu minus legitima, ante ſententiam appellationem interpoſitam extitiſſe, & ex eo non eſſe appellationem huiuſmodi admittendam; nequeunt Archiepiſcopus, vel eius officialis prohibere, ne procedatur in cauſa, niſi prius appellatione, velut emiſſa ex cauſa probabili, cognoſcere incipiant de cauſa huiuſmodi, an ſit vera. vt in tex. & infr. c. non ſolum.

§. Si autem.

LICET dicatur appellatum à diffinitiua in caſu prohibito à iure, ex quo de hoc Archiepiſcopus cognoſcere cœperit, poteſt inhibere, ne ſententia executioni mandetur.

QVIA *in iudicio exteriori, in quo iudicandum eſt ſecundum allegata, & probata. l. illicitas. ff. de offic. præſid. non ſufficit aliquid dicere, niſi illud legitimè probetur. c. cum ſuper. ext. de conceſſ. præb. Et quoniam ex quo de appellatione incœpit cognoſcere ſuperior, videtur ineſſe aliqua cauſa ad ſuperſedendum ab inferiori, licet aliàs appellatio minus iuſta videretur. l. vnic. & ibi gloſ. ff. nil nou. appell. interp. Ideo ſi poſt ſententiam in caſibus à iure prohibitis (vt potè à ſententia ſuper manifeſto, & notorio crimine, vel de quo quis in iure confeſſus extitit, promulgata, vel conſimilibus) appellatum fuiſſe dicatur, poſſunt Archiepiſcopus, & eius officialis, ne ſententia executioni mandetur (poſtquam cognoſcere cœperint, vtrum ſit recipienda, vel non appellatio ab epiſcopo ad Archiepiſcopum interpoſita) ipſi epiſcopo licitè inhibere. vt in tex. & infr. c. non ſolum. Caſus autem, in quibus ius prohibet appellare, notantur ſub his verſibus.*

Appellare vetant ſcelus, excellentia, pactum,
Contemptus, minima res, interdictio facta,
Arbitrium, res, quæ perit, & ſi longius acta. gloſ. hic.

Et exponuntur iſti verſus ſic. Scelus. vt ext. c. cum ſit. & c. cum ſpeciali. Excellentia, quia à ſententia Papæ, vel Imperatoris non appellatur. c. anteriorum. 2. q. 6. & l. 1. ff. à quib. appell. non lic. Pacta, quia promiſerunt partes non appellare. c. cum dilectus. ext. de arbitr. & l. fin. §. fin. C. de temp. appell. Contemptus contumacis in non veniendo. c. de illicita. 24. q. 3. Minima res; quod procedit ſecundum leges ciuiles. Authent. de appell. §. illud. coll. 4. Secus ſecundum canones, qui admittunt appellare etiam in minimis. c. de appellationibus. ext. eod. Interdictio Papæ, vel Imperatoris. ext. c. inquiſitioni. & l. 1. ff. à quib. appell. non lic. Arbitrium, cum partes in aliquos arbitros, voluntariè conſenſerint. c. à iudicibus. 2. q. 6. & l. 1. C. de arbitr. Res, quæ perit. vt in c. ei, qui. §. ſi quis etiam. 2. q. 6. & l. penult. & fin. ff. de appell. recip. vel non. Et ſi longius acta, quia non licet poſt decem dies. ſup. §. ſi verò. & Authent. de appell. §. 1. coll. 4. Item ſi neglexerit proſequi. extr. c. cum ſit. quod intellige, vt not. ext. in c. directè. & de contumace intellige, vt not. in Clem. ſi ante. de dol. & cont.

§. In alium.

ARCHIEPISCOPVS in tertiam perſonam (poſt inhibitionem ſuam in cauſa, per appellationem delata ad ipſum) aliquid innouantem, iuriſdictionem exercere non poteſt.

QVIA res inter alios acta, alijs nocere non debet. c. cum ſuper. extr. de re iudic. Et quoniam Archiepiſcopus non habet regulariter iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganei, niſi per appellationem. c. paſtoralis, & ibi gloſ. ext. de offic. ord. Ideo in alium, qui circa rem, de qua inter appellantem, & appellatum controuerſia vertitur,

tur, aliquid poſt Archiepiſcopi inhibitionem attentat, non valet Archiepiſcopus occaſione huiuſmodi, iuriſdictionem aliquam vendicare. vt in tex. & l. vnic. C. qui pro ſua iuriſd. iud. par. poſſ. Quod intellige, niſi ille tertius Archiepiſcopi iuriſdictionem impediret. c. 1. infr. de pœnis. nam iudex omnia poteſt, ſine quibus eius iuriſdictio in illa cauſa commode exerceri non poteſt. c. 1. & c. præterea. extr. de offic. deleg.

§. Cum verò.

ARCHIEPISCOPVS appellantem, in alijs cauſis à iuriſdictione epiſcopi, non poteſt eximere.

QVIA appellatio non eximit appellantem à iuriſdictione iudicis à quo, niſi in eo tantum, ſuper quo fuit apellatum. extr. c. propoſuit. Et quoniam Archiepiſcopus non habet regulariter iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganei, niſi per appellationem. ſupr. cap. 1. de for. comp. Et nemo debet ponere falcem in meſſem alienam. c. venerabilem. extr. de elect. Ideo appellans ad Archiepiſcopum, in illa cauſa eſt exemptus à iuriſdictione ſui epiſcopi, ſed in alijs remanet ſub epiſcopo, nec poteſt ab eo eximi per Archiepiſcopum. vt in tex. & c. paſtoralis. extr. de offic. ord.

§. Debet.

AB epiſcopis in cauſis, in quibus iuriſdictionem temporalem habent, de iure debet ad Archiepiſcopum appellari.

QVIA eccleſiarum res, ſiue temporales, ſiue ſpirituales in diœceſi ſint, omnes de iure communi ſub epiſcopi diſpoſitione, & poteſtate exiſtunt. c. nouerint. 10. q. 1. & c. præcipimus. 12. q. 1. Et quoniam vbi eſt eadem ratio, idem ius conſtitui oportet. l. illud. ff. ad leg. aquil. Ideo ſicut de epiſcopo appellatur ad Archiepiſcopum in cauſis ſpiritualibus. ſupr. §. 1. ita ad eundem eſt appellandum in cauſis, in quibus epiſcopi ſuffraganei temporalem iuriſdictionem exercent. vt in tex. & cap. vnic. infr. de iurepatr. Si tamen iuriſdictio illa temporalis non eſſet totaliter tranſlata in eccleſiam, ſed eccleſia teneret locum illum in feudum ab Imperio, vel ab alio principe ſæculari, tunc ad ipſum principem ſuperiorem feudi eſſet appellandum. c. ſolitæ. extr. de maior. & obed. nam epiſcopus tunc cognoſcit cauſam, quaſi iudex ciuils. cap. verum. extr. de for. comp. & ob id ad ſuperiorem illius cauſæ appellatur. extr. eod. c. ſi duobus. §. fin. & de for. comp. c. ex tranſmiſſa.

NISI ſpeciale ius aliud inducat.

QVIA ius ſpeciale derogat generali. c. 1. extr. de reſcript. Et quoniam per conſuetudinem præſcriptam, & per priuilegium poteſt iuriſdictio auferri ab vno, & alteri acquiri. cap. cum contingat. extr. de for. comp. Ideo ſi de conſuetudine, aut priuilegio, ſiue alio iure ſpe-

ſpeciali, *in huiuſmodi cauſis*, ad alium ſit appellandum, quam ad Archiepiſcopum, tale ius ſpeciale erit attendendum. vt in tex. & c. 2. & ibi gloſ. ext. de delict. puer.

§. Sententias.

CENSVRAM eccleſiaſticam in appellantem prolatam per epiſcopum, archiepiſcopus reuocare non poteſt, niſi partibus vocatis, & de cauſa legitimè cognita.

QVIA quando archiepiſcopus aditur per viam appellationis, non habet iuriſdictionem, niſi primò iuſtificetur appellatio. ſup. §. cum autem. Et quoniam cauſarum merita, partium aſſertione panduntur. l. fin. C. ſi per vim, vel al. mod. & vbi vertitur partis intereſſe, regulariter illa ſemper eſt citanda. l. de vnoquoque. ff. de re iudic. Et quod cenſura prolata in appellantem, reuocetur, eſt in præiudicium appellati. extr. c. qua fronte. Ideo ſententias interdicti, vel ſuſpenſionis, ſeu excommunicationis in appellantem ab epiſcopo, à quo appellatur, promulgatas, nullatenus, niſi vocatis partibus, & de appellatione legitimè cognito, archiepiſcopus reuocare, aut nullas denunciare debet. vt in tex. & ſupr. §. ſi verò. Et intellige hoc verum, vbi periculum non eſt in mora. gloſ. hic. ver. reuocent. nam vbi vertitur animæ periculum; dilatio, ſiue mora eſt euitanda. c. ſacro. extr. de ſent. excom. vnde archiepiſcopus tunc poſſet abſoluere à cenſura, antequam cognoſceret de appellatione, præſtita per appellantem, in quem lata eſt cenſura, cautione ſaltem iuratoria, de ſtando iuri, ſiue obediendo mandatis eccleſiæ, & de reficiendo parti expenſas. infr. de ſent. excom. cap. venerabilibus. §. ſanè. non tamen poſſet per hoc, talem cenſuram eſſe nullam, tunc declarare. d. c. qua fronte.

§. Cum autem.

EX quo archiepiſcopus pronuntiauerit, male appellatum ante ſententiam, ſtatim debet cauſam ad ſuffraganeum remittere.

QVIA appellatio, indebite interpoſita ab interlocutoria, non deuoluit ad ſuperiorem, principalis cauſæ cognitionem. ext. cap. cum ſpeciali. & archiepiſcopus regulariter non habet iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganei, niſi per legitimam appellationem. c. paſtoralis. extr. de offic. ord. Et quoniam iniuria fit iudici, cum ab eius iudicio ante ſententiam ſine iuſta cauſa receditur. ext. c. interpoſita. & l. 1. ff. eod. Et appellatio non debet eſſe præſidium iniquitatis. extr. cap. ſuggeſtum. & vbi cœptum eſt iudicium, ibi & finem accipere debet. l. vbi acceptum. ff. de iudic. Ideo cum ad archiepiſcopum ab audientia ſuffraganei ſui, ſuper aliqua cauſa fuerit ante ſententiam appellatum; archiepiſcopus (poſtquam, de appellatione legitimè cognito, conſtiterit, eam minus rationabilem extitiſſe) cauſam ipſam ad eundem ſuffra-

ganeum

ganeum quamprimum remittere debet. vt in tex. & cap. 1. supr. de for. comp. Si tamen iudex à quo huic appellationi detuliſſet, non fiet ei neceſſario hæc remiſſio, cum ipſe iudex, quantum in ſe fuit, à ſe iuriſdictionem illam abdicauerit, vnde & totius cauſæ deciſio tunc eſt in ſuperioris poteſtatem transfuſa. infr. c. cum appellationibus. ſicut nec fiet neceſſario remiſſio, ſi fuerit à diffinitiua appellatum. gloſ. hic. ver. ante. quia iudex ad quem ſtatim aggreditur tunc cognitionem negotij principalis. extr. cap. vt debitus. & potius agitur de iam cognito exequendo, quàm de cognoſcendo. Archid. hic. vterque tamen iudex poterit ſententiam confirmatam executioni mandare. c. paſtoralis. §. præterea, & ibi gloſ. extr. de offic. deleg.

Cap. 4. Vt ſuper.

SI iudex requiſitus non tradit apoſtolos, & poſtea procedit in cauſa, non valet proceſſus.

QVIA quando iudex requiſitus non tradit apoſtolos, nullam habet excuſationem, quod partem appellantem, in hoc ſaltem, non grauet, & ſuperiorem non contemnat: cum illi ſint dandi, etiam ſi ſint refutatorij, vt per illos appareat, quare appellarioni ſit delatum, vel cur non ſit delatum. ſupr. c. cordi. Et quoniam ex tali denegatione iuſtitiæ, præſumitur malus animus ipſius iudicis, & quod appellatio interpoſita ſit legitima. infr. c. ab eo. Ideo vt ſuper appellatione, ac eius cauſa inſtructio facilior valeat in proceſſu haberi, debet ille, à quo appellatur, apoſtolos appellanti tribuere requiſitus; quos ſi non exhibuerit, ex tunc, ſi forte in cauſa procedat, eius inualidus, & irritus eſt proceſſus. vt in tex. & infr. c. ab eo. licet alias, inualiditas geſtorum poſt appellationem interpoſitam ab interlocutoria, pendeat ab exitu appellationis, ita quod geſta per iudicem à quo inter appellationem, & probationem grauaminis, non retractantur, niſi in fine appellationis, poſtquam per iudicem ad quem fuerit pronunciatum, bene appellatum, & male iudicatum. extr. c. vt debitus. & l. cum ex cauſa. ff. eod. niſi prius inhibitio ſit facta ipſi iudici à quo, per ipſum iudicem ad quem, nam etiam tunc geſta poſt inhibitionem, ſunt nulla, abſque alia expectatione ſententiæ. infr. c. non ſolum.

NISI renunciatum fuiſſet appellationi.

QVIA apoſtoli traduntur in fauorem appellantis. ſupr. cap. 1. Et quoniam iuri pro ſe introducto quilibet renunciare poteſt. cap. cum veniſſet. ext. de teſtib. & l. ſi quis. C. de pact. Et per appellationem, iudicis iuriſdictio non eſt extincta, ſed ſuſpenſa. c. paſtoralis. §. præterea. ext. de off. deleg. Ideo proceſſus factus à iudice à quo poſt renunciationem appellationis, eſt validus, licet ipſe iudex fuerit prius in culpa, non tradendo apoſtolos. vt in tex. & extr. c. cum ceſſante.

Cap.

Cap. 5. Cum appellationibus.

IVDEX appellationis, iniquè appellantem ante ſententiam, remittere debet ad iudicem principalem.

QVIA iniuriam facit iudici, qui ante ſententiam, fruſtratoriè ab eo appellat. cap. ſi quis. diſt. 50. & l. fin. C. quand. prouoc. non eſt neceſſ. Et quoniam debitus honor iudicibus eſt ſeruandus. extr. c. vt debitus. & vbi cæptum eſt iudicium, ſi ab eo licitè non recedituꝛ, ibi & finem accipere debet. l. vbi acceptum. ff. de iudic. Ideo cum appellationibus friuolis nec iuſtitia deferat, nec ſit à iudice deferendum, ſi iudex inferior appellationem minus legitimam non admittat, eam appellatore nihilominus proſequente, ſuperior de ipſa cognoſcens, cauſam ad priorem iudicem ſine difficultate remittere debet. vt in tex. & extr. c. interpoſita.

ET in expenſis condemnare.

QVIA victus, qui non habuit probabilem cauſam litigandi, eſt in ſui pœnam, & in victoris releuamen, in expenſis, quas eius culpa victor fecit in lite, à iudice condemnandus. c. calumniam. ext. de pœnis. & l. eum, quem. ff. de iud. Et quoniam præſertim ille, qui ante ſententiam iniuſtè appellat, præſumitur non ex rationabili cauſa, ſed ex malitia ad ſubterfugiendum iudicium, appellare. extr. c. vt debitus. Ideo talis appellans eſt alteri parti in expenſis, ab ea propter illam appellationem factis, condemnandus. vt in tex. & ſupr. cap. cordi. Sed quia litis expenſæ non petuntur, niſi officio iudicis mercenario. l. terminato. C. de fruct. & lit. expenſ. Et tale iudicis officium non poteſt implorari, niſi durante cauſa principali. l. Paulus, la 1. ff. de re iudic. Ideo talis condemnatio expenſarum debet fieri tempore prolationis ſententiæ ſuper inualiditate appellationis, vel ad minus eadem die. vt in tex. & d. l. Paulus. ſi enim fiat eadem die, cenſetur fieri tempore ſententiæ, quia ea, quæ incontinenti fiunt, videntur ineſſe. l. lecta. ff. ſi cert. pet.

ET hoc, ſi principalis iudex non detulerat appellationi; ſed ſi detulit, non fiet remiſſio de neceſſitate.

QVIA iudex à quo, quantum in ſe fuit, iuriſdictionem in illa cauſa à ſe abdicauit, appellationi minus iuſtæ deferendo: & totius cauſæ deciſio eſt ob id in ſuperioris poteſtatem transfuſa. vt in tex. vnde & talis reatus meritò debuit ab ipſo honorem excludere iudicandi. l. 1. C. vbi ſenat. vel clar. Sed quoniam talis delatio non inficit habitum iuriſdictionis, ſed tantùm exercitium illius; & non per reſpectum iudicis ad quem, ſed per reſpectum ipſius iudicis à quo, qui potuit

ſibi,

ſibi,& non alijs præiudicium generare.gloſ.hic.ver.refutari.& c.quamuis . ſupr. de offic deleg. Ideo ipſi iudici à quo non eſt cauſa vlterius de neceſſitare remittenda ; ſed ſi iudex ad quem illam remittere velit, eſt in eius arbitrio , vt eam remittere poſſit . vt in tex. & cap.is, qui. ſupr. de procur.

IN appellationibus interpoſitis à diffinitiua , antiqua iura ſeruantur .

QVIA cum appellatio à diffinitiua, tam de iure canonico,quàm ciuili admittatur,niſi ſit in caſu, in quo ius prohibet appellare, extr.c.ſuper eo,il 2. per plures canones, & leges fuit circa eam ſufficienter prouiſum. ſup.c.cordi.Et quoniam ab illis, quæ iuſtè ſtatuta ſunt,non eſt ſine rationabili cauſa in poſterum recedendum. extrau. com.de priuil.c.inter cunctas. Ideo hæc conſtitutio ſupplet circa ea, quæ deficiebant in appellatione ab interlocutoria;non autem mutat illa,quæ ſuper appellatione poſt diffinitiuam interpoſita,ſunt ſtatuta . vt in tex.& gloſ.fin.hic .

Cap. 6. Ab eo .

SI appellans, intra 30. dies inſtanter non petit apoſtolos , appellationi renuntiat .

QVIA apoſtoli iſti fuerunt principaliter inſtituti ad fauorem ipſius appellantis. ſupr. c. cordi. Sed quoniam, niſi tempus ei limitaretur ad illos petendos , ipſe poſſet nimium cauſam appellationis prorogare , & vtriuſque iudicis tribunal malitioſe euitare. l. quoniam. la 1. C. de appell. Ideo ad illos petendos tempus triginta dierum aſſignatur , intra quos , ſi appellans eos inſtanter non petit, cenſetur iuri ſuo renuntiaſſe, & de appellatione interpoſita pœnituiſſe , ac ab illa receſſiſſe. vt in tex.& c.ab eo,cum ſequ.2.q.6. Qui 30.dies numerantur à die latæ ſententiæ,ſi illa ſit lata contra præſentem. l. iudicibus. C.eod. Si autem ſit lata contra abſentem,incipiunt currere à tempore notitiæ illius.l.2.C.quom.& quan.iud.

SI iudex modo debito requiſitus , illos non tradit , ſed poſtea procedit,non valet eius proceſſus .

QVIA ea, quæ fiunt à iudice, ſi ad eius non ſpectant officium , viribus non ſubſiſtunt.c.ea,quæ.inf.de reg.iur. Et quoniam apoſtoli petuntur poſt appellationem interpoſitam,quando iudicis iuriſdictio in illa cauſa eſt ſuſpenſa . ſupr. c. cordi . Ideo ſi is,à quo appellatur , apoſtolos appellanti non tribuat requiſitus ; ex tunc ſi forte in cauſa procedat , (niſi fortè appellationi renunciatum fuerit) eius inualidus eſt proceſſus; quod tamen tunc obtinet locum,cum iudex ſu-

per

per hoc cum debita inſtantia, loco, & tempore congruo requiſitus, eos expreſsè denegat, vel intra præmiſſum tempus malitiosè, aut negligenter illi tradere prætermittit. vt in tex. & l. iudicibus. C. eod. licet enim apoſtoli ſint dandi appellanti, etiam inſtãter non petenti. d. l. quoniam. & d. c. ab eo. vt tamen iudicis proceſſus ex tunc ſit inualidus ipſo facto, & non expectetur exitus appellationis, oportet, quod iudex fuerit inſtanter requiſitus, & loco, & tempore congruo, vt in tex. & infr. Clem. 2.

Cap. 7. Non ſolum.

INNOVATA per iudicem poſt diffinitiuam ſententiam, à qua appellatum extitit, reuocantur ſtatim per iudicem appellationis.

QVIA iudex, ſiue bene, ſiue male, diffinitiuè ſententiauerit, functus eſt officio ſuo. c. in literis. extr. de offic. deleg. & l. iudex. ff. de re iudic. Et quoniam per appellationem legitimè interpoſitam ſuſpenditur præſumptio, quæ erat pro ſententia. cap. paſtoralis. §. præterea. d. tit. de offic. deleg. Et in appellatione à diffinitiua, iudex ad quem incipit immediatè cognoſcere de meritis cauſæ principalis. extr. c. vt debitus. & ad ipſum ſpectat reformare, quæ male geſta ſunt per iudicem à quo. extr. cap. interpoſita. Ideo innouata per iudicem à quo poſt eius diffinitiuam, à qua extitit appellatum, ante omnia ſunt per iudicem appellationis reuocanda. vt in tex. & ſupr. c. vt ſuper.

ETIAM ſi ante appellationem fuerint innouata.

QVIA decem dies, qui dantur ad appellandum, ſunt indulti ad fauorem litigantium, vt intra illos poſſint deliberare, an ſententiæ à iudice prolatæ velint acquieſcere. c. anteriorum. 2. q. 6. & Authent. de appellat. in princ. coll. 4. Et quoniam indultum à iure beneficium non eſt alicui auferendum. c indultum. infr. de reg. iur. Et ante lapſum decem dierum ſententia non tranſiuit in rem iudicatam. cap. quod ad conſultationem. extr. de iudic. Ideo non ſolum innouata poſt appellationem à definitiua ſententia interiectam, debent ſemper (exceptis caſibus, in quibus iura poſt ſententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis iudicem penitus reuocari; ſed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter ſententiam, & appellationem (quæ poſtmodum intra decendium interponitur ab eadem) contingit innouari, ac ſi poſt appellationem eandem innouata fuiſſent. vt in tex. & l. ſciendum. ff. de appell. recip. vel non.

ATTENTATA verò poſt appellationem ante definitiuam, non reuocantur, niſi primo de veritate conſtiterit.

QVIA in appellatione ab interlocutoria eſt exprimenda cauſa rationabilis, propter quam appellatio illa interponitur. extr. c. vt debi-

debitus. Et quoniam ex alia causa, vel nouis, aut nouiter probandis, non potest in tali appellatione, iudicis interlocutoria impugnari. infr. Clem. appellanti. Et si tunc sufficeret allegare causam appellandi, & ad eius probationem quis non teneretur, ad euitandam iudicis à quo iurisdictionem, sæpe malitiosè fingeretur probabilis causa grauaminis, quæ tamen vera non esset. extr. c. interposita. Ideo illa, quæ post appellationem interpositam ante definitiuam sententiam innouantur, donec appellationis causam veram esse constiterit, reuocari non debent. vt in tex. & extr. c. dilecto.

NISI post inhibitionem debito modo factam, attentata fuissent.

QVIA iudex ad quem, antequam in appellatione ab interlocutoria inhibeat iudici à quo, ne amplius in causa se intromittat, debet se informare, quod ad ipsum sit per appellationem ex causa probabili emissam, negotium deuolutum. supr. cap. Romana. §. si verò, & §. seq. Et quoniam per inhibitionem huiusmodi, iurisdictio iudicis à quo est impedita, vt non possit in causa vlterius procedere, ne iudicis ad quem videatur auctoritas esse delusa. d. c. Romana. §. si autem. & Rota decis. 58. aliàs 412. de appell. in nou. quæ incipit; si appelletur. Ideo si iudex appellationis (postquam sibi constiterit per appellationem emissam ex causa probabili, fore ad se negotium deuolutum) inhibeat canonicè iudici, à quo appellatum extitit, ne procedat; tunc quicquid post inhibitionem illam fuerit innouatum, est (licet causa eadem non sit vera) per eundem appellationis iudicem, ante omnia in statum pristinum reducendum. vt in tex. & d. c. Romana. §. quod.

Cap. 8. Concertationi.

QVI appellat extra iudicium, intra decem dies appellare debet.

QVIA licet appellatio extraiudicialis non sit propriè dicenda appellatio, sed potius ad causam prouocatio. extr. c. cum sit. Tamen quoniam in multis conuenit cum appellatione iudiciali. extr. cap. bonæ. & si in ea liceret appellare vndecima die, eadem ratione liceret & centesima, quod esset absurdum. glos. hic. Et terminus decem dierum fuit statutus peremptorius, & vniformis ad appellandum intra illum, à quocunque actu appelletur. l. 1. §. quod. ff. quand. appell. sit. & Authent. de appell. & intra quæ temp. coll. 4. Ideo ab electionibus, postulationibus, promissionibus, & quibuslibet extraiudicialibus actibus (in quibus potest appellatio interponi) quisquis ex eis, grauatum se reputans, per appellationis beneficium grauamen illatum desiderat reuocari, intra decem dies debet appellare. vt in tex. & cap. biduum. §. quod. 2. quæst. 6.

EX quo sciuit grauamen.

QVIA

QVIA tempus, quod datur ad appellandum, est vtile à principio, licet sit continuum in progressu. cap. anteriorum. 2.q.6. Et quoniam vbi tempus est vtile, non valenti agere, illud non currit. l.1.§.fin.C.de annal.except. Et ignorantia facti excusat.c.ignorantia.infr.de reg.iur. Ideo licet decem dies ad appellandum incipiant currere de momento ad momentum à tempore illati grauaminis, siue prolatæ sententiæ, quando grauatus erat præsens. c.quod ad consultationem. extr.de re iud. & l.1.§.dies.ff.quand. appell.sit. vbi tamen grauatus erat absens, siue ignorans, isti decem dies incipiunt currere à tempore notitiæ illati grauaminis. vt in tex. & l. ab eo. C. quom. & quand.iud. Præterea iste terminus datur ad deliberandum, an litigantes velint stare sententiæ, vel non. d. Authent.de appell. Et quoniam non posset ignorans deliberare. glos. in d.cap.anteriorum. Deliberare enim est actus voluntatis. Arist. 6.Ethic.cap.9. Et voluntas non fertur in incognitum. S.Thom.1.2.q.76.art.1.

POSTEA per remedium iuris communis audietur, sed non per appellationis remedium.

QVIA nullus pluribus vti defensionibus prohibetur. c.nullus. infr. de reg.iur. Et quoniam ex diuersis non fit illatio. l.Papinianus. ff. de minor. Ideo licet post decendium alicui aditus non pateat appellandi, si per contradictionem debitam, vel alia iuris remedia, ipse petierit reuocari grauamen (dummodo medio tempore his non consenserit) lapsus decendij ei non obsistit. vt in tex.& l.si expressim. ff.de appell. Sed dices, quid operatur in causa appellatio extraiudicialis, cum illa non sit propriè appellatio, sed ad causam prouocatio? ext.c.cum sit. Respond.quod eius effectus est, vt factum, super quo illa interponitur, reuocetur ad audientiam Papæ, vel alterius proximi superioris, ad quem illa dirigitur, ita vt alius iudex inferior de tali facto non cognoscet, & si literæ super illius cognitione impetrarentur, non valent, nisi de ipsa fecerint mentionem. c. ex parte, il 2.ext.de rescript. Is tamen, contra quem taliter appellatur, non tenetur propter illam cessare ab incepto negotio, super quo appellatur, sed ipsum perficere potest, nec reuocabitur gestum, nisi probata veritate causæ, ob quam appellatur. c. cum inter, il 1. extr. de elect. nec distinguitur in hoc, an illa interponatur à parte contra partem, vel contra iudicem extra iudicium. Archid. hic. Et licet appellatio iudicialis non possit interponi, nisi à grauamine illato, vel comminato. extr. c.cum cessante. extra iudicium tamen etiam à futuro grauamine appellatur. infr. Clem. sicut.

Cap. 9. Appellatio.

VALET appellatio in scriptis porrecta, licet coram iudice non legatur.

QVIA

QVIA iura, quæ dicunt, quod appelletur in ſcriptis, vt eſt in interlocutoria interpoſita ad Papam. ſup. c. cordi. Et in appellatione à diffinitiua, quando non appellatur illico poſt ſententiam. l. eos, qui. §. fin. C. eod. non faciunt mentionem, quod ſcriptura illa coram iudice legatur, ſed quod illa iudici porrigatur, vt obuiet appellanti, ſi variare velit. gloſ. in d. c. cordi. ver. in ſcriptis. Et ne iudex à quo, in ſcriptis habeat dare apoſtolos, ſuper volatili verbo appellantis. Gemin. hic. Et quoniam appellatio eſt fauorabilis, cum ſpectet ad defenſionem. ext. c. cum ſpeciali. vnde eſt potius dilatanda, quàm reſtringenda. c. odia. infr. de reg. iur. Et aſſignatio in ſcriptis intelligitur adimpleta, etiam ſi ſcriptura tempore, quo porrigitur, non legatur. l. aſſignare. ff. de verb. ſign. Ideo appellatio iudici in ſcriptis porrecta, non poteſt ex eo, quod coram ipſo lecta non fuerit, rationabiliter impugnari. vt in tex. & c. ſi canonici. ſup. de offic. ord. Sententia tamen diffinitiua non ſufficit, quod ſcripta à iudice partibus porrigatur, ſed eam debet ipſe iudex de ſcripti recitatione proferre. c. fin. ſup. tit. prox. nam, cum in ea poſſet iudex magis lædere, quàm poſſit pars per appellationem. gloſ. fin. hic. in ipſa fuit cautius prouidendum, vt maior ſolemnitas, & cautela requiratur. c. vbi. ſup. de elect.

Cap. 10. Si à iudice.

IVDEX à quo compellere non poteſt appellantem à grauamine, ipſius veritatem probare.

QVIA ſicut honor debitus eſt iudicibus deferendus, ita partium indemnitas eſt in iudicijs procuranda. ext. c. vt debitus. Et quoniam ſi iudex à quo cognoſceret de veritate grauaminis, periculum eſſet, ne ſemper in proprium fauorem pronunciaret, dicendo, ſe non grauaſſe, quamuis, re vera, grauamen intuliſſet. extr. c. ſolicitudinem. Ideo coram iudice à quo ſufficit proponere rationabilem cauſam grauaminis, ſed illius veritas eſt coram iudice ad quem, per appellantem probanda. vt in tex. & ſup. c. Romana. licet etiam coram iudice à quo illam probare poſſit, ſi ipſe appellans velit. ext. c. interpoſita: nam cum de eius fauore tractetur, illi renunciare poteſt. cap. ad apoſtolicam. ext. de regular. Præterea, de facto proprio quilibet debet eſſe certus. c. ab excommunicato. ext. de reſcript. Ideo ipſe iudex per ſe videre debet, an grauauerit. vt in tex. & l. quiſquis. C. de reſcind. vend. Præterea, per appellationem eſt ſuſpenſa iudicis iuriſdictio. vt in tex. & c. paſtoralis. §. præterea. ext. de offic. deleg. Et quoniam ea, quæ fiunt à iudice, ſi ad eius non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt. c. ea, quæ infr. de reg. iur. Ideo ſi à iudice à quo, propter grauamen illatum, quis appellat, ad docendum ſe eſſe grauatum, & ad audiendam reuocationem eiuſdem grauaminis (ſi de ipſo docuerit) illi terminus præfigatur;

nec coram eo (cum ipſe per ſe id videre habeat) hoc docere; nec etiam tanquam coram iudice (cum per appellationem ſit ſuſpenſa ipſius iuriſdictio) comparere tenetur. vt in tex. & l. vnic. ff. nil nou. appell. interp.

LICET citare poteſt ad ipſius reuocationem audiendam.

QVIA iuriſdictio iudicis à quo, licet ſit ſuſpenſa, ne, durante appellatione, ipſe habeat de illa cauſa cognoſcere. d. c. paſtoralis. de offic. deleg. non tamen eſt ſuſpenſa quo ad actus, qui tendunt in faciliorem expeditionem appellationis. extr. c. cum teneamur. Et ob id ipſe dat terminum proſecutioni appellationis, & pro apoſtolis recipiendis. ſup. c. cordi. Et quoniam per reuocationem grauaminis, ceſſat, & extinguitur ipſa cauſa, per quam fuit appellatum. extr. c. cum ceſſante. Et iudex, licet non poſſit reuocare ſuam ſententiam diffinitiuam l. 2. C. de ſent. ex breuic. recit. poteſt tamen reuocare interlocutoriam. l. quod iuſſit. ff. de re iudic. Ideo ſi appellans ſit citatus à iudice à quo, ad videndum reuocari grauamen, tunc coram eo ipſe comparere debet. vt in tex. & d. c. cum ceſſante. Vtilius eſt enim, negotia tali expediri compendio, quàm per exactam ſubtilitatem longo prorogari diſpendio. c. abbate. ſup. tit. prox.

QVA facta, in cauſa procedere poterit, eius contumacia non obſtante, ac ſi nunquam appellaſſet.

QVIA ceſſante cauſa, ceſſat effectus. d. c. cum ceſſante. Et quoniam grauamen erat cauſa, propter quam appellans erat ab ipſius iudicis iuriſdictione in illa cauſa exemptus. extr. c. cum ſpeciali. Et contumax pro præſenti reputatur. c. cauſam. extr. de dol. & cont. Ideo ſi iudex à quo citauerit appellantem ad hoc ſolum, vt reuocationem grauaminis audiat, ſi ipſe iudex duxerit eam faciendam, & appellans non comparuerit, & iudex in termino grauamen reuocauerit cum effectu, poterit ex tunc liberè in cauſa procedere, ac ſi appellatio interpoſita non fuiſſet. vt in tex. & c. prout. ex. de dol. & cont.

Cap. 11. A collatione.

A collatione capituli, ad epiſcopum appellatur, ſi vt canonicus interfuit.

QVIA quando epiſcopus interuenit in capitulo, non vt prælatus, ſed vt canonicus, vox eius non plus valet, quàm vox alterius canonici; cum in illo caſu ipſe ſimplex canonicus exiſtimetur, & tota collatio, ſiue alius actus tunc dicitur fieri ſolùm à capitulo; non autem dicitur fieri ab epiſcopo, & canonicis, quaſi à capite, & membris. c. poſtulaſtis. extr. de conceſſ. præb. Et quoniam proximus ſuperior capituli eſt epiſcopus. c. irrefragabili. ext. de offic. ord. Et appellatio eſt regulariter facienda gradatim ad proximum ſuperiorem. c. anteriorum.

§.illo. 2. q.6. Ideo à collatione, siue alio actu facto à capitulo, in quo episcopus interfuit vt canonicus, licite ad ipsum episcopum potest appellari. vt in tex. & l.1.§.solent.ff.quand. appell.sit.

SECVS, si vt prælatus.

QVIA quando episcopus interuenit in capitulo, vt episcopus, ipse est caput, & canonici sunt membra. c.nouit. ext. de his, quæ fi. à præl. sine cons. cap. Et quoniam membra caput sequuntur. Apost.ad Ephes.cap.4.cum non deceat à capite membra discedere.cap. non decet.dist.12. Et in tali casu si appellaretur ad ipsum episcopum, appellatio videretur interposita de eodem ad seipsum. sup. c.Romana. quod est contra substantiam appellationis.c.2.sup.de consuet.& l.Imperatores.ff.de appell. Ideo si episcopus interuenit in capitulo, vt prælatus, seu episcopus, ab actu per eos tunc facto, non ad ipsum episcopum, sed ad Papam, vel ad proximum episcopi superiorem est appellandum. vt in tex.& ext. c. dilecti, il 3.

Cap. 12. Licet.

PER appellationem interpositam à diffinitiua, reuocari potest interlocutoria principali negotio præiudicans.

QVIA totus processus ordinatur ad diffinitiuam, vt per illam debitus finis negotio, & eius emergentibus imponatur. Io.Monac. hic. Et quoniam non bene posset principale negotium expediri, si interlocutoria ei præiudicans non posset reuocari. glos.ver.emendari. Ideo licet ab interlocutoria (per quam pacti, vel præscriptionis, aut alia principali negotio præiudicans, vel iudicium nullum reddens, exceptio est repulsa) non fuerit appellatum; si tamen à diffinitiua sententia (quæ postmodum, etiam vltra decendium promulgatur) appellari contingat, potest in appellationis causa ipsum grauamen, per interlocutoriam eandem illatum, licitè per appellationis iudicem emendari. vt in tex. & c.præterea. ext.de offic.deleg.

ALIAS non.

QVIA vbi interlocutoria super eo profertur, quod non parat præiudicium negotio principali, vel iudicium nullum reddit, nisi fuerit ab ea intra decem dies appellatum, transit in iudicatum. sup.c. Romana. §. si verò. Et quoniam res iudicata ius facit inter partes. c. cum inter. extr.de re iudic. Ideo nisi à tali interlocutoria fuerit appellatum, per appellationem postea à diffinitiua interiectam, grauamen illatum nequaquam poterit reuocari. vt in tex. & infr. Clement.fin.

In Clement. Cap. 1. Si à iudicibus.

VALET appellatio coram maiori parte plurium iudicum.



VIA cum omnium iudicum præsentia simul non possit de facili haberi (quando plures debent iudicare) si coram omnibus esset necessarium appellare, sæpe intra decem dies appellationis beneficium non posset interponi. vt in tex. Et quoniam appellatio est fauorabilis, cum sit legitima defensio. extr.c.cum speciali. Et quod fit à maiori parte, censetur factum à toto.c.1.ext. de his, quæ fi. à ma.par. cap. & l. quod maior. ff. ad municip. Ideo si à iudicibus duobus, aut pluribus, fuerit appellandum, quia fortè de facili eorum præsentia simul haberi non posset, statuitur, vt liceat coram ipsis, vel maiori parte ipsorum appellare, & apostolos petere separatim; valebitq. appellatio talis, ac si simul fuisset in eorum præsentia ab omnibus appellatum. vt in tex.& c.penult. de re iudic. in 6.

SED appellato, est appellatio, delatio, & termini præfixio intimãda.

QVIA omnis actus, qui in causa posset parti inauditæ esse præiudicialis, est ei regulariter intimandus. l.de vnoquoque. ff.de re iudic. Et quoniam præiudicium esset appellato, si nesciret, quid circa appellationem à parte petatur,& à iudice pronuncietur.ext. c.cum sit. Ideo appellato *ignoranti est* appellationis, necnon delationis, & termini præfixionis, si subsecutæ fuerint, intimatio legitimè facienda. vt in tex.& Clem.causam. de elect.

Cap. 2. Quamuis.

SVFFICIT apostolos peti vno contextu, sæpius, & instanter.

QVIA quamuis rigor iuris exposcat, eum, qui appellat, debere petere apostolos, congruo loco,& tempore, sæpius, & instanter.c. post appellationem.2.q.6.& l.vnic ff.de libell.dimiss.Et petitio in vno contextu iterata pro vna sola petitione habeatur.ext.c.bonæ. Sicut cum quis dicit, appello, appello, vnica est appellatio.c.Lotharius. 31.q. 2.Et ille, qui vno instanti ter dicit solue, intelligitur semel denũciasse. l. si conuenerit,& ibi gl.ff.de pignor.act. Tamen quoniã antiqua,& communis obseruantia litigantium introduxit, vt sufficiat, si apostoli vnico contextu pluries petantur.vt in tex. Et consuetudo est optima legum interpres. c. cum dilectus. extr. de consuet. Et hæc interpretatio magis conuenit æquitati. vt in tex. Et æquitas est præferenda rigori. c. vnic.de rer.perm.in 6. Ideo declaratur sufficere, quod per appellantem simul vno contextu apostoli instanter, & sæpius postulentur. vt in tex. & cap. ab eo, & ibi glos. sup. in 6. Et licet apostoli post interpositam appel-

appellationem ſint dandi, etiam non petenti. Authent. hodie.cap.de appell.aliàs iudex punitur. l.iudicibus. C.eod. per appellantem tamen ſunt cum inſtantia petendi. vt in tex. quia iudex à quo per appellationem prouocatur. c. ſuſpicionis. extr. de offic. deleg. vnde ad eum mitigandum, & ad honorem debitum ei deferendum, & ad illos facilius obtinendum, debet appellans eos inſtanter, & cum reuerentia ſæpius petere. d.l.vnic.ff.de libell. dimiſſ. nam ſi illos cum arrogantia peteret, iudex fortè non traderet. d.cap.poſt appellationem. Cum enim is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. S. Gregor.in paſtor. par.1.cap.11.

AD quos recipiendos, ſi iudex certum terminum ſtatuat, appellans illos non petens in termino, appellationi renunciat.

QVIA iudex ex cauſa poteſt mutare omnem dilationem datam à iure. l.2. ff.de re iudic. Et talis terminus hominis ſubrogatur termino, qui competebat de iure. ext.c.cum ſit. Et quoniam qui non petit apoſtolos intra terminum datum à iure, cenſetur ab appellatione receſſiſſe. c.ab eo.ſup.in 6. Ideo ſi iudex, a quo appellatur, certum terminum ad recipiendos apoſtolos appellanti aſſignet, & appellans in aſſignato ſibi termino non compareat coram eo, nec petat apoſtolos ſibi tradi, appellationi ſuæ renunciaſſe videtur. vt in tex. & extr. c. reprehenſibilis.

IDEM cum iudex ſtatuit terminum iuris incertum, intra quem appellans illos debitè non petiuit, vel oblatos recipere renuit.

QVIA terminus triginta dierum ad petendos apoſtolos, per quos iudex appellationis poſſit inſtrui, cur appellationi ſit delatum, vel cur ſit repulſa, fuit ſufficienter ſtatutus, vt nec lis nimium protrahatur, nec iudex à quo, aut appellans, ad illos dandos, vel petendos, nimium anguſtientur. cap.ab eo.ſup.in 6.& l.iudicibus. C. de appell. Et quoniam qui intra terminum ſibi peremptoriè aſſignatum non facit quod facere debebat, iuri ſuo, de quo tunc agebatur, renunciaſſe videtur. c.cum dilecti. extr.de dol.& cont. & l.fin.§.illud. C. de temp.appell. Ideo ſi iudex appellanti reſponderit, intra iuris terminum apoſtolos ſe daturum, appellationi ſuæ renuntiaſſe appellans intelligitur, niſi intra dictum terminum, congruo loco, & tempore, inſtanter, & ſæpius, ſaltem vno contextu, petat apoſtolos ab eodem iudice ſibi dari, vel ſi recipere recuſat oblatos. vt in tex. & l.quoniam, la 1. C.de appellat. Et eſt notandum, quod ſi certus terminus præfigitur ad recipiendum apoſtolos, ſeu ad comparendum, vel aliquid *in iudicio* faciendum, debet illud in aſſignato termino fieri, nec tunc ſufficeret terminum præuenire; ſed ſi terminus præfigitur ſub hac incertitudine, ſcilicet, intra terminum iuris, ſeu intra triginta dies petas apoſtolos, vel

aliquid aliud facias, tunc satis est intra illum terminum facere quandocunque; dum tamen loco, & tempore congruo. glos. hìc. ver. intra.

§. Quod.

SI iudex debitè requisitus non tradit apostolos, appellans prosequi potest appellationem sine illis.

QVIA rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. c. 2. extr. de constitut. Et quoniam si appellans non posset prosequi appellationem sine apostolis, quando eos debitè petijt, ipse legitima defensione priuaretur, & iudici à quo occasio malignandi præberetur. c. cordi. sup. in 6. Ideo si iudex, in termino ad dandum apostolos præfixo per eum, ipsos appellanti petenti non dederit, aut si dum peterentur apostoli, responderit se daturum eosdem, nullo termino certo sibi præfixo, vel intra iuris terminum se eos asseruerit velle dare, & postea per appellantem congruo loco, & tempore, sæpius, & instanter, vno contextu etiam, requisitus, eos non curauerit intra eundem terminum exhibere; appellationem suam ex tunc prosequi potest appellans, ac si expresse fuissent eidem apostoli denegati. vt in tex. & l. iudicibus. C. eod.

Cap. 3. Sicut.

APPELLANS prosequi, & finire tenetur appellationem extraiudicialem, intra annum à die interpositæ appellationis, vel illati grauaminis; quo non facto (impedimento iusto cessante) appellatio est deserta.

QVIA appellatio extraiudicialis comparatur in multis appellationi iudiciali, licet etiam in alijs multis differat ab ea. ext. cap. bonæ. Et quoniam ad prosequendam appellationem iudicialem datur annus, & ex causa biennium. ext. c. cum sit. & Authent. ei, qui. C. de temp. appell. Et in vtraque istarum appellationum est eadem ratio, vt terminus ad illas prosequendas, nec nimium restringatur, nec nimis dilatetur. l. properandum. C. de iudic. Ideo sicut appellationem iudicialem, sic & extraiudicialem, intra annum à die interpositionis ipsius, vel à die illati grauaminis, vbi à futuro grauamine appellatur, prosequi, & finire tenetur appellans; quod si, iusto impedimento cessante, non fecerit; debebit eius appellatio deserta censeri. vt in tex. & ext. c. constitutus.

Cap. 4. Quamdiù.

TEMPVS ad prosequendam appellationem ab homine, vel à iure præfixum, non currit appellanti, compromisso durante, vel de partium expresso consensu.

QVIA

QVIA tempus prosequendæ appellationis, datur principaliter in fauorem ipsorum litigantium. l.fin.§.illud.C.de temp. appell.ne diù laboribus, & expensis vexentur. c.finem.ext.de dol.& cont. Et quoniam iuri pro se introducto quilibet renunciare potest. cap. ad apostolicam. extr. de regular. Ideo quamdiù appellationis prosecutio per compromissum, vel alias de partium expresso consensu, differtur; & tempus ad prosequendum eandem, ab homine, vel à iure præfixum, non debet currere appellanti. vt in tex. & Authent. si tamen. C. de temp. appell.

NISI periculo imminente ex mora, iudex aliud decernat.

QVIA iudex ex causa potest mutare omnem dilationem, quæ aliàs litigantibus conueniret. l.2.ff.de re iudic. Et ex officio suo potest supplere, vbi publicum bonum, vel animarum salus, aut alia iusta causa requirit. c.1.ext.de coll.uf. deteg.Et quoniam salus animarum est maximè attendenda. Matth.cap.16.Et vtilitas publica, est præferenda priuatæ. Authent. ea,quæ.§. ea enim. coll. 4. & alteri per alterum non debet iniqua conditio afferri. cap. non debet. de reg. iur. in 6.Ideo si ex tali dilatione, iudex viderit aliquod huiusmodi periculum imminere, poterit partibus præcipere, vt in causa citius procedant. vt in tex. & Authent. qui semel. C.quomod.& quand. iud.

Cap. 5. Appellanti.

ANTE definitiuam appellanti, non licet prosequi causas, in appellatione nominatim non expressas.

QVIA ante diffinitiuam non licet appellare, nisi à grauamine illato, vel comminato. ext. c.cum cessante. Et quoniam causa grauaminis est exponenda coram ipso iudice, à quo appellatur, vt ei debitus honor deferatur. ext. c. vt debitus.Et si posset in tali causa variari, sæpe interponeretur malitiosè huiusmodi appellatio.cap. cordi. sup. in 6. Ideo appellanti ab interlocutoria, vel à grauamine iudicis, non licet alias causas prosequi, quàm in appellatione sua nominatim duntaxat expressas. vt in tex.& ext.c.interposita. Et hoc, etiam si aliæ causæ essent notoriæ in fauorem appellantis. glos. ver.alias. quia licet notorium releuet ab onere probandi. c.tua nos. ext. de cohab. cler. & mul. non tamen releuat ab onere proponendi. d. glos. hìc. nam appellans, tale notorium non proponendo, videtur ei renunciasse; quod tamen intellige, si appellans erat præsens; nam si erat absens, censetur non comparendo, notorium illud tacitè proposuisse. Abb. hìc. Sed licet appellatio ab interlocutoria non possit iustificari, nisi ex causis nominatim expressis in ipsa appellatione. vt in tex. Secus tamen est in appellatione à diffinitiua; nam in ipsa non est necesse allegare causam, propter quam appellatur; sed sufficit dicere, ab ista iniusta sententia

appello. extr.c.vt debitus. & si causa in ea allegetur non adstringitur appellans ad illam solam probandam, sed ex nouis causis potest ipsam appellationem iustificare. l. scio. ff. eod. sicut & noua instrumenta potest proponere. cap. cum Ioannes. extr. de fid. instr. & etiam nouos testes super nouis capitulis producere. cap.fraternitatis. ext.de testib. & Clem.2. eod.

NEC processus primi iudicis iustificari, vel impugnari potest, nisi ex actis coram eo.

QVIA iudex debet habere notarium, vel duos viros idoneos, qui scribant acta iudicij. cap.quoniam.extr.de probat. Et quoniam præsumitur in talibus, iudicem legitimè processisse, nisi ex eisdem actis contrarium appareat.c. iudicantem. 30.q.fin. & Instit.de action.§. curare. Ideo processus primi iudicis, ex nouis, aut de nouo probandis, iustificari non potest, nec etiam impugnari; sed tantum ex illis, quæ acta fuerunt, vel exhibita coram ipso. vt in tex. & cap. ab eo. de elect. in 6.

Cap.6. Si appellationem.

PROSECVTIO appellationis desertæ non impedit, quin sententia censeatur in rem iudicatam transiuisse.

QVIA lapsus temporis prosecutionis fiendæ, ratificat sententiam, & facit perinde, ac si non fuisset appellatum.extr.cap.cum sit.& Authent.ei, qui. C.de temp.appell. Et quoniam si intra decem dies non fuisset appellatum, sententia in iudicatum transiuisset. cap. cum inter. extr. de re iudic. Et post transitum in iudicatum, iudex ad quem non habet iurisdictionem in causa. extr. c.cum in ecclesia. Ideo si appellationem per negligentiam appellantis desertam, appellans ipse cum appellato, aut appellatus etiam per se, & principaliter prosequatur, non ideo minus in rem iudicatam censebitur transiuisse sententia, à qua fuerat appellatum.vt in tex.& ext.c.sæpe.

Cap.7. Cum à repulsione.

A peremptoria repulsa ex alio, quàm propter ineptitudinem, secundò appellans, & succumbens, non auditur super ea in appellatione à definitiua.

QVIA in vna, eademq. causa, super vno articulo, tertiò prouocare non licet. extr.c.directę.& l.vnic. C.ne lic.in vna, ead.caus. ter. prou. Et quoniam qui bis in peremptoria exceptione appellauit, & succubuit, si super ea in appellatione à diffinitiua rursus audiretur, esset super illo articulo tertia appellatio. glos.hic. ver.succumbit. Ideo cum a repulsione exceptionis peremptoriæ secundò appellans succumbit, non est in causa appellationis postmodum à definitiua emis-

ua emissæ, audiendus vlterius super ea; nisi tunc ritè proposita, ex eo repulsa fuisset, quia proponebatur ineptè. vt in tex. & c.examinata. extr.de iudic. Sed licet talis non audiatur per viam appellationis, bene tamen auditur per viam nullitatis. Clem.1. de re iudic. Et etiam per viam in integrum restitutionis.l.minor autem.ff.de minor.

Liber Secundus. Titulus XXIX.

DE CLERICIS peregrinantibus.

In Decretal. Cap.vnic. Conquerente.

CONTRA peregrinantem, seu proficiscentem ad Sedem Apostolicam, non est aliquid innouandum.

QVIA multi ab ista peregrinandi, & ad Vrbem accedendi deuotione retraherentur, si interim contra eos in partibus procederetur. cap. paternarum.24.q.3. Et *quoniam religioni est maximè fauendum.* l.sunt.ff.de relig.& sumpt.fun. Et ad Romanam ecclesiam ab omnibus, maxime tamen ab oppressis, quasi ad matrem, est concurrendum. c.ad Romanam.2.q.6. Ideo illi, qui ad Sedem Apostolicam accedunt, cum eorum rebus debent esse sub Apostolica protectione securi, vt post iter arreptũ ad illam, nihil contra eos innouetur.vt in tex.& c.si qui Romipetas.24.q.3. Vnde summus Pontifex excommunicat in bulla cœnæ Domini omnes, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, nec non illos, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam non habentes, in eadem curia morantes temeritate propria capiunt, spoliant, detinent, aut ex proposito deliberato verberare, mutilare, vel interficere præsumunt, vel qui talia fieri mandant; Et omnes mutilantes, vulnerantes, & interficientes, capientes, detinentes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad Vrbem causa deuotionis accedentes, & in ea morantes, vel recedentes ab ipsa, & illis dantes auxilium, consilium, vel fauorem. vt in bulla cœnæ Domini, quam interpretatur Nauar.in Manual. cap.27.

Liber Secundus. Titulus XXX.

DE CONFIRMATIONE vtili, vel inutili: In Decretal.

Cap. 1. Si quis, & cap. 2. De confirmationibus.

DE re ſcienter confirmata per Papam, inferior iudex cognoſcere non poteſt.



VIA per huiuſmodi confirmationem Papa facit illud negotium ſuum. c. cum in diſtribuendis. de temp. ord. Princeps enim omnia ſua facit, quibus auctoritatem ſuam tali modo impartitur. l. 1. §. omnia. C. de veter. iur. enucl. Et quoniam negotijs, quibus princeps manus ſic impoſuit, nō licet inferiori ſe immiſcere, vt deferat ſuperioris poteſtati, & excellentię. c. conſequens eſt. diſt. 11. Ideo confirmatio, facta per Papam ex certa ſcientia, præcludit manus ordinariorum, vt eis non liceat cognoſcere de iure confirmato, nec de validitate ipſius confirmationis aliquid decernere, niſi à Sede Apoſtolica eis ſpecialiter demandetur. vt in tex. & c. cum veniſſent. de iudic.

NISI confirmatio non tenuerit, vt quia ſubreptitia, vel de re litigioſa.

QVIA confirmatio, ſeu priuilegium non extenditur ad ius, à principe in illius conceſſione non cogitatum. cap. cum inter. de renunt. & c. ſuggeſtum. de decim. Et quoniam mendax precator debet care impetratis; cum de illis princeps non cogitauerit. c. cæterum. de reſcript. Et Papa non intendit tollere ius tertij, niſi hoc exprimat. cap. quia intentionis. de priuil. Ideo ſi confirmatio non tenuit, vt quia fuit ſubreptitiè impetrata, & de re litigioſa in ea non fuit facta mentio, iudex inferior non impeditur, quin ad vlteriora poſſit, tam in cognoſcendo, quam in iudicando in huiuſmodi cauſa procedere. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap. 3. Bonæ.

LITERAE confirmationis ſuper ſententia, à qua erat appellatum, non valent, ſi appellatus malitiosè præuenit appellantem.

QVIA huiuſmodi literę ſunt ſubreptitiè impetratæ; nam ſi ſuperior ſciuiſſet, quod appellatus malitiosè præueniſſet appellantem,

eas

eas non dediſſet, ne per talem præuentionem, eum deciperet, & ſupplantaret. c.oblatæ. & c.ſæpe. de appellat. Et quoniam omne tacitum, quo expreſſo, ſuperior literas non dediſſet, reddit gratiam nullius effectus.c.cæterum. de reſcript. Ideo literæ, ſic ab appellato ſubreptitiè impetratæ, non valent. vt in tex.& c.ex parte. de reſcript.

ALIAS pendent, donec de appellatione cognoſcatur.

QVIA ſi appellatus non præuenit diligentiam appellantis, ſed expectauit legitimo tempore, & literæ alio vitio non laborant, impetratio fuit validè facta. d. c. oblatæ. Sed quoniam iudices dati ſuper appellatione, debent cognoſcere de iniquitate ſententiæ.c.interpoſita. de appellat. Et talis confirmatio in forma communi non tribuit nouum ius ſuper re confirmata, ſed intelligitur conſeruare antiquum, quatenus ſit iuſtum. gloſ.ſup.*in c. 1.*& c.quia diuerſitatem. de conceſſ. præb. Ideo huiuſmodi literæ confirmationis tandiù valebunt, quouſque de iniqua ſententia conſtet: vt ſi ſententia confirmetur, remaneat confirmatio in ſuo ſtatu; ſi verò caſſetur, non valeat confirmatio. vt in tex. & infr.c.prox.

Cap. 4. Cum dilecta.

INNOVATIO priuilegij nouum ius non tribuit, nec antiquum confirmat; ſed ſi quod competebat, conſeruat.

QVIA actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. l. non omnis. ff. ſi cert. per. Et quoniam innouatio priuilegij ad hoc ſolum fit, vt ſalua ſit rerum probatio: ne, vel per vetuſtatem originale ita conſumatur, quod eius ſenſus non percipiatur, vel ſi aliquò ſit mittendum, ne per viarum diſcrimina amittatur, aut per aliud veriſimile accidens periclitetur. vt in tex. & c.fin.de fid.inſtr. Sicut propter ſimiles reſpectus, etiam lite non conteſtata, teſtes recipiuntur, & examinantur. c.quoniam. vt lit.non conteſt. Ideo ſatis eſt, quod huiuſmodi innouatio antiquum ius priuilegij, ſi quod inerat, conſeruet; non autem operatur, vt per ipſam ius nouum acquiratur. vt in tex. & c.quia intentionis.de priuileg.

Cap. 5. Ad noſtram, & 6.Porrecta.

NON valet confirmatio, quam religioſus impetrauit à Papa, ſuper temporali adminiſtratione, ſeu prioratu, ſi tacuit, ſe regularem.

QVIA religioſi non poſſunt ſibi aliquid perſonaliter acquirere, ſed quicquid acquirunt, debet eſſe monaſterij, in quo degunt. c.monachi. de ſtat.monach. Et non habent velle, aut nolle, ſed à ſuperioris voluntate dependent, quem loco Dei ſupra ſe conſtituerunt, obe-

obedientiam profitendo. c.placuit, il 2.16.q.1. & c.non dicatis.12.q.1. Et quoniam si eis temporales administrationes confirmarentur, non possent remoueri ad nutum superioris: & illud ius tenendi, tanquam proprium habere viderentur: & sic contra bonum obedientiæ, & paupertatis eis via aperiretur. cap.cum ad monasterium. de stat.monach. Ideo talis confirmatio fuit subreptitie impetrata, & non valet. vt in tex.& c.ad aures. de rescript.

SI verò expressit, rescriptum præsumitur falsum.

QVIA quando literæ reperiuntur esse contra ius, & stylum curiæ, non sunt censendæ ab illa emanasse. c.2.de rescript. vnde non est eis statim obtemperandum, sed de illis est Papa certiorandus, & eius secunda iussio expectanda, nisi aliter impetrans clarè probaret, illas à Papa esse concessas.c.si quando. de rescript. & Authent.de mand. princ.§.deinde.coll.3. Et quoniam summus Pontifex non solet, nec intendit tales administrationes religiosis sic concedere. vt in tex. Ideo huiusmodi literæ præsumendæ sunt falsò fabricatæ, nisi aliter à curia probentur emanatæ. vt in tex. & c.quam graui. de crim.falsi.

Cap. 7. Examinata.

SENTENTIA, seu laudum contra formam iuris, vel compromissi latum per arbitros non tenet.

QVIA arbitria sunt redacta ad instar iudiciorum. l.1.ff.de arbitr. Et quoniam sententia iudicis lata contra ius scriptum, non est valida.c.cum inter.de re iudic. Et de similibus, in quibus est eadem ratio, idem debet esse iudicium.l.illud.ff.ad leg. aquil.Et compromissum limitat arbitrorum potestatem, vt illud excedere non possint, sed eis sit pro lege seruandum. c.cum dilectus.de arbitr.Ideo sententia, seu laudum latum contra formam iuris, & compromissi, alicuius validitatis non existit. vt in tex.& l.3.C.de recept.arbitr.

LICET per Papam in forma communi fuerit confirmatum.

QVIA confirmatio in forma communi non dat maius ius, quàm prius fuerit in re confirmata; sed solummodo ius vetus, si quod inerat, conseruat. c.quia diuersitatem. de concess. præb. Et impetratur, vt ius, quod competebat, magis timeatur. c.præceptis.dist. 12. Solet enim plus timeri, quod singulariter pollicetur, quàm quod generali sponsione concluditur. c.quanquam. dist.23. Dicitur autem tunc fieri confirmatio in forma communi, quando fit conditionaliter, non cognito de causa; vt dicendo, confirmamus tibi possessionem, quam iuste possides; vel confirmamus laudum, sicut prouidè latum est. Abb. hìc. Sed intellige hoc esse verum, quando non inseritur in confirmatione tenor rei confirmatæ, nam tunc esset confirmatio ex certa scientia.

ſcientia. infr. c. prox. Et quoniam Papa non intendit per illam confirmare inualidum, nec alicui præiudicium generare. gloſ. ſupr. in c. 1. & c. quia intentionis. de priuil. & acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. c. acceſſorium. de reg. iur. in 6. Ideo per huiuſmodi confirmationem non validatur laudum, quod per ſe inualidum exiſtebat. vt in tex. & ſupr. c. bonæ.

Cap. 8. Venerabilis.

IN confirmatione ex certa ſcientia dictio, ſicut, ponitur cauſatiuè, ſcilicet, pro quia.

QVIA quando Princeps eſt plenè inſtructus de facto, non eſt præſumendum, quod velit ſuper illius confirmatione, conditionaliter loqui. Abb. ſupr. in cap. prox. Cum omnia iura cenſeatur in ſui pectoris ſcrinio habere. cap. 1. de conſtit. in 6. Sed quando ſimpliciter confirmat, aliter non inſtructus de iure confirmato, dictio, ſicut, debet conditionaliter intelligi, quia Princeps præſumitur ignorare ea, quæ in facto conſiſtunt. d. c. de conſtit. & non cenſetur velle alteri inaudito ius tollere. c. quia intentionis. de priuil. Et quoniam verba debent intentioni deſeruire, & non intentio verbis. cap. humanæ. 22. q. 5. Et poſſunt aliquanter impropriari, ne abſurdus ſequatur intellectus. c. ſedulo. diſt. 38. Ideo quando in confirmatione inſeritur tenor rei confirmatæ, vel Princeps dicit, quod ex certa ſcientia confirmat, dictio ſicut, reddit rationem confirmationis, vt ſi dicat: confirmamus prædictum compromiſſum, ſicut prouidè factum eſt; ſed ſi ſuperior in forma communi confirmat, dicto illa ſicut, ſtat in ſua propria ſignificatione conditionaliter, & nihil ſuper re confirmata diſponit. vt in tex. & gloſ. hic.

NEC nocet, ſi verbum confirmationis præcedit tenorem confirmati.

QVIA talis ordo non obſcurat confirmationis intellectum, & à ſtylo curiæ non recedit. vt in tex. Et quoniam reſcriptum Principis eſt attendendum. c. 1. de reſcript. Et clauſula adaptatur antecedentibus, vel ſubſequentibus, prout res explicanda magis requirit. c. ſecundo requiris. de appellat. Ideo ob iſtam friuolam occaſionem, quod verbum confirmationis præcedat, vel ſubſequatur tenorem rei confirmatæ, non eſt à confirmatione conceſſa recedendum. vt in tex. & ſupr. c. ad noſtram.

Cap. 9. Sua nobis.

COLLATIO eccleſiæ alteri facta per Legatum, & per Papam confirmata, ius Diœceſani non lædit.

QVIA Legatus ius alterius tollere non poteſt. gloſ. in c. fin. de hæret. in 6. & Specul. de legat. §. nunc oſtendendum. n. 8. Hoc enim ſolus


ſolus Princeps facere poteſt.c.conſtitutus.& ibi gloſ. de relig. dom. Et quoniam confirmatio in forma cõmuni non tribuit maius ius, quàm prius fuerit in re confirmata. ſupr. cap. examinata. & in dubio iſta eſt præſumenda in forma communi, cum non dicatur facta ex certa ſcientia,nec tenor collationis fuerit in confirmatione inſertus. gloſ. hic. Et eccleſiaſticus ordo confunditur, ſi vnicuique epiſcopo ſua iuriſdictio non ſeruatur. c.peruenit. 11.q.1.Nec ſummus Pontifex honorẽ ſuum reputat, in quo epiſcopos eius fratres honorẽ perdere cognoſcit. c.ecce. diſt.99. Ideo licet legatus Cardinalis poſſit eccleſiam vacantem conferre. c.1. de offic. leg.in 6. illam tamen à diœceſani iuriſdictione non poteſt eximere; & confirmatio in forma cõmuni ſubſecuta ius epiſcopi non minuit,aut lædit. vt in tex.& c. deliberatione. de offic.leg.in 6.

Explicit Liber Secundus RATIONALIS IVRIS PONTIFICII, Ioannis Baptiſtæ Viuiani, ad DEI gloriam. Amen.

REGESTVM.

† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Omnes ſunt Quaterniones.



En Madrid a 9 de [illegible]